ENCHIRIDION

THEOLOGIAE DOGMATICAE SPECIALIS

AUCTORE

FR. IOSEPHO SIEVERS, O. F. M.

WITHDRAWN

TOMUS II.

Complectens Tractatus

De Gratia, De Sacramentis, De Novissimis.

Παρα Θεου Περι Θεου Ματθειν.

Pro manuscripto

EX LIBRIS
U. S. A.
PROV. SS. CORDIS

230
S573e
v. 2

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
PROPE FLORENTIAM
Ex Typographia Collegii S. Bonaventurae
1905

LIBRARY FRANCISCAN MONASTERY
3140 MERAMEC ST.
ST. LOUIS, MO.

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.

TRACTATUS

DE GRATIA.

PROOEMIUM.

1. Deus libera bonitate ductus hominem ad finem supernaturalem destinavit. Hic finis est Deus ipse per visionem beatificam intuitive cognoscendus. Quae visio ex convenienti divina ordinatione animae humanae post hanc vitam non dabitur, nisi illa in hac vita ad eandem positive disposita fuerit. Ad eam vero positive disposita est per gratiam sanctificantem. Haec igitur apte vocatur semen gloriae. Nam, sicut ex semine frutex pullulat, ita ex gratia sanctificante visio beatifica seu gloria provenit.

2. Ii, qui usum rationis habent, actibus et ad gratiam sanctificantem accipiendam se disponere et eam acceptam conservare atque augere debent. Qui actus, ut supernaturali gratiae sanctificanti proportionati sint, et ipsi supernaturales sint necesse est. Fiunt autem supernaturales per gratiam actualem.

3. Quia visio beatifica mysterium est atque id simpliciter dictum seu primi ordinis, etiam gratia tam actualis quam sanctificans, quae cum illa visione necessitudine interna nectitur, mysterium primi ordinis est. Et quia id est, a nobis non secundum conceptum proprium, sed solum conceptibus analogicis apprehendi potest. Itaque fit, ut in multis ad eam pertinentibus diversae exstent opiniones.

29.5.10

CAPUT PRAEVIUM.

DEFINITIO ET DIVISIO GRATIAE.

Voce gratiae in usu tam sacro quam profano significatur id, quod amorem excitat: qualitas personam reddens amabilem [1], ipse amor seu favor [2], id quod ex amore datur: donum gratuitum [3], id quod ob donum acceptum in animo oritur: gratitudo [4].

Gratia, prout hic accipitur, est donum Dei gratuitum (i. e. aliqua ratione indebitum — eine Gabe Gottes, welche dem Empfänger in irgend einer Beziehung nicht gebührt) seu donum Dei ex amore benevolentiae collatum (eine aus wohlwollender Liebe verliehene Gabe Gottes).

In gratia igitur duo elementa sunt: donum et benevolentia; illud est elementum materiale, hoc formale.

Gratia dividitur: 1. in *naturalem* et *supernaturalem*. Gratia naturalis est indebita personae, i. e. excedit meritum (Verdienst) personale. Gratia supernaturalis est indebita naturae, i. e. excedit exigentiam (Bedürfnis) naturae, aut alicuius aut totius (tam creatae quam creabilis). In priore casu dicitur relative supernaturalis seu praeternaturalis, in altero absolute supernaturalis seu simpliciter dicitur supernaturalis.

2. Gratia supernaturalis dividitur in *increatam* et *creatam*. Gratia increata est ipse Deus, quatenus creaturae se communicat. Gratia creata est aliquid supernaturale a Deo distinctum et effectum.

3. Gratia creata dividitur in *externam* et *internam*. Gratia externa hominem extrinsecus afficit, ut praedicatio evangelii et sacramenta. Ad eam quoque revocanda est singularis Dei protectio, qua quis ab illecebris et occasionibus peccandi servatur. Gratia interna hominem intrinsecus afficit.

4. Gratia interna dividitur in *gratiam gratis datam* (frei verliehene) et *gratiam gratum facientem* (Gott gefällig ma-

---

[1] Ps. 44, 3; Prov. 31, 30.
[2] Gen. 6, 8; Luc. 1, 30.
[3] Rom. 11, 6; Eph. 4, 7.
[4] 1. Cor. 10, 30.

chende). Gratia gratis data principaliter datur ad salutem aliorum. Eiusmodi sunt: inspiratio hagiographorum aliaque charismata enumerata 1. Cor. 12, 8. sqq., e. g. donum miraculorum.

Licet nomen gratiae gratis datae utrique speciei gratiae internae, immo omni generi gratiae competat, appropriatur tamen speciei inferiori gratiae internae idque eo magis, quia Christus hanc potissimum respexit, cum Apostolis dixit [1]: *Gratis accepistis, gratis date.*

Gratia gratum faciens primario et per se datur ad salutem propriam. Quando simpliciter dicitur: « gratia », haec intelligitur.

5. Gratia gratum faciens dividitur in *actualem* (vorübergehende oder wirkliche, d. h. zum Wirken geeignete u. bestimmte Gnade, oder Gnade des Beistandes) et *habitualem* (bleibende). Prior est aliquid transiens; altera est aliquid per se permanens, et id quidem qualitas permanens seu habitus.

6. Gratia habitualis dividitur in *gratiam sanctificantem* (heiligmachende), *virtutes infusas, dona Spiritus Sancti.* Gratia sanctificans est habitus, qui hominem reddit formaliter sanctum seu supernaturaliter iustum et filium adoptivum Dei atque haeredem vitae aeternae. Virtutes infusae sunt habitus, qui tribuunt facultatem in sua materia supernaturaliter agendi. Dona Sp. s. sunt habitus, qui disponunt ad prompte sequendum motus Sp. s., seu qui tribuunt facilitatem et quandam delectabilitatem in supernaturaliter agendo.

Gratia sanctificans iterum dividitur in *primam* et *secundam.* Gratia sanctificans prima est ipsa, quatenus datur. Gratia sanctificans secunda est augmentum gratiae sanctificantis iam datae. Illa ex iniusto facit iustum, haec ex iusto iustiorem.

7. Gratia actualis distinguitur duplex: *excitans* et *adiuvans* seu operans et cooperans seu praeveniens et subsequens seu antecedens et concomitans (zuvorkommende u. begleitende oder wirkende u. mitwirkende). Gratia excitans nos ad supernaturaliter agendum incitat seu movet, gratia adiuvans nos in supernaturaliter agendo comitatur et iuvat.

8. Gratia excitans est aut *efficax* (wirksam) aut *inefficax* seu *mere sufficiens* (unwirksam oder bloss zureichend). Gratia

[1] Matth. 10, 8.

efficax liberum hominis consensum post se habet, inefficax non habet; proinde illa effectum, quem petit (bezweckt), sortitur, haec non sortitur.

Nota. Aliae gratiae divisiones locis opportunis indicabuntur.

Scholion.

1. Ab antiquis theologis *gratiae actuales*, immo et habitus fidei ac spei cum gratia sanctificante non coniuncti nonnumquam vocantur gratiae gratis datae, cum gratia sanctificans gratia gratum faciens dicatur. Cf. S. Bonav. opera tom. 2. pag. 632. Scholion. Etiam nostra aetate, qua gratia actualis reduci solet ad gratiam gratum facientem idque merito, quia hominem remote ac dispositive Deo gratum vel magis gratum facit, nomine gratiae gratum facientis specialiter designatur gratia habitualis et specialissime gratia sanctificans, quippe quae hominem proxime et formaliter Deo gratum faciat.

2. *Gratia sanctificans* per excellentiam vocatur quoque gratia habitualis, immo, praesertim apud veteres, simpliciter gratia.

A Scholasticis *eadem* vocatur quoque modo gratia operans modo gratia cooperans: operans, quatenus nos formaliter sanctificat, cooperans, quatenus est principium operis meritorii. Cf. S. Thom., S. th. 1. 2, q. 3. a. 2. c.

PARS PRIMA.

DE GRATIA ACTUALI.

CAPUT I.

DE NATURA GRATIAE ACTUALIS.

ARTICULUS I.

DE IIS, IN QUIBUS RATIO GRATIAE INVENITUR.

§ I. *De iis, in quibus in hac re est theologorum* consensus.

I. Gratia actualis tam excitans quam adiuvans influit in *intellectum* et in *voluntatem* hominis. Intellectum supernaturaliter illuminat, voluntatem supernaturaliter movet. Ea gratia, quae intellectum illuminat, vocari solet *gratia illustrationis* (erleuchtende — der Erleuchtung); ea gratia, quae voluntatem movet, vocari solet *gratia inspirationis* (anregende — bewegende — der Bewegung). Hinc distinguitur quadruplex gratia actualis: gratia excitans illustrationis atque inspirationis et gratia adiuvans illustrationis atque inspirationis.

II. *Illustratio supernaturalis* intellectus hic intellecta non est illa, quae consistit in eo, quod per externam propositionem veritatis divinitus revelatae respondens notitia in mente hominis naturaliter oritur, quaeque vocatur mediata vel obiectiva. Haec enim non est gratia supernaturalis interna, ad quam gratia actualis stricte dicta pertinet. Immo vero illustratio hic intellecta *est ea, quae fit operatione Dei absolute supernaturali immediate directa in intellectum*, unde et vocatur illustratio immediata vel subiectiva. Haec illustratio veritates independenter ab externa revelatione potest quidem docere et extraordinarie docet, tamen iuxta rationem providentiae ordinariae

externam propositionem veritatis divinitus revelatae supponit eamque vel comitatur vel sequitur. Per eam fit, ut intellectus ex revelatione externa respondentem notitiam acquirat modo supernaturali, modo igitur, qui essentialiter altior est, quam ille, quo eandem notitiam ex eadem revelatione acquirit propriis viribus et cum concursu Dei naturali.

Verumtamen in nobis cognoscentibus priorem modum ab altero discernere non possumus, quia supernaturale sensui nostro intimo obvium non est. Atque inde evenit, ut de facta illustratione supernaturali immediata certi non simus.

III. Itidem *inspiratio supernaturalis* voluntatis hic intellecta non est ea, quae dicitur mediata quaeque consistit in eo, quod ex supernaturali intellectus illustratione sive obiectiva sive etiam subiectiva respondens motus voluntatis sponte oritur idque ob naturalem necessitudinem, quae inter intellectum et voluntatem intercedit; sed inspiratio hic intellecta *est ea, quae fit operatione Dei absolute supernaturali, immediate directa in voluntatem*, in qua producit motus timoris vel desiderii vel amoris etc.; unde et dicitur inspiratio immediata.

Sicut in nobis cognoscentibus illustrationem immediatam, quae mediatam supponit, ab hac discernere non possumus, ita et ex eadem ratione in nobis volentibus inspirationem immediatam a mediata dignoscere nequimus.

IV. Deum hominis intellectum immediate supernaturaliter illustrare et voluntatem perinde inspirare *posse* manifestum est. Sine dubio enim is, qui est ens essentialiter supernaturale et creator ac dominus facultatum hominis, in has immediate et supernaturaliter, i. e. supra earum exigentiam operari potest.

V. Haec supernaturalis Dei operatio in intellectum et voluntatem hominis est et vocatur gratia illustrationis et inspirationis *active* sumpta.

§ II. *De eo in quo est theologorum* dissensus.

Theologi dissentiunt in respondendo ad quaestionem, in quo consistat gratia illustrationis et inspirationis *passive* sumpta.

Nota. Gratia ill. et insp. passive sumpta dein simpliciter appellabitur gratia ill. et insp. Sin ea active sumpta intelligenda erit, indicabitur.

A. Sententia Thomistarum.

I. Gratia ill. et insp. est quaedam *entitas a Deo producta*, et supernaturalis et physica, nec vitalis nec permanens, quae est principium formale cuiuscunque actus supernaturalis. Haec entitas dicitur:

a) physica, quia non movet intentionaliter, illustrando sc. et alliciendo, sed physice, sc. potentiam in actum physice deducendo;

b) non vitalis, quia a Deo in hominis facultatibus producitur absque earum concursu;

c) non permanens, sed potius fluens, quia non diutius manet, quam actus, cuius principium est.

Haec entitas vocatur ab aliis *qualitas fluens*, ab aliis *motio*.

II. Eadem entitas potentias animae, intellectum sc. et voluntatem, ad actum supernaturalem applicat. Applicat vero ad actum aut indeliberatum aut deliberatum. Ea, quae potentiam applicat ad actum supernaturalem *indeliberatum*, seu quae actum supernaturalem indeliberatum dat, etiam dat potentiam ponendi actum supernaturalem deliberatum. Nam actus eiusmodi indeliberatus ad actum deliberatum disponit. Et haec quidem entitas est gratia *excitans sufficiens*. Ea vero entitas, quae potentiam applicat ad actum supernaturalem *deliberatum*, seu quae hunc actum dat, est et gratia *excitans efficax* et gratia *adiuvans*. Gratia excitans efficax est, quatenus potentiam supernaturaliter ac deliberate agendi ad eiusmodi actum traducit, seu hunc actum ex potentia educit vel *incipit;* gratia adiuvans est, quatenus hunc actum *comitatur*.

Gratia excitans efficax et adiuvans a gratia excitante sufficienti, ut patet, *realiter distincta* est. Gratia excitans efficax et adiuvans saepe promiscue sub nomine gratiae adiuvantis afferuntur.

III. Itaque actus supernaturalis tam intellectus quam voluntatis non est gratia illustrationis et inspirationis ipsa, sed eius effectus.

Haec sententia *fulcitur* istis rationibus:

a) Gratia actualis vel in s. Scriptura vel a ss. Patribus vel a Conciliis vel a theologis dicitur:

1) *pulsatio, vocatio, excitatio;* sed pulsatio, vocatio, excitatio ab eo, qui pulsatur, vocatur, excitatur, non fiunt, actus vero hominis ab homine fit; ergo gratia non est ipse actus hominis, sed aliquid eum praecedens;

2) *principium* actus salutaris; ergo non est actus salutaris ipse;

3) fieri *in* homine, *non ab* homine; sed actus intellectus et voluntatis fiunt ab homine; ergo gratia in iis non consistit.

b) Actus intellectus et voluntatis, de quibus hic agitur, sunt actus *quoad substantiam supernaturales;* ergo etiam potentia, quae eos producit, supernaturalis sit necesse est, cum inter potentiam eiusque actum proportio esse debeat; sed intellectus et voluntas secundum se facultates supernaturales non sunt; ergo, ut actus supernaturales producere possint, aliqua *entitate supernaturali* elevanda sunt.

Confirmatur. Ad visionem quoque beatificam intellectus creatus elevatur aliqua entitate supernaturali, sc. lumine gloriae.

B. Sententia ceterorum.

I. Gratia illustrationis et inspirationis passive sumpta consistit in *ipso actu vitali* intellectus et voluntatis operatione Dei supernaturali producto. Inter hanc igitur et illum entitas physica non intercedit. Quae sententia sic *probari solet:*

a) Directe.

1) Ss. Patres et Concilia gratiam illustrationis vocant *bonam cogitationem* etc., gratiam inspirationis *pium animi affectum* etc.; sed haec nomina actum vitalem intellectus et voluntatis significant.

2) Gratia illustrationis et inspirationis passive sumpta secundum omnes, etiam secundum S. Thomam, est *motus animae* a Deo in ipsa supernaturaliter productus; sed motus animae est operatio animae seu actus vel intelligendi vel volendi. Nam actus moventis in mobili non est nisi motus ipsius mobilis; sed motus intellectus et voluntatis est ipsa cognitio et volitio.

b) Indirecte, rationibus Thomistarum supra allatis sequentia opponendo:

1) Metaphorae pulsationis etc. non significant nisi motum a Deo in homine productum, de quo supra: *a)* 2).

2) Gratia actualis active sumpta est principium actus salutaris tam deliberati quam indeliberati, eadem gratia passive sumpta est principium actus salutaris deliberati.

3) Actus supernaturales indeliberati bene possunt dici fieri in homine, sed non ab homine, sc. *libere* agente. Idem enim dici solet de indeliberatis cogitationibus et affectionibus malis; et s. Paulus scribit[1]: Si autem quod nolo, illud *facio:* iam *non* ego *operor* illud, sed, quod habitat in me, peccatum.

4) Deus per se ipsum facultatem naturalem supernaturaliter elevare potest. Nam s. Thomas dicit[2]: « Erroneum est dicere, Deum non posse facere per se ipsum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcunque causam creatam ». Insuper[3]: Deus « potest mentem ad hoc perducere, ut divinae essentiae uniatur in statu viae modo illo, quo sibi unitur in patria, *sine hoc, quod a lumine gloriae perfundatur* »; ergo dummodo Deus supernaturaliter concurrat et defectum facultatis naturalis suppleat, effectus, qui ab hac producitur, supernaturalis est, et inter actum et potentiam ita elevatam proportio habetur.

Illustratur simili: « Sicut instrumentum musicum non potest per se ullas ideas exprimere, sed musicus cum instrumento et per instrumentum potest, licet nullas novas facultates sed solum motum instrumento imprimat, ita Deus potest intellectum et voluntatem hominis sic movere, ut hic motus sit aliquid supernaturale ». Pesch[4].

II. Gratia illustrationis *pure* excitans est actus indeliberatus intellectus in eodem a Deo supernaturaliter productus.

Nota. Dicitur *pure* excitans, quia actus salutaris deliberatus intellectus quandoque habere potest rationem gratiae excitantis ad alium actum salutarem. Idem valet de actu salutari deliberato voluntatis.

Suarez[5]: « Contingit unum actum supernaturalem, perfectum et deliberatum, excitare animam ad alium, ut voluntarius actus fidei excitat ad spem et actus spei ad amorem, et sub ea ratione potest dici gratia excitans; sed non est pure excitans, cum alioqui talis actus sit effectus alterius gratiae excitantis et adiuvantis ».

Actus supernaturalis indeliberatus intellectus vocari solet *sancta cogitatio* et potest esse mera apprehensio, vel etiam

---

[1] Rom. 7, 20.
[2] 1. q. 105. a 2. in c.
[3] De verit. q. 10. a. 11. in c.
[4] Praelect. Dogm. t. 5. n. 56.
[5] De Auxil. opusc. 1. l. 3. c. 4. n. 3.

iudicium sive speculativum sive practicum, cum et hoc sine reflexione mentis et libero consensu voluntatis haberi possit.

Gratia inspirationis *pure* excitans est actus indeliberatus voluntatis in eadem a Deo supernaturaliter productus. Qui actus communiter est simplex affectio v. g. timoris, amoris etc. et vocari solet *pia affectio*.

Utraque igitur gratia excitans adest, antequam homo deliberate agit.

Gratia illustrationis et inspirationis adiuvans est eadem sancta cogitatio et pia affectio, quae adhuc praesto est, dum homo deliberate agit. Nam sancta cogitatio et pia affectio, quae adsunt, antequam homo deliberate agit, hominem non deserunt, cum deliberate agit, sed manent et in actum deliberatum influunt. Homini enim bonum deliberate operanti hoc bonum non solum innotescit et placet, antequam id operatur, sed etiam tum, cum id operatur; seu notitia et complacentia boni manent cum actu deliberato et in eum influunt.

Eadem igitur sancta cogitatio et pia affectio, quatenus actum deliberatum praecedunt, sunt gratia excitans, quatenus eum comitantur, sunt gratia adiuvans. Unde haec ab illa non *distinguitur* nisi *ratione ratiocinata* idque ideo, quia aliud est pertinere ad facultatem indeliberate agentem, aliud ad deliberate agentem.

Illustratur exemplo. Homo graviter offensus inclinatur ad iniuriam ulciscendam. Deus menti eius supernaturaliter suggerit memoriam Christi patientis atque ignoscentis et voluntati eius inspirat affectionem seu inclinationem ad pariter ignoscendum, utrumque citra et ante eius deliberationem et consensum. En gratia excitans tam illustrationis quam inspirationis! Ille homo sub influxu eiusdem cogitationis et affectionis ab ultione libere se abstinet. Eadem igitur cogitatio et affectio, quae simul est cum libera omissione ultionis, est gratia adiuvans, illa illustrationis, haec inspirationis.

ARTICULUS II.

DE VIRIBUS, QUAS GRATIA CONFERT.

I. Gratia actualis confert vires *morales*. Nam per illustrationem intellectus et inspirationem voluntatis homo promptior fit ad utendum viribus suis physicis in faciendo bonum et fugiendo malum. Illustratio enim menti proponit quaedam motiva,

quae voluntatem ad illud faciendum et hoc fugiendum alliciunt. Inspiratio vero voluntatem ad idem, ad quod motiva alliciunt, directe inclinat, i. e. magis vel minus propensam reddit.

Ut e supra dictis apparet, secundum Thomistas gratia actualis vires morales confert per effectum suum, qui est illustratio et inspiratio, secundum ceteros per se ipsam.

Gratia, prout homini lapso vires morales confert, dicitur *sanans vel medicinalis.*

II. Gratia etiam confert vires *physicas.* Nam per eam facultates naturales animae entitative elevantur idque supra ordinem totius naturae, ita ut producere possint actus entitative perfectiores iis, quos sine gratia producere possunt, actus sc. absolute supernaturales.

Gratia, prout has vires physicas confert, dicitur *elevans.*

III. *Modus,* quo hae vires physicae conferuntur seu facultates naturales entitative elevantur, diversus est pro diversa conditione hominis supernaturaliter agentis.

a) Si hic possidet habitum supernaturalem, qui actui eliciendo par est (v. g. habitum fidei respectu actus fidei), habitus in actum physice influit, seu actus ex habitu physice elicitur, idque

1) **secundum Thomistas** *per entitatem* illam a Deo *productam,* supernaturalem et physicam, quae est ipsa gratia actualis, quaeque potentiam supernaturaliter agendi, quam invenit, ad actum applicat;

2) **secundum alios** solum *sub concursu Dei supernaturali,* sicut etiam sub concursu Dei naturali ex natura actus naturalis elicitur.

b) Si ille homo non possidet habitum supernaturalem, qui actui eliciendo par est,

1) **iuxta Thomistas** supradicta entitas virtutem supernaturaliter agendi, quam non invenit, secum fert idque non ad instar gratiae habitualis per modum permanentis, sed per modum transeuntis;

2) **iuxta alios**

α) actus supernaturalis *indeliberatus* physice producitur *a Deo ipso* ut causa prima cum facultate vitali hominis *supernaturaliter concurrente* et simul cum ea unum principium adaequatum operandi constituente. Ita facultas creata vere et

realiter elevatur, sed elevatur immediate a Deo ipso, quin ullam qualitatem supernaturalem acquirat vel alioquin secundum interna constitutiva immutetur. Unica igitur causa elevationis seu unica causa *potentiae* actum supernaturalem ponendi est Deus; sed Deus non est unica causa ipsius *actus*, multo minus homo est unica causa eiusdem. sed causa eiusdem est Deus simul et homo, seu actus producitur una a Deo et ab homine Deo subordinato. Sine vitali operatione hominis actus non esset actus hominis vitalis; sine supernaturali operatione Dei actus non esset actus supernaturalis. Ratione igitur *vitalitatis* homo est eiusdem actus causa *principalis* (non tamen prima, sed secunda), ratione *supernaturalitatis* est eiusdem actus causa mere *instrumentalis*. Et quia Deus hominem sibi subiectum tenet, eumque ut instrumentum ad actum supernaturalem movet, ille recte dicitur influere non solum in hunc actum, sed etiam in ipsum hominem;

β) actus supernaturalis *deliberatus* producitur *a libero arbitrio* per gratiam physice *elevato* sub concursu Dei supernaturali. Nam actibus supernaturalibus indeliberatis, in quibus gratia actuàlis consistit, inest vis liberum arbitrium physice elevandi, ita ut sub concursu Dei, qui et facultati elevatae et actui ponendo respondeat, supernaturaliter operari queat. Id fieri posse evidens est. Si enim Deus hominem per supernaturales habitus ad salutariter operandum physice iuvare et elevare potest, quod omnes concedunt, id etiam praestare potest per supernaturales actus.

Ita Molina [1], Lessius [2], Ripalda [3], alii.

---

[1] Concord. q. 14. a. 13. disp. 37.
[2] De grat. effic. c. 15. n. 13.
[3] disp. 30. et 119.

CAPUT II.

DE NECESSITATE GRATIAE.

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE GRATIAE AD ACTUS SALUTARES.

PROPOSITIO GENERALIS. **Ad quemcumque actum salutarem gratia absolute et physice necessaria est.**

Trid. sess. 6. can. 1. Si quis dixerit, hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae [vires] vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo, a. s.

Can. 2. Si quis dixerit ad hoc solum divinam gratiam per Iesum Christum dari, ut facilius homo iuste vivere ac vitam aeternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen et difficulter, possit, a. s.

Can. 3. Si quis dixerit sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur, a. s.

Explicatur: 1. Actus salutaris (Heilsakt) idem est ac supernaturalis. Salutaris nominatur ex *salute*, ad quam internam habet proportionem et eam quidem medii. Salus est *vita supernaturalis*. Haec in viatoribus est gratia sanctificans, quae vocari potest salus *prima*, in comprehensoribus est gloria, quae salus *secunda* appellari potest. Actus, quo iniustus ad gratiam sanctificantem accipiendam disponitur, simpliciter dicitur salutaris; actus vero salutaris, quo iustus meretur gloriam, meritorius vocatur.

2. Necessarium est id, sine quo aliquid aut nullo modo aut cum magna tantum difficultate fieri vel obtineri potest. Illud, sine quo aliquid nullo modo fieri vel obtineri potest, dicitur *absolute vel physice* necessarium: absolute quidem, quia sine ulla conditione necessarium est, physice, quia sine illo desunt vires physicae id faciendi vel obtinendi, ad quod illud necessarium est. Id vero, sine quo aliquid cum magna tantum dif-

ficultate fieri vel obtineri potest, dicitur *moraliter* necessarium.

Determinatur et probatur in thesibus specialibus.

THESIS I. **Cuilibet homini ad quemcunque actum salutarem aut gratia actualis aut gratia habitualis physice necessaria est.** (Ille igitur, qui neutram habet, nullum actum salutarem ponere potest.)

De fide contra Pelagianos.

Probatur: I. **Ex Scriptura**, ad cuius verba respondentia intelligenda meminisse iuvat, ipsam homines ea docere, quae conducant ad salutem. Unde colligi potest opera bona ab ipsa commemorata atque commendata generatim esse opera salutaria. — Iam vero in Scriptura:

a) In genere docetur, homines sine gratia nihil boni salutaris facere posse. Io. 15, 4. 5: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* In quibus verbis

1) expresse quidem agitur de iis solis, qui in Christo sunt i. e. *de iustis;* tamen ex iisdem verbis etiam argumentum erui potest respectu eorum, qui in Christo saltem perfecte non sunt, i. e. *respectu omnium peccatorum.* Nam, α) si iusti fructus ferre, i. e. opera meritoria facere non possunt, sine perfecto Christi influxu, nec peccatores actus simpliciter salutares ponere possunt sine *aliquo* Christi influxu; nam et huiusmodi actus intrinsecus respiciunt salutem; β) in fine Christus diserte dicit: sine me *nihil* potestis facere. Sed actus simpliciter salutares certe non sunt nihil in ordine supernaturali, sed aliquid;

2) tractatur de *influxu interno.* Eiusmodi enim est influxus vitis in palmites;

3) agitur de influxu *supernaturali.* Nam Christus vitis est qua Deus-homo; qua talis autem est causa ordinis non naturalis, sed supernaturalis.

b) In specie idem docetur

1) de actibus *intellectus:* 2. Cor. 3, 5: *non quod sufficientes* (ἱκανοὶ) *simus cogitare* (λογίσασθαι) *aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* — Cogitare illud, ut ex contextu apparet, proxime respicit munus aposto-

licum, quod est aliquod opus salutare. Insuper, cum sententia generalis sit, ad quodcunque opus salutare merito extendi potest et a Concilio Arausicano II. can. 7 [1] et a s. Aug. extenditur;

2) de actibus *voluntatis:* Philipp. 2, 12 et 13: *cum metu et tremore vestram salutem operamini: Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate* (ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας = secundum beneplacitum suum). — Velle, uti et perficere, hic aperte respicit salutem.

c) Ratio affertur, cur homines sine gratia respectu salutis nihil valeant. Et haec quidem est, quod homines per peccatum facti sunt mortui [2], tenebrae i. e. caeci [3], animales seu incapaces percipiendi ea, quae sunt spiritus Dei [4]. Sed mortui actus vitales ponere nequeunt, quin vitam receperint, caeci videre non possunt, nisi aciem oculorum nacti sint, incapaces aliquid percipiendi id percipere nequeunt, quin capaces sint redditi.

II. **Ex Traditione.**

a) Ex Patribus. *S. Irenaeus* adv. haereses [5] dicit: « Sicut terra arida sine humore non fructificat, sic nec nos... sine superna pluvia ». *S. Aug.* haeresim Pelagianam praeprimis impugnavit, inde Doctor gratiae appellatus; praeterea eam insectatus est s. *Hieronymus.*

b) Ex Conciliis. Doctrina Pelagiana damnata est a circiter 24 conciliis ab anno 412-131 habitis; quorum praecipua sunt aliqua *Carthaginiensia, Diospolitanum* (Lydda), *Milevitanum* (in Numidia), oecumenicum *Ephesinum* 431.

c) Ex decisionibus summorum Pontificum. *Innocentius I.* in epistola ad Conc. Milevitanum directa, *Zosimus* et *Coelestinus I.* in epistolis ad episcopos Galliae missis Pelagianismum reiecerunt.

d) Ex sensu et praxi Ecclesiae. Quae et fideles *docet* in omnibus *petere* gratiam, utpote ad salutariter agendum necessariam, et ipsa Dom. 18. p. Pent. *in oratione dicit:* « Quia tibi sine te placere non possumus ».

---

[1] Denziger, 150.
[2] Rom. 5, 15; Eph. 2, 1.
[3] Eph. 5, 8.
[4] 1. Cor. 2, 14.
[5] l. 3. c. 7.

III. **Ratione theologica.** Actus salutaris ad vitam supernaturalem se habet ut medium ad finem; medium autem fini proportionatum sit necesse est; sed actus solis viribus naturalibus productus vitae supernaturali proportionatus non est; ergo requiritur virtus supernaturalis, qua proportionatus reddatur, et haec est gratia.

Illustratur simili. Homo sicut passibus, quibus super terram incedit, ascendere non potest in coelum, ita nec actibus mere naturalibus accedere potest ad vitam supernaturalem.

THESIS II. **Iis, qui gratiam habitualem non possident, ad quemcunque actum salutarem gratia actualis physice necessaria est. Consequenter gratia actualis requiritur ad salutare initium fidei.**

Ii enim, qui habitum fidei non possident, neque ullo alio habitu supernaturali instructi sunt.

Utrumque est *de fide.*

Posterius expresse negatum fuit a Semipelagianis seu Massiliensibus, qui solis naturae viribus tribuebant initium fidei seu pium credulitatis affectum ex praedicatione evangelii conceptum, desiderium salutis, implorationem divinae bonitatis.

Ab iis homo lapsus comparatur infirmo, qui per se potest et sanitatem optare et medicum vocare, sanari tamen per se non potest.

Probatur: I. **Ex Scriptura.** Io. 6, 44. et 65. et 66: *Nemo potest venire ad me* (ἐλθεῖν πρός με) *nisi Pater, qui misit me, traxerit eum... sunt quidam ex vobis, qui non credunt... propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.* — Illi, qui non credebant, Christum docentem audiverant; ergo ad credendum non sufficit auditio praedicationis evangelii, sed insuper requiritur gratia interna, quae exprimitur per verba: « nisi Pater traxerit eum », « nisi fuerit ei datum a Patre ». — Venire certe etiam includit primum gradum salutem versus factum.

II. **Ex Traditione.** Conc. *Arausicanum II.* a. 529 habitum et a Bonifacio II. confirmatum contra Semipelagianos definivit: *a)* ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis (sc. Deus) (can. 3) [1]; *b)* initium fidei ipsumque credulitatis affectum non naturaliter nobis inesse, sed per inspirationem Spiritus s. (can. 5) [2].

[1] Denziger, 146.

[2] Denziger, 148.

III. **Rationibus theologicis.**

a) Nullus actus magis salutaris est, quam *primus* ille, quo homo salutem desiderat et quaerit. Si igitur ad quemcunque actum salutarem gratia necessaria est, etiam ad hunc requiritur.

b) In fide consistit *fundamentum* seriei actuum, quibus aedificium salutis conficitur [1]; sed, si aedificium ipsum viribus propriis exstrui non potest, neque eiusdem fundamentum propriis viribus poni potest.

c) Dignitas gratiae, et consequenter Christi, qui eandem meruit et tribuit, exigit, ut ipsa, non naturalis virtus hominis, sit initium salutis.

THESIS III. **Etiam iis, qui gratiam habitualem possident, ad quemcunque actum salutarem gratia actualis physice necessaria est.**

Thesis de fide non est; nam gratia habitualis non exornat tantum animam, sed etiam quadamtenus conducit ad salutariter vivendum; tamen *communiter aut fere communiter* tenetur.

Sententia haec dicitur a Schouppe communior et verior, ab Hurter praeferenda, ab Einig communissima, a Mazzella ea, quae tenenda omnino videatur. Sententia contraria, quae fuit Thomassini et quorundam aliorum, a Pesch dicitur communissime et merito reiecta.

Explicatur. Secundum hanc thesin 1. ad actum salutarem ponendum non sufficiunt habitus supernaturales et concursus Dei generalis ac naturalis; 2. non est obligatio credendi ad quemlibet actum salutarem requiri gratiam excitantem novam; sed licitum est sentire unum actum liberum gratia excitante productum quoad alterum actum rationem gratiae excitantis induere posse et ita porro. Quod si fit, singuli quidem actus ex gratia actuali fiunt, at non quilibet actus oritur ex gratia praeveniente nova.

Probatur: I. Ex Scriptura.

1. Quodammodo ex Io. 15, 4-5. (in thesi I. cit.): *a) ex similitudine palmitis et vitis.* Ut palmes fructum producere possit, illi non sufficit, ut cum vite organice sit coniunctus, sed ei insuper opus est, ut a vite succum vitalem accipiat. Orga-

[1] Cf. Trid. sess. 6. cap. 8.

nica coniunctio repraesentat gratiam habitualem; succus vitalis, quamvis eandem repraesentare possit, cum Christus per eam vere influat, melius tamen etiam gratiam actualem repraesentare censetur, quia Patres, qui hac similitudine necessitatem gratiae contra Pelagianos propugnabant, eandem gratiam constituebant in illuminatione intellectus et inspiratione voluntatis, quibus gratia actualis significatur;

b) ex verbis: Qui manet in me etc., quae apte sic intelligi possunt: Qui manet in me per gratiam habitualem et ego gratiam actualem conferendo in eo, hic fert fructum multum;

c) ex verbis: Quia sine me nihil potestis facere. Illud « sine me » iuxta Patres et conc. Araus. II. (can. 7. [1]) idem significat ac sine excitatione et cooperatione mea, sine illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, quibus verbis gratia actualis designatur.

2. Ex Phil. 2, 12. 13. (in thesi I. cit.). Quibus verbis S. Paulus *a)* alloquitur eos, qui maximam partem haud dubie ornati erant *gratia habituali;*

b) ait, Deum esse, qui horum salutare velle et perficere *secundum suum beneplacitum* operetur. Sed gratia habitualis in omnibus, qui eam possident, germen frugiferum est neque ab iis auferetur nisi propria ipsorum gravi culpa. Si igitur Deus, licet haec adsit, salutare velle et perficere secundum suum beneplacitum operari dicitur, hac Dei operatione gratia actualis significari videtur [2].

II. Ex Traditione et sensu Ecclesiae.

1. *S. Augustinus a) de nat. et grat.* c. 26. n. 29. comparat iustificatum cum *oculo sano* et gratiam actualem cum luce dicens: « Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adiutus, non potest cernere, sic et homo etiam perfectissime iustificatus, nisi aeterna luce iustitiae adiuvetur, recte non potest vivere »; *b)* in Ps. 34. comparat iustificatum cum *gladio* a manu Dei tento, qui nihil valeat, nisi Deus cum eo pugnet.

2. *Conc. Araus. II. can. 9* [3]. Divini est muneris, cum et recte cogitamus et pedes nostros a falsitate et iniustitia contine-

---

[1] Denzinger, 150.

[2] Hebr. 13, 20. 21; 1. Petr. 5, 10.

[3] Denzinger, 152.

mus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.

3. *Conc. Diospolitanum* ait gratiam Dei ad singulos actus dari.

4. *Ecclesia* plerisque *precibus* gratias actuales petit, quod non faceret, nisi eas pro necessariis haberet.

III. Ratione theologica. Gratia habitualis, quamquam praestat potentiam et facilitatem actus supernaturales eliciendi, hos tamen ex se non producit. Immo contra, sicut motio Dei naturalis exigitur, ut potentia naturalis transeat in actum, ita motio Dei supernaturalis requiritur, ut potentia supernaturalis in actum transeat.

Illustratur simili. Sicut obiecta sensibilia intellectum possibilem ad concipiendam ideam determinare nequeunt, quin lumine intellectus agentis ad ordinem intellectualem transferantur, ita obiecta revelatione externa proposita habitus infusos ad producendos respondentes actus determinare nequeunt, quin supernaturali illustratione et inspiratione ad ordinem habitibus proportionatum transferantur.

THESIS IV. **Gratia actualis ad actum salutarem necessaria non solum gratia illustrationis, sed etiam gratia inspirationis est.**

Haec sententia *saltem fere communiter* tenetur.

A Schouppe dicitur probabilior, a Iungmann fere communis, a Suarez testante Pesch certa.

Probatur pars prior. *Omnis motus* naturae *rationaliter agentis*, proinde etiam motus ad finem supernaturalem, *ab intellectu* incipit. Hic motus fini suo proportionatus, ergo et supernaturalis sit necesse est. Ut autem sit supernaturalis, non sufficit sola externa propositio obiecti revelati, qua facta intellectio ipsa naturalis manet; sed requiritur supernaturalis et immediata illustratio divina.

Probatur pars altera. 1. *In actis contra Pelagianos directis* fere unice sermo est de gratia *inspirationis*, praesertim cum illi gratiae illustrationis non quidem necessitatem, tamen utilitatem admiserint.

2. Gratia ad id datur, ut actus, quibus finem supernaturalem prosequimur, huic fini intrinsecus proportionati sint seu ut sint supernaturales. Iamvero *finem praecipue prosequimur actibus voluntatis;* ergo etiam hi intrinsecus supernaturales

sint oportet; iidem vero gratia illustrationis, utpote ad solum intellectum pertinente, intrinsecus supernaturales non fiunt; ergo addi debet alia gratia, quae directe moveat voluntatem.

Scholion.

Gratia praedicta respectu omnium creaturarum omniumque earum actuum salutarium elevans est, respectu hominis lapsi plerumque simul est medicinalis, quatenus ei dat vires morales, quibus malum, ad quod inclinat, devitet et bonum, quod ipsi arduum est, faciat. Quando vero actus supernaturalis non subiacet difficultati, gratia medicinalis sit necesse non est.

ARTICULUS II.

DE NECESSITATE GRATIAE AD ACTUS NATURALITER HONESTOS.

Necessitas, de qua hoc articulo agitur,

1. non est physica, sed moralis,
2. attinet ad hominem lapsum.

Homo vero lapsus seu in statu naturae lapsae constitutus hac in re est quilibet homo, qui privatus est dono integritatis, quo protoparentes ante lapsum exornati erant, et quo appetitus sensitivus dominio rationis perfecte erat subiectus.

§ I. *Quid homo sine gratia possit.*

Thesis. **Cuilibet homini sine gratia non solum physice, sed etiam moraliter possibile est aliquos actus naturaliter honestos ponere.**

Certum est, ut patet ex damnatione aliquot propositionum Baii, praesertim 27: « Liberum arbitrium sine gratiae Dei adiutorio nonnisi ad peccandum valet[1] » et 37: « Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturae solis viribus ortum ducit, agnoscit[2] ».

Explicatur: 1. *Moraliter* possibile hic idem est ac non valde difficile.

2. Dicitur tantum: « *possibile est* », non dicitur « hominem actus naturaliter honestos sine gratia reapse ponere ».

---

[1] Denzinger, 907.
[2] Denzinger, 917.

Nam hoc aeque certum atque illud non est. Sunt enim catholici, qui cum Ripalda contendant in praesenti ordine utpote supernaturali Deum cuilibet homini eiusmodi actum ponere volenti gratia sua adesse, qua hic actus reddatur salutaris. Quae tamen opinio satis plena ratione caret.

3. Ut actus naturaliter *honestus* sit, requiritur, ut honestus sit ratione obiecti et circumstantiarum et finis et eius quidem non solum proximi, sed etiam ultimi. Non tamen requiritur relatio in finem ultimum explicita, sed sufficit implicita. Haec vero actui honesto per se inest semperque in voluntate honeste agentis adest, dummodo ne positive excludatur. Potest igitur adesse in mente etiam infidelis.

Probatur ratione. 1. Multi actus naturaliter honesti multis hominibus difficiles non sunt, e. g. parentes amare, miseros iuvare, vera loqui. — 2. Si homo esset in statu naturae purae, ipsi sine dubio moraliter possibile esset sine gratia multa opera naturaliter honesta peragere. Sed natura lapsa a natura pura remoto peccato originali non secus vel saltem non multo secus differt, ac spoliata differt a nuda; ergo homini etiam in statu naturae lapsae sine gratia moraliter possibile est saltem aliqua opera naturaliter honesta peragere.

Corollaria. 1. **De tentationibus.** Homo tentationes leves solis viribus naturalibus ex motivo naturaliter honesto superare quit. Fieri enim potest, ut ex una parte ad aliquid inhonestum alliciatur, et ex altera parte ex causa honesta in contrarium inclinet, ita ut parva quin etiam nulla difficultas sit tentationem superandi. Contraria propositio Baii, quae est eius 30., damnata est [1].

2. **De operibus infidelium.** Non omnia opera infidelium et multo minus peccatorum fidem possidentium peccata sunt. Hoc perperam docuit Baius, innixus falso axiomate: homo ad agendum non movetur nisi aut cupiditate mala aut caritate theologica; proinde is, qui hanc non possidet, illa movetur ideoque peccat. Contra quod dicendum est: homo habitualiter quidem aut est conversus ad Deum ut finem supernaturalem aut est aversus ab eo; sed inde non efficitur, eum singulos actus necessario producere ex alterutro habitu. Econtra manifestum

[1] Denzinger, 910.

est eum, qui habitu bono instructus est, male agere posse, et vice versa.

Contraria Baii propositio, quae est eius 25 [1]. et sonat: omnia opera infidelium sunt peccata et philosophorum virtutes sunt vitia, a s. Pio V. damnata est et *repugnat*

a) s. Scripturae, in qua e. g. Daniel [2] Nabuchodonosor regem sic alloquens exhibetur: *Peccata tua eleemosynis redime et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* — Ergo hic rex opera moraliter bona facere et per ea liberationem a flagellis temporalibus impetrare potuit;

b) legi naturae, quae etiam infidelibus opera iustitiae aliarumque virtutum praescribit. Quae, si absque peccato fieri non possent, lex naturae peccata praeciperet.

Nota. Ad solvendas varias obiectiones praesertim e scriptis s. Augustini depromptas sequentia animadvertantur:

1. Agnitio legis naturalis, quae locum habet, quando homo conscientiam sequitur, immo ipsum conscientiae dictamen [3] *fides* nuncupatur.

2. Omnis amor honesti *caritas* appellatur.

3. Sola virtus supernaturalis *virtus vera* dicitur, quia illa sola ad vitam veram, i. e. ad gloriam conducit. Ob contrariam rationem virtus hominis infidelis dicitur falsa vel iners: eodem fere modo, quo bona terrena bona falsa vel inania dicuntur.

4. *Opera infidelium* interdum accipiuntur in sensu reduplicativo sc. pro operibus ex spiritu infidelitatis factis.

5. *Peccatum* (materiale) aliquando sensu latissimo accipitur et significat *a)* id, quod non est directum in finem supernaturalem, ad quem homo destinatus est, *b)* motum indeliberatum concupiscentiae, cum et hic iustitiae prorsus perfectae dissonus sit.

6. Distinguendum est inter *personam* et huius *opus.* Illa Deo displicere et simul hoc placere potest.

7. *Sine* interdum non accipitur negative, sed contrarie. *Sine gratia* idem est atque *contra gratiam.*

8. *Universalitas* non semper absoluta, sed saepe moralis est. *Semper* idem est ac *plerumque.*

---

[1] Denzinger, 905.

[2] Dan. 4, 24. Cf. Is. 45, 1-6; Ez. 29, 19. 20; Matth. 5, 46-47.

[3] Rom. 14, 23.

QUAESTIO. **Utrum homini lapso sine gratia moraliter possibile sit actum elicere quo Deum ut auctorem naturae super omnia efficaciter diligat necne.**

Dicitur: *efficaciter*, i. e. ita, ut habeatur firmum propositum numquam graviter peccandi. Eiusmodi actus vocari solet amor affectivus efficax.

Affirmatur a plurimis Scotistis, a Molina ac plerisque Molinistis.

Negatur a s. Thoma [1] et Thomistis, ut probabilius a Bellarmino et Suarez, qui sententiam negativam vocat securam et sanam.

Pro sententia affirmante praeter alia hoc affertur: Ille actus non videtur esse adeo difficilis, ut sine gratia numquam elici possit. Nam homini sine gratia moraliter possibile est intellectu cognoscere Deum esse summum bonum proindeque omnibus praeferendum seque legibus eius obstrictum; ergo ei etiam moraliter possibile est voluntate Deum omnibus praeferre et decernere, leges eius naturales observare, licet ipsi sine gratia moraliter possibile non sit eas re diu observare. Nam propositum habere non est tam difficile, quam id peragere, ut ratio et experientia docet. Praeterea propositum firmum haberi potest, quin de difficultate id peragendi actu cogitetur, a fortiori, quin ad difficultates particulares attendatur. Nihil igitur obstare videtur, quominus homo tempore, quo perturbatione ac tentatione vacuus est, eiusmodi actum sine gratia sincere elicere possit. Si homo viribus naturae Deum super omnia efficaciter diligere potest, etiam ex motivo huius dilectionis de peccatis summe dolere potest. Eo tamen dolore remissionem peccatorum non obtineri apertum est.

Pro sententia negante praeter alia hoc afferri solet: Potentiae infirmae atque in bonum proprium bono divino contrarium curvatae moraliter impossibile est erga Deum exercere actum praestantissimum potentiae sanae, nisi sanetur. Sed voluntas hominis lapsi infirma est atque in bonum proprium curvata, dilectio vero, de qua agitur, perfectissimus actus est, qui ab homine poni possit.

---

[1] 1, 2. q. 109. a. 3. c.

Huic *opponitur* hominem in statu naturae lapsae ad operandum bonum intrinsecus non esse debiliorem, quam esset in statu naturae purae.

§ II. *Quid homo sine gratia non possit.*

THESIS. **Cuilibet homini sine gratia actuali non quidem physice, tamen moraliter impossibile est totam legem naturae diu servare.**

Certum est, ut patet ex Trid. sess. 6. cap. 13: Formidare enim debent (iustificati)... de pugna, quae superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti etc.

Negatum fuit a Pelagianis.

Explicatur. 1. *Moraliter impossibile* hic idem est ac valde difficile, immo tam difficile, ut a nullo peragatur.

2. *Totam legem naturae servare* est omnia eius praecepta collective sumpta servare idque quoad substantiam operum tantum seu modo naturaliter honesto.

Implere praeceptum actu salutari ac meritorio dicitur implere illud etiam quoad modum, quia iste modus respondet divinae voluntati. Prop. 61. Baii [1].

3. Quid sibi velit « *diu* », accurate determinari nequit. Iuxta aestimationem hominum ille diu servat legem, qui eam per plures menses vel etiam annos observat.

4. Gratia, quae ad legem naturae diu servandam ex rei natura requiritur, est gratia naturalis quoad substantiam, supernaturalis quoad modum seu *gratia solum medicinalis*, i. e. naturam roborans vel sanans, non elevans. Ea est illustratio intellectus et inspiratio voluntatis, quae quidem a Deo praeter ordinarium cursum naturae datur, tamen ordinem naturae non transcendit.

Hac gratia intellectui bonum sequendum vel malum fugiendum melius ac fortius repraesentatur et in voluntate inclinatio ad illud faciendum vel hoc vitandum maior oritur, quam secundum ordinarium naturae cursum et per meram industriam humanam fieri potest.

---

[1] Denzinger, 941.

Quamquam haec ex natura rei sufficit, tamen, ut omnes docent, fidelibus ad legem naturae servandam saepius datur gratia supernaturalis quoad substantiam, atque haec illis tum data esse merito existimatur, cum gravi tentationi legem naturae transgrediendi ex motivo supernaturali resistunt.

Utrum vero ad legem naturae diu servandam ex positiva Dei ordinatione gratia supernaturalis quoad substantiam semper et omnibus, tam infidelibus quam fidelibus necessaria sit, controversum est, plurimis id negantibus.

Ripalda et Wirceburgenses id affirmant, Suarez, Gotti plurimique alii id negant. Iuxta illos igitur Deus aut gratiam elevantem confert aut nullam, iuxta hos confert gratiam modo elevantem modo mere roborantem idque prout ipse vult vel conditioni hominis convenit.

Probatur: I. Ex Scriptura.

1. Sap. 8, 21: *Ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens* (ἐγκρατής), *nisi Deus det... adii Dominum et deprecatus sum illum.* — Qui continens non est, violat legem naturae. Qui igitur sine gratia continens esse non potest, neque sine gratia legem naturae servare potest.

2. Rom. 7, 18. 19. 23. 24: *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago... Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.*

His verbis s. Paulus docet

1. maximam esse difficultatem omne naturaliter honestum peragendi seu legem naturae observandi. Sermonem enim esse de lege naturae ex eo patet, quod in textu citato lex ab Apostolo vocatur « lex mentis meae »;

2. eam difficultatem oriri non ex altitudine finis seu supernaturalitate actus, sed ex repugnantia concupiscentiae seu vulneribus naturae;

3. eam difficultatem non superari nisi gratia Dei.

II. Ex Traditione.

1. *S. Augustinus* in toto libro *de spiritu et littera* id docet et probat.

2. *Coelestinus I.* ad episcopos Galliae scribit neminem etiam baptismatis gratia renovatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseverantiam bonae conversationis acceperit [1].

III. Ex ratione et experientia.

1. Praecepta legis naturae multa ac diversa et aliqua eorum difficilia sunt, occasiones ea transgrediendi plurimae ac variae sunt, tentationes tum a mundo tum a carne tum a diabolo excitatae saepe vehementes, saepe diuturnae sunt. Hinc, ut tota lex naturae diu servetur, tanta circumspectione et fortitudine et perseverantia opus est, quantam homines numquam exhibent.

2. Inter ethnicos aliqua vitia tam vulgaria erant, ut vix inter vitia numerarentur.

Praeterea optimi gentilium vix ab omni vitio immunes esse solebant.

Corollaria. 1. **De tentationibus.** Cuilibet homini lapso usum rationis diu habenti tentationes legem naturae violandi tam graves occurrunt, ut ei sine gratia actuali moraliter impossibile sit, has omnes modo naturaliter honesto superare. Nam si homo sine gratia omnes tentationes superare posset, etiam sine gratia legem naturae diu servare posset. — Praeterea s. Paulus scribit [2]: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* — Et alibi [3]: *Tentatio vos non apprehendat nisi humana: fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* — Ergo sine armatura Dei et nisi Deus faciat proventum, sustinere non possumus. Neve dicatur id solum valere de tentationibus, quae sollicitent ad peccandum contra virtutes supernaturales e. gr. contra fidem. Nam hoc gratis asseritur, et s. Paulus ante et post verba citata loquitur de peccatis, quae lex naturae vetat, sc. de idololatria, fornicatione, murmuratione.

2. **De vitandis peccatis mortalibus.**

---

[1] Denzinger, 90.
[2] Ephes. 6, 11.
[3] I. Cor. 10, 13.

Cuilibet homini lapso sine gratia actuali moraliter impossibile est diu vitare omnia peccata mortalia. Nam si hoc posset, etiam legem naturae simpliciter servare posset, quia solus ille hanc simpliciter non servat, qui contra eam committit peccatum grave.

Nota. Quas veritates homo naturaliter potentia sive physica sive morali cognoscere non possit, pertractatur in theologia generali.

QUAESTIO. **Utrum ad legem naturalem quoad substantiam diu servandam gratia actualis sufficiat, an etiam gratia santificans moraliter necessaria sit?**

Gratiam sanctificantem teste Suarez ad illud *non requisierunt multi scholastici*, inter quos eminent s. Bonaventura et Richardus de Mediavilla.

S. Bonav. [1]: « Si loquamur de impletione mandatorum quantum ad genus operis, sic *per gratias gratis datas* contingit ea impleri, sicut per fidem mandatum de adoratione et per quandam naturalem pietatem et devotionem mandatum de parentum honoratione et sic de aliis ».

Richardus [2]: « Respondeo, quod implere mandata dupliciter potest intelligi, aut quantnm ad essentiam operis tantum aut quantum ad essentiam operis et formam et intentionem praecipientis simul. Primo modo liberum arbitrium nisi esset infirmatum per peccatum, posset per sola naturalia supposita generali motione primi moventis mandata legis implere. Sed liberum arbitrium peccato corruptum hoc non potest sine *gratia saltem gratis data* ».

Sed *longe plurimi* gratiam sanctificantem ad illud *requirunt* idque *aut ex natura rei* per accidens, sc. ad removendam instabilitatem liberi arbitrii a Deo aversi et ad creaturas inordinate conversi, *aut ex positiva Dei ordinatione*, qui gratias actuales ad diu observandam legem naturae ordinarie non det nisi iustis. Prius docet s. Thomas, alterum Suarez.

S. Thomas [3]: « In statu naturae corruptae indiget homo gratia habituali sanante naturam ad hoc, quod omnino a peccato abstineat... Cum enim homo non habet cor suum firmatum in Deo, ut pro nullo bono consequendo vel malo vitando ab eo separari vellet, occurrunt multa, propter quae consequenda vel vitanda homo recedit a Deo, contemnendo praecepta ipsius, et ita peccat mortaliter ».

Suarez [4]: « Probabilius etiam est ex lege Dei non dari auxilium hoc proxime sufficiens (sc. gratiam actualem) ad vitanda omnia peccata longo

---

[1] 2. 680.
[2] l. 2. d. 28. a 1. q. 3.
[3] 1, 2. q. 109. a. 8. C.
[4] De gratia l. 1. C. 27. n. 18.

tempore, nisi hominibus iustificatis; atque hoc modo gratiam habitualem esse necessariam ad vitanda diu peccata contra legem naturalem, non ut proximum auxilium ad id necessarium, sed ut principale fundamentum et ratio obtinendi tale auxilium ».

Non desunt, qui opinionem hanc affirmantem dicant satis communem, ut Henno [1], immo communem ut Tepe [2], cum alii e. g. Schiffini [3] eam solum ut probabiliorem, alii e. g. Wirceburgenses [4] ut probabilem proponant.

Pro hac sententia praeter rationem s. Thomae supra citatam vel aliam similem afferuntur sequentia:

1. De hac gratia loqui videtur *s. Paulus*, quando ait [5]: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* — Nam hanc gratiam immediate in toto cap. seq. declarat per attributa propria gratiae sanctificantis.

2. *S. Augustinus* [6] docet mandata non occidendi, non moechandi, non falsum testimonium dicendi et si qua huiusmodi ad bonos mores pertineant, impleri non posse nisi *caritate* et spe bonorum aeternorum.

3. *Experientia* constat vix ullum hominem in uno peccato gravi subsistere et tentationes alia committendi constanter vincere.

§ III. *Quid homo etiam cum gratia non possit.*

Thesis I. **Omni homini, etiam iusto et gratiis actualibus adiuto sine speciali privilegio moraliter impossibile est diu vitare omnia peccata venialia saltem subreptitia.**

De fide contra Pelagianos ex Trid. sess. 6. can. 23: Si quis hominem semel iustificatum dixerit... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia, a. s.

Nota. In "tota vita" iuxta communem theologorum interpretationem hic idem est ac per spatium temporis sat diuturnum, quia alioquin sensus canonis ineptus esset. Esset autem ineptus,

---

[1] tom. 1. tract. 4. disp. 2. q. 5. a. 4.

[2] vol. 3. n. 44: « Iuxta legem ordinariam soli iusti legem naturae diu observant ». Ita communiter theologi cum S. Thoma.

[3] De gratia div. n. 98, IV.

[4] Disp. de gratia actuali cap. 2. a. 5. obi. 2. resp. 3.

[5] Rom. 7, 24. 25.

[6] Explic. ep. ad Gal. n. 62.

quia tunc non liceret tenere, ethnicum e. g. tribus horis ante obitum conversum atque iustificatum per illas tres horas id posse et econtrario liceret tenere, hominem octogenarium, qui vitam ab infantia in statu gratiae degit, id potuisse e. g. per sexaginta annos.

Explicatur et determinatur. 1. *Peccata subreptitia* ea sunt, quae sine perfecta deliberatione committuntur. Vocantur quoque semideliberata.

2. Vitare eiusmodi peccata singula seu distributive sumpta moraliter impossibile non est; sed diu vitare ea *omnia collective sumpta* moraliter impossibile est.

3. Diu vitare omnia peccata venialia perfecte deliberata collective sumpta homini iusto gratia actuali adiuto saltem probabiliter sic impossibile non est.

Quod tenere canone praedicto sine dubio non vetamur, cum definitiones Conciliorum obligationem fidei non inducant nisi iuxta interpretationem verborum minus amplam atque omnino necessariam.

4. Quantum *temporis spatium* respectu singulorum hominum hac in re *diuturnum* sit, pendet ex variis circumstantiis, ut aetate, indole, statu vitae atque occupatione etc., unde nullatenus definiri potest. S. Thomas solum audet dicere [1] « quod illud verbum non est intelligendum, quin aliqua hora possit homo esse absque omni reatu peccati venialis ».

Probatur: I. Ex Scriptura. S. Iacobus scribit (3, 2): *In multis enim offendimus* (πταίομεν) *omnes.* — Πταίειν significat pedem offendere, vacillare. — Econtra s. Ioannes [2] dicit: *Omnis, qui in eo* (Christo) *manet, non peccat* (ἁμαρτάνει). — Ἁμαρτάνειν significat aberrare. — S. Ioannes igitur agit de peccatis gravibus, s. Iacobus de levibus. Sed non omnes haec committerent, si ea vitare moraliter possibile esset.

II. Ex Patribus. *S. Hieronymus* scribit contra Pelag. [3]: « Quamdiu ille finis adveniat... necesse est nos subiacere peccato ». — *S. Augustinus* [4] ait: « Nec quisquam eorum (nempe sanctorum) tam arroganter insanit, ut non sibi pro suis qualibuscumque peccatis Dominica oratione opus esse arbitretur ».

---

[1] 3, q. 79. a. 4. ad 2.
[2] 1. Io. 3, 6.
[3] l. 2. n. 30.
[4] De peccat. merit. et remiss. c. 13. n. 18.

III. Ex ratione et experientia. Radix huius impotentiae est multiplex, praesertim

1. corruptio appetitus sensitivi, cuius motus sunt creberrimi, ita ut, dum uni resistitur, non raro alius insurgat;

2. frequentia occasionum, quae motus inordinatos excitant;

3. imperfectio iudicii, quod neque honesti praestantiam neque inhonestatem sensualium semper satis advertit;

4. mutabilitas et inconstantia liberi arbitrii;

5. labor resistentiae et inde orta defatigatio, qua fit, ut quis e. g., eo quod coactus est ad iterum ac saepius resistendum tentationi valde molestae, incidat in impatientiam aut pusillanimitatem. Ex quibus omnibus oritur tanta difficultas numquam offendendi, ut illa a nullo superetur; sicut etiam e. g. viator, cui per viam salebrosam incedendum est, interdum pedem offendere non vitabit.

THESIS II. **Speciale privilegium numquam peccandi B. M. V. concessum est.**

Fide certum ex can. 23. sess. 6. Trid. supra citato.

Explicatur. Beata Virgo per absentiam fomitis seu immunitatem a concupiscentia et per copiam gratiarum adeo confirmata fuit in iustitia, ut numquam ullum peccatum commiserit sive mortale sive veniale, sive deliberatum sive subreptitium.

Haec impeccantia Mariae concessa est propter merita Christi, ipsius Filii, et in illa magis externa fuit, quam in hoc, in quo propter divinam hypostasim omne peccatum repugnat.

Probatur *generatim* iisdem argumentis, quibus B. Virginis conceptio probatur, *speciatim* e. g. ex testimonio *s. Thomae*, qui ait [1]: « Quia Beata Virgo Maria mater Filii Dei facta est, de Spiritu Sancto concipiens, decuit, ut excellentissima puritate mundàretur, per quam congrueret tanto Filio; et ideo credendum est, *eam ab omni labe actualis peccati immunem fuisse*, non tantum mortalis sed etiam venialis, quod nulli sanctorum convenire potest ».

Scholion.

1. Ss. Basilius, Chrysostomus, Cyrillus Alex. perperam iudicarunt B. Virginem interdum suis officiis defuisse.

---

[1] Comp. theol. c. 224. cf. 3, q. 27. a. 4.

2. Speciale illud privilegium de aliquo alio admittendum esse non videtur, quia exceptio a generalibus locutionibus s. Scripturae sine auctoritate eiusdem vel ss. Patrum vel Ecclesiae facienda non est.

3. Licet tamen ob varias congruentias tenere s. Ioseph in materia castitatis, praesertim post matrimonium cum Beata Virgine initum, nec venialiter peccasse nec motus concupiscentiae habuisse.

ARTICULUS III.

DE NECESSITATE GRATIAE AD PERSEVERANTIAM.

I. Perseverantia est permansio in statu gratiae sanctificantis. Dividitur 1. in finalem et temporalem; illa est usque ad mortem, haec non est usque ad mortem;

2. in activam et passivam. Prior exercitium operum salutarium requirit, altera non requirit.

II. Gratia actualis interna 1. necessaria non est ad perseverantiam passivam. Ea est perseverantia finalis tum omnium rationis expertium, tum eorum ratione praeditorum, qui brevi post acceptam gratiam sanctificantem moriuntur.

2. necessaria est ad perseverantiam activam. Ea est perseverantia diuturna omnium ratione utentium, sive est temporalis sive finalis.

III. Omnis perseverantia finalis insigne beneficium est. Nam omnes ea donati benignissimae providentiae divinae debent, quod mors sibi accidit, cum sunt in statu gratiae sanctificantis, seu quod mors non accidit, aut antequam gratiam sanctificantem obtinuerunt aut postquam eam amiserunt.

THESIS. **Homo ratione praeditus in gratia sanctificante diu permanere non potest sine gratia actuali.**

De fide contra Semipelagianos ex Trid. sess. 6. can. 22: Si quis dixerit iustificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseverare posse vel cum eo non posse, a. s.

Explicatur. Speciale auxilium secundum longe plurimos non est auxilium extraordinarium a communi gratia actuali distinctum, sed est ipsa gratia actualis vel summa gratiarum actualium. Vocatur auxilium speciale, ut distinguatur a gratia sanctificante, quae etiam quoddam auxilium est seu quodammodo corroborat.

Theologi tempore Concilii Tridentini viventes omnem gratiam actualem vocare solebant auxilium vel adiutorium speciale, ut e. g. videri potest in opere Andreae Vega *de iustificatione.*

Probatur: I. Ex Scriptura. 1. In *Vet. Test.* Deus se largitorem perseverantiae exhibet, ut Ier. 32, 40: *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me.*

2. In *Nov. Test.* Christus perseverantiam pro discipulis suis implorat, Io. 17, 11: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.*

II. Ex Traditione. 1. *S. Aug.* id ostendit in libro *de dono perseverantiae;* — 2. *Araus. II.* can. 10. ait: Adiutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire vel in bono possint opere perdurare [1].

III. Ex ratione theologica. Gratia actualis physice necessaria est ad ponendos actus salutares. Ii autem iuxta praeceptum Dei vel Ecclesiae interdum ponendi sunt. Gratia actualis moraliter necessaria est ad totam legem naturalem diu servandam. Ergo eadem gratia necessaria est ad diu perseverandum.

Scholion.

Donum confirmationis in gratia (sc. sanctificante) a dono perseverantiae finalis secundum Suarez non *distinguitur* essentialiter, sed tantum accidentaliter et quidem ut gradus superior a gradu inferiore. Confirmati enim in gratia saepius habent gratiam sanctificantem intensiorem et semper accipiunt gratias actuales efficaciores, quam ceteri. Hoc donum certe concessum est Beatae Virgini, sed praeter eam solummodo paucis; iuxta sententiam communem s. Ioanni Baptistae et ss. Apostolis idque die Pentecostes.

APPENDIX.

DE NECESSITATE GRATIAE IN STATU INNOCENTIAE ET NATURAE PURAE.

I. *In statu innocentiae* 1. gratia *medicinalis* necessaria *non* erat, quia in eodem non erant vulnera animae, quibus esset medendum;

---

[1] Denzinger, 153.

2. gratia *elevans* absolute necessaria erat eaque *a)* illustrationis, quod certum est; *b)* etiam inspirationis, quod satis communiter tenetur contra paucos, ut Petavium et Tricassinum. Homines enim in illo statu actus supernaturales ponere debebant, praesertim actus virtutum theologicarum et cultus Dei per fidem cogniti, ad quos actus gratia actualis physice necessaria erat. Et quia gratia ad eos actus ab hominibus necessario ponendos requirebatur, etiam requirebatur ad perseverantiam. Quod et aperte docet *Arausic. II.* can. 19. dicendo: Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam creatore suo non adiuvante servaret [1].

Insuper etiam pro homine innocenti beneficium insigne seu donum speciale fuisset, si ante lapsum ad aeternam beatitudinem fuisset translatus.

II. E contrario *in statu naturae purae,* si hic esset, homini gratia tantum quoad modum supernaturalis seu *roborans* necessaria esset idque moraliter et ad diu servandam legem naturae.

CAPUT III.

DE LARGITIONE GRATIAE.

ARTICULUS I.

DE CAUSA MOTIVA LARGITIONIS GRATIAE.

PROPOSITIO GENERALIS. **Nulla gratia hominibus datur propter actus eorum naturales, sed omnis gratia post lapsum protoparentum illis datur propter merita Christi.**

Gratia homini propter actum naturalem dari posset, si ille per hunc posset aut gratiam *mereri* aut eam *impetrare* aut *se* ad eam *positive disponere.* Sed nullum ex his locum habet; econtra gratia est omnino gratuita.

Propositio est *de fide* ex ordinario atque universali magisterio Ecclesiae et ex decisionibus plurium synodorum, imprimis Arausicanae II. a tota Ecclesia acceptae.

---

[1] Denzinger, 162.

Explicatur et probatur thesibus specialibus.

THESIS I. **Homo per naturalem actum gratiam non potest mereri.**

Explicatur: Homo per naturalem actum gratiam non potest mereri sive *de condigno* sive *de congruo*, i. e.: gratia homini propter actum naturalem divinitus dari non debet sive ex iustitia sive ex decentia vel aequitate quadam. Illud perperam docuerunt Pelagiani, hoc Semipelagiani.

Probatur: I. Ex Scriptura. Rom. 11, 6: *Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia;* et 35: *Quis prior dedit illi* (Domino), *et retribuetur ei?*

II. **Ex traditione et doctrina Ecclesiae.** Araus. II. can. 18: Debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant [1].

III. **Ratione.** Inter naturale et supernaturale non est proportio.

THESIS II. **Homo in praesenti rerum ordine per naturalem precationem gratiam non potest impetrare.**

Explicatur: 1. Homo per precationem sine gratia factam Deum movere non potest, ut sibi gratiam det *propterea quod* eam petat.

2. Additur: *in praesenti rerum ordine*, quia in alio providentiae ordine creatura per naturalem precationem gratiam impetrare posset, si scil. illa precatio a Deo in eum finem acceptaretur, quod certe fieri potest.

Negatum fuit a *Semipelagianis.*

Probatur ex Traditione et sensu Ecclesiae: 1. *Ex constanti doctrina ss. Patrum*, qui asserunt nos in ordine salutis non praevenire gratiam, sed gratiam praevenire nos.

—S. Aug. citatis Rom. 8, 15. 26. 27. et Gal. 4, 6. ita concludit: « Ubi intelligimus, et hoc ipsum esse donum Dei, ut veraci corde et spiritualiter clamemus ad Deum. Attendant ergo, quomodo falluntur, qui putant esse a nobis, non dari nobis, ut petamus etc. ».

2. *Ex Araus. II.* can. 3.: Si quis per invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isaiae prophetae

[1] Denzinger, 161.

vel Apostolo idem dicenti [1]: Inventus sum a non quaerentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant [2].

THESIS III. **Homo per actum naturalem ad gratiam non potest positive se disponere.**

Explicatur: Sensus est: Homo per actum sine gratia positum ad gratiam accipiendam nequit *se reddere idoneum.*

Probatur: I. Ex Traditione et doctrina Ecclesiae.

Araus. II. can. 6: Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus etc. nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus vel haec omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem et inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur... resistit Apostolo dicenti [3]: Quid habes, quod non accepisti? et [4]: gratia Dei sum id quod sum [5].

Qui vero sine gratia quidquam illorum praestare non potest, sine ea seu naturaliter ad gratiam se *positive* disponere *non potest.*

II. Ratione. Ubi positiva dispositio est, ibi respondens forma naturaliter exigitur; sed supernaturale a naturali exigi non potest.

Corollarium. Homo solis viribus naturae ad gratiam *negative se disponere potest* eo sensu, quod iisdem viribus potest multa peccata non committere, pravos habitus non contrahere et sic gratiae pauciora et minora impedimenta afferre.

Dicitur pauciora et minora impedimenta afferre, non dicitur impedimentum nullum afferre vel aliquod tollere, quia quilibet homo gratia destitutus impedimentum gratiae habet neque ipse hoc tollere potest.

Scholia.

I. Gratuitati gratiae *non adversatur* assertio omnino vera eius largitionem saepe allegari condicionibus vel occasionibus naturalibus.

II. Axioma communiter receptum est: *Facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam.* Hoc explicandum est

---

[1] Rom. 10, 20.
[2] Denzinger, 146.
[3] 1. Cor. 4, 7.
[4] 1. Cor. 15, 10.
[5] Denzinger, 149.

1. de eo, qui bene utitur *gratia*, quam divinitus accepit; illi enim propter hoc gratia ulterior dabitur;

2. etiam de eo, qui bene utitur *facultatibus suis naturalibus*, dummodo quaelibet *interna connexio* inter illum usum et collationem gratiae *excludatur* seu modo ne sentiatur gratiam dari *propter* illum usum.

III. *Patres graecos*, in his s. Chrysostomum, eandem gratiae gratuitatem docuisse, quod a quibusdam etiam catholicis negatum vel in dubium vocatum fuit, probari potest:

1. *positive*:

a) In eorum scriptis testimonia *eandem doctrinam* exhibentia inveniuntur, quae Isaac Habert in sua Theologia Patrum graecorum vindicata collegit. S. *Chrysostomus* e. g. scribit [1]: « In gratia Dei totum possumus, sine gratia autem nihil ».

b) Doctrina *contraria* etiam *in Oriente damnata est*, idque in pluribus conciliis, e. g. Diospolitano (a. 415.) et oecumemico Ephesino (a. 431.), quod certe non fuisset factum, si illa doctrina a Patribus graecis fuisset tradita.

2. *negative:* (demonstrando verba, quae contrarium exprimere videntur, non obstare).

a) Eaedem phrases, ob quas Patres graeci erroris accusantur, etiam reperiuntur in scriptis Patrum *latinorum*, de quorum orthodoxia nemo dubitat, e. g. ss. *Hilarii*, *Ambrosii*, *Hieronymi*, immo in ipsa s. Scriptura [2].

b) Patres graeci saepe disserunt contra *docentes fatum* ac negantes libertatem humanam; unde contra illos hanc extollunt, sicut econtra s. Augustinus contra impugnantes gratiam gratiam extollit.

c) Iidem nomine gratiae interdum intelligunt vel gratiam *sanctificantem* vel gratiam *actualem* non communem, sed *specialem* seu uberiorem.

THESIS IV. **Omnis gratia, quae hominibus post lapsum protoparentum datur, iis datur propter merita Christi.**

Probatur ex Scriptura. Rom. 3, 24: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu.*

---

[1] hom. 29. in Matth.

[2] 1. Paral. 28, 9; Sap. 6, 17; Zach. 1, 3; Iac. 4, 8.

Corollarium. Ob eam causam gratia post lapsum protoparentum hominibus concessa vocari solet *gratia Christi* vel gratia *Redemptoris*, cum gratia et Angelis et protoparentibus ante lapsum data appellari soleat gratia *Dei* vel gratia *Conditoris*. Ab iis vero, qui contendunt Verbum naturam humanam assumpturum fuisse, etiamsi Adam non peccasset, atque etiam Angelis et protoparentibus innocentibus gratiam fuisse datam propter Christum, prior gratia vocatur gratia *Christi Redemptoris*, altera dicitur gratia *Christi Capitis*.

ARTICULUS II.

DE AMBITU ET MODO LARGITIONIS GRATIAE.

PROPOSITIO GENERALIS. **Omnibus hominibus ratione utentibus gratia necessaria datur, ut aeternam salutem consequi possint.**

Explicatur: Dicitur 1.: *ratione utentibus* ad excludendum infantes et perpetuo amentes; *omnibus*, quod communiter tenetur contra paucissimos, ut Bannez et Gonet [1], qui docent quosdam homines in poenam peccati ab iis commissi gratia omnino privari;

2. *gratia;* cui voci consulto non additur: supernaturalis quoad substantiam seu elevans, ut sub ea etiam gratia supernaturalis quoad modum seu mere medicinalis comprehendi possit; idque non additur propter infideles, quorum multis gratia elevans fortasse numquam datur, quia gratia mere medicinali, quae iis data fuit, usi non sunt;

3. *necessaria*; non dicitur tantum necessaria. Multis enim plures et efficaciores gratiae dantur, quam ad salutem consequendam necessariae sunt. Cuilibet vero talis ac tanta gratia datur, ut is, si salvus non fit, hoc sibi ipsi imputare debeat.

Deducitur: 1. Ex voluntate Dei salvandi omnes, quae docetur e. g.. 1. Tim. 2, 4: *Qui* (Deus) *omnes homines vult salvos fieri.*

2. Ex redemptione omnium hominum a Christo facta, quae asseritur e. g. 1. Tim. 2, 6: *Qui* (Christus Iesus) *dedit*

---

[1] Clypeus theol. Thom. tom 2. disp. 5. a. 5. § 1.

redemptionem semetipsum pro omnibus. — Si enim Deus vult omnes homines salvos fieri, atque si Christus omnes redemit, etiam omnibus gratia datur, sine qua salvi et redemptionis Christi participes fieri non possunt.

Applicatur ad diversa hominum genera thesibus specialibus.

Thesis I. **Omnibus iustis gratia sufficiens datur ad omnia mandata servanda et ita salutem consequendam.**

De fide ex Trid. sess. 6. can. 18: Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam iustificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, a. s.; — et ex damnatione propositionis primae Iansenii, quae sic sonat: Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus secundum praesentes, quas habent, vires sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant [1].

Explicatur: 1. *Iusti* sunt homines, qui sunt in statu gratiae sanctificantis.

2. Licet ad servanda mandata legis naturae per se sufficiat gratia naturalis quoad substantiam, supernaturalis quoad modum, reapse tamen in praesenti elevationis ordine iustis sicut et aliis fidelibus iuxta alios semper, iuxta alios *saepius* datur gratia *supernaturalis quoad substantiam*, qua mediante legem naturae supernaturaliter seu salutariter observare possint. Nam ordinatio Dei est, ut homines etiam per observantiam legis naturae ad vitam aeternam tendant.

3. Gratia sufficiens, quae iustis datur,

a) ex una parte est *vere et relative sufficiens:* relative i. e. comparate ad omnia singulorum hominum adiuncta tam interna, quam externa;

b) ex altera parte non semper est proxime sufficiens [2], sed *saepe* est *remote sufficiens* [3]. Gratia vero proxime sufficiens est ea, quae immediate conducit ad mandata servanda. Econtra gratia remote sufficiens ea est, quae immediate non conducit ad servandum mandatum, sed ad faciendum aliquid *aliud*, unde collatio gratiae ad mandatum servandum proxime sufficientis dependet. Illud *aliud* interdum est mortificatio, eleemosyna etc.,

---

[1] Denzinger, 966.

[2] unmittelbar hinreichend.

[3] mittelbar hinreichend.

plerumque est imploratio divini auxilii, unde gratia remote sufficiens etiam gratia orationis vocatur, cum gratia proxime sufficiens vocetur gratia operationis.

Illustratur exemplo. Homo in gratia sanctificante constitutus ad violandum aliquod mandatum graviter tentatur. Ei immediate non datur supernaturalis virtus tentationem superandi, sed inclinatio illam virtutem exorandi. Si hanc inclinationem divinitus immissam sequitur et enixe ac devote orat, ei etiam dabitur virtus tentationem superandi. Gratia igitur orationis respectu tentationis superandae est remote sufficiens, gratia vero, qua immediate inclinatur atque roboratur ad tentationem vincendam, est proxime sufficiens.

4. Gratia sufficiens homini iusto *saltem* tum datur, cum obligatus est ad ponendum actum supernaturalem, ad quem ponendum gratia physice necessaria est, aut cum exagitatur tentatione, ad quam vincendam gratia moraliter necessaria est.

Probatur: I. Ex Scriptura. 1. Cor. 10, 13: *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.*

II. Ratione theologica: Iusti sunt amici et filii adoptivi Dei, membra Christi, haeredes vitae aeternae. Sed verisimile non est Deum iis, qui tam arcte sibi coniuncti sunt, si graviter tentantur, gratia saltem necessaria non succurrere.

Conclusio. Quodsi omnibus iustis gratia sufficiens datur ad servanda mandata et ita consequendam salutem, iisdem eo ipso, ut per se patet, datur quoque gratia sufficiens *ad perseverandum.*

THESIS II. **Omnibus peccatoribus gratia sufficiens datur ad resurgendum e statu peccati.**

Explicatur: 1. *Peccatores* hic intelliguntur ii, qui aliquando fuerunt in statu gratiae sanctificantis, qui igitur habitum fidei aut adhuc possident aut saltem iam possederunt. Dividuntur in eos, qui communes et in eos, qui obcaecati atque obdurati dicuntur. Peccatores, qui *communes* dicuntur, ii sunt, qui quidem per actuale peccatum mortale gratiam sanctificantem amiserunt, tamen timorem Dei habitualiter non penitus amittunt. *Obcaecati* dicuntur ii, qui res ad salutem spectantes perverse iudicare solent, ita ut falsa pro veris, mala pro bonis, nociva pro salutaribus habeant et vice versa. *Obdurati* dicuntur ii, qui tam firmiter et obstinate adhaerent malo, ut neque exter-

nis monitis, neque internis inspirationibus dimoveantur. Describuntur Sap. 2. et Is. 5, 20 sqq.

2. Gratia conversionis sufficiens, quae peccatoribus datur, non semper est proxime, sed *saepe* est tantum *remote sufficiens;* praecipue est gratia orationis. Qua si peccatores bene utuntur, certe accipient gratiam conversionis proxime sufficientem, nempe gratiam immediate moventem ad supernaturalem attritionem vel contritionem etc.

3. Peccatoribus gratia conversionis non continuo datur, sed, ut exprimi solet, *pro loco et tempore* (nach Zeit und Umständen), idque aliis magis, aliis minus frequenter. Tempus vero, quo gratia interna conversionis divinitus dari solet, imprimis illud est, quo etiam gratia externa conceditur, e. g. praedicatio verbi divini, bonum exemplum proximi, insigne beneficium Dei, vel e contrario tribulatio seu calamitas. Haec enim omnia providentiae divinae subiecta sunt et ad salutem hominum ordinata, unde et eiusdem providentiae est cum iis coniungere gratiam internam, sine qua illa effectum intentum sortiri nequeunt. Interdum vero gratia interna etiam tum datur, cum gratia externa praesto non est.

Determinatur: 1. Omnibus iis peccatoribus, qui *communes* dicuntur, sufficientem gratiam conversionis pro loco et tempore concedi, omnino *certum est* et spectat ad doctrinam catholicam assertam in Araus. II. can. 25 dicente: « Secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati, quae ad salutem pertinent, possint et debeant (si fideliter laborare voluerint) adimplere[1] ».

2. Aliquibus peccatoribus *obcaecatis et obduratis* eam gratiam concedi, pariter certum est neque ab ullo catholico negatur; iis *omnibus* eandem concedi seu nulli eorum ratione utenti eam penitus denegari, *satis communiter tenetur* contra paucissimos, ut Bannez et Gonet. — Ex altera tamen parte aeque certum est iis multas gratias conversionem excitantes, quae aliis peccatoribus concedi solent, denegari; et verisimile est aliquibus eorum gratias tantum remote sufficientes concedi.

Probatur: **I. Ex Scriptura.** 1. Generatim quoad *omnes* peccatores Ezech. 33, 11: *Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo*

[1] Denzinger, 169.

mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat. — Peccator autem converti et vivere nequit sine gratia; ergo haec ei datur. 2. Speciatim quoad peccatores *obduratos* Rom. 2, 4. 5: *An divitias bonitatis eius et patientiae et longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae.* — Quae verba omnibus eius generis peccatoribus dicta sunt.

II. Ex Traditione. *S. Augustinus*[1]: « De quocumque pessimo in hac vita constituto non est utique desperandum nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur ».

III. Rationibus theologicis imprimis quoad obduratos, quae rationes desumuntur:

1. *Ex parte Dei. a)* Iuxta 1. Tim. 2, 4. Deus *vult* omnes homines *salvos fieri;* ergo et peccatores, etiam obduratos; ergo iis quoque dat gratiam, sine qua converti non possunt. *b)* Deus *obligat* omnes peccatores, ut *convertantur;* sed si aliqui eorum omni gratia carerent, Deus iis aliquid impossibile imperaret.

2. *Ex parte hominis. a)* Quilibet homo, quamdiu vivit, est *viator;* sed viatoris est, ad terminum pervenire posse; ergo repugnat alicui homini gratiam denegari, sine qua ad terminum pervenire non potest. *b)* Omnes homines salutem firmiter *sperare* debent; sed si aliquibus peccatoribus obduratis omnis gratia conversionis denegaretur, ii salutem rationabiliter sperare non possent; et cum nullus huiusmodi peccator certus sit se non esse ex iis miseris, nec quisquam firmiter sperare posset.

3. *Ex parte Ecclesiae.* Ecclesia omnes peccatores obligat, ut singulis annis *sacramenta recipiant;* sed si aliquibus omnis gratia deesset, Ecclesia eos obligaret ad sacrilegia committenda.

Scholion.

1. *Impossibilitas* conversionis, quam s. Scriptura et ss. Patres de obduratis docere videntur, aut est impossibilitas *hypothetica,* orta ex voluntate humana, quae malo firmiter adhaerere vult, aut est impossibilitas *moralis* i. e. magna diffi-

[1] Retract. l. 1 c. 19.

cultas. — 2. Deus excaecare et obdurare dicitur eo sensu, quod *gratias abundantiores denegat*, quibus excaecatio et obduratio impediri possit.

THESIS III. **Omnibus peccatoribus gratia sufficiens datur ad servanda praecepta et vitanda alia peccata saltem gravia.**

Haec thesis respectu diversorum peccatorum eundem gradum certitudinis habet ac praecedens.

Explicatur: 1. Gratia, quae saepe non est nisi remote sufficiens, peccatori saltem tum datur, cum obligatus est ad ponendum actum supernaturalem e. g. fidei vel attritionis coniunctae cum susceptione sacramenti, ad quem ponendum gratia physice necessaria est, aut cum exagitatur tentatione, ad quam vincendam gratia moraliter necessaria est.

2. Ii theologi, qui docent ad diu perseverandum in observatione mandatorum sine lapsu gravi gratiam sanctificantem requiri, dicunt gratiam actualem conversionis, quae immediate valet ad gratiam sanctificantem acquirendam, mediate valere ad peccata mortalia diu vitanda. Ii vero, qui illud negant, docent omnibus peccatoribus etiam concedi gratias actuales immediate sufficientes ad mandata diu servanda.

Probatur: **I. Ex Scriptura.** Matth. 11, 30: *Iugum enim meum suave est et onus meum leve.* — 1. Io. 5, 3: *Mandata eius* (Dei) *gravia non sunt.* — Verba tam Christi, quam Apostoli generatim atque omnibus dicta sunt, ideoque etiam respectu peccatorum valent. Sed urgente gravi tentatione vera non essent, nisi tunc daretur gratia iugum Christi suave et mandata Dei levia reddens.

II. Ex Traditione et sensu Ecclesiae. 1. Ex can. 25. Araus. II. in thesi praeced. citato, in quo asseritur omnes baptizatos ea, quae ad salutem pertineant, adimplere posse; sed observantia mandatorum ad salutem pertinet; — 2. ex damnatione propositionis 19 synodi Pistoriensis a Pio VI. facta: « quasi impossibile aliquid potuerit imperare, qui iustus est, aut damnaturus sit hominem pro eo, quod non potuit vitare, qui pius est [1] ».

[1] Denzinger, 1382.

III. Ratione theologica. Et Tridentino [1] et ratione attestante Deus quidquam impossibile nec iubet nec iubere potest; sed, si aliquid iuberet, quod sine gratia vel physice vel moraliter impossibile est, quin gratiam id possibile reddentem adderet, aliquid impossibile iuberet.

THESIS IV. **Omnibus infidelibus adultis gratia sufficiens offertur ad fidem et salutem consequendam.**

Explicatur: 1. *Infideles*, de quibus hic sermo est, ii sunt, qui habitum fidei numquam possederunt.

Ii enim, qui eundem habitum iam possessum abiecerunt, aut haeretici formales aut increduli vocantur et peccatoribus supra annumerati sunt.

Infideles dividuntur in positivos et negativos.

Infideles *positivi* sunt ii, quibus fides sufficienter proposita et a quibus haec reiecta est. Cum Deus generatim non deneget gratiam necessariam internam, quando externam concedit, de his merito timeri potest, ne gratiae excitanti saltem remote sufficienti restiterint. Infideles *negativi* ii sunt, quibus fides aut nullo modo aut non sufficienter proposita est.

2. *De modo*, quo infideles negativi a Deo ad fidem et salutem ducantur cum plurimis theologis haec teneri possunt:

a) Iis propter merita Christi conferuntur gratiae naturales quoad substantiam, *supernaturales quoad modum*, quibus legem naturae, quatenus ab iis cognoscitur, servare et consequenter Deum, quantum ratio naturalis postulat, colere possint.

b) Quodsi his gratiis non desint, tempore a Deo determinato accipient gratias *quoad substantiam supernaturales*, quibus actum supernaturalem fidei aliosque actus ad salutem necessarios elicere possint. Quae quidem gratiae iis non dantur ob naturalem observantiam legis naturae, sed unice propter merita Christi.

c) Quando iis ad id tempus fides ordinario modo, i. e. extrinsecus proposita non erit, Deus *extraordinario modo* succurret, de quo haec animadvertantur:

α) Fides ad obtinendam iustificationem absolute necessaria consistit in firmo assensu praestito veritatibus divinitus revelatis ob auctoritatem ipsius Dei revelantis. Veritates, quae

[1] sess. 6. cap. 11.

necessitate medii explicite credendae sunt, certe sunt: Deum et existere et in altera vita remuneratorem esse, i e. ibi praemia conferre et supplicia infligere. Ad haec alias veritates, nominatim mysteria ss. Trinitatis et Incarnationis, necessitate medii explicite credendas esse, theoretice minus probabile est.

β) Ut *s. Thomas, Suarez* [1] aliique diserte docent, sufficiens fidei propositio extraordinarie *per solam internam Dei illuminationem* fieri potest. Neque obstat, quod Rom. 10, 14 et Trid. sess. 6. cap. 6. dicitur, fidem ex auditu oriri. Ibi enim modus fidem concipiendi non describitur nisi ordinarius, quo extraordinarius non excluditur.

Id merito ita accipi posse patet ex eo, quod etiam Christus simpliciter dixit [2]: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei;* et tamen Ecclesia docet, baptismum aquae seu fluminis per baptismum flaminis et sanguinis suppleri posse; pariter ex eo, quod Tridentinum in eadem sessione et eodem capite inter actus salutares, qui ad iustificationem disponant, expresse enumerat actum timoris, et nihilominus omnes theologi docent fieri posse, ut actus timoris ab iis, qui ad iustificationem se disponunt, omittatur et statim eliciatur actus caritatis.

Quod ad modum attinet, quo per solam internam illuminationem in mente infidelis fides excitetur, *Fischer,* episcopus suffraganeus Coloniensis, haec dicit [3] « Videtur... concipi posse, quomodo illuminatio sive revelatio interior loco praedicationis externae mentem satis praeparatam atque dispositam illustret, notitiam Dei imperfectam naturali lumine partam perficiat atque exornet firmissimamque persuasionem in sola hac Dei inspiratione fundatam, i. e. fidem supernaturalem, producat. Nonne in ipso naturali spiritualis vitae decursu hinc inde quasi lux quaedam inexpectata nec praevisa in animum descendere noscitur, quae eundem in altiorem quendam gradum evehere videtur? Nec necessarium est, ut homo sibi ipsi de hac inspiratione supernaturali, quae fidem de Deo ut auctore supernaturali creat, plenam rationem reddere possit. Siquidem etiam Christiani ipsi, in iisque non soli rudiores, non semper discernere valent ea, quae naturalia dicenda sunt, a supernaturalibus, immo in ipso naturali ordine ea, quae sensitivae cognitionis sunt, ab intellectu, quae appetitus sensitivi, a voluntate ».

---

[1] tom. 7. lib. 2. cap. 1. n. 8. — Sed quaeret aliquis primo, quid nomine revelationis intelligamus. Respondeo breviter, intelligi omnem sufficientem fidei propositionem, sive interius *tantum fiat, sive* per exteriorem praedicationem. — S. Thomas citabitur infra.

[2] Io. 3, 5.

[3] De salute infidelium, pag. 49.

Fieri autem posse, ut revelatio illa interna mentem infidelis respectu veritatum necessitate medii explicite credendarum satis praeparatam inveniat, ex eo patet, quod omnes homines naturali rationis lumine cognoscere possunt existere Deum, animam humanam post hanc vitam permanere, esse legem naturalem ordinemque moralem. « Qui vero », idem Auctor [1] inquit, « animi immortalitatem (i. e., ut alibi sc. pag. 30. explicat, necessario solum, vitam hominis morte corporali non finiri) simulque legem naturalem ordinemque moralem cognoscit, eo ipso notitiam habere censendus est de Deo Remuneratore. Vide quae disputat Franzelin (de Deo p. 47. sq.) de loco Rom. 2, 14-16; cf. etiam prop. 2. ab Alexandro VIII. 24. Aug. 1690 damnatam (Denzinger 1157) de « peccato philosophico » cum comment. Vivae III. p. 7. sq ».

γ) Insuper aliqui, in his *Schmid*, canonicus Brixinensis [2], censent supernaturalem actum fidei, quo paganus praedicatione evangelii destitutus explicite credat Deum et existere et Remuneratorem esse, non solum unice ab interna seu subiectiva revelatione produci posse, sed etiam obiective satis fortasse niti *revelatione externa primitiva*, quae inter gentes prorsus perdita non sit.

d) Ii infideles negativi, qui gratiis mere medicinalibus abutuntur, sibi ipsis imputare debent, si gratiam elevantem non accipiant. Sed etiam saltem aliquos eorum hanc gratiam accipere certum est et ex eo apparet, quod multi ethnici fidem Christianam amplectuntur, qui eousque contra legem naturae saepe et graviter peccaverunt. Omnes vero infideles gratiam elevantem aliquando in vita, saltem in articulo mortis, accipere neque certum neque prorsus improbabile est.

Probatur: I. Ex Scriptura. Io. 1, 9: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* — 1. Tim. 2, 4: (Deus) *omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.* — 1. Tim. 4, 10: *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* — Haec omnia consistere non possent, si infidelibus gratiae ad salutem necessariae denegarentur.

II. Ex Traditione et mente Ecclesiae, iuxta quae gratia ad salutem necessaria etiam iis infidelibus confertur, ad quos praedicatio evangelica non pervenit.

---

[1] pag. 50. nota 5.

[2] Die ausserordentlichen Heilswege für die gefallene Menschheit. — Brixen 1899.

1. Ex doctrina *ss. Patrum.*

a) S. *Io. Chrysostomus* [1]: «Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines sine lumine manent? Neque enim omnes Christum cognoscunt. Quomodo ergo illuminat omnem hominem? Illuminat profecto, quantum in ipso est. Si qui autem sponte sua mentis oculos claudentes ad huius lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perstiterunt, sed malitia sua, qui sponte tanto se dono indignos reddiderunt. Nam *gratia in omnes diffusa est,* non Iudaeum, non Graecum, non barbarum, non Scytham, non liberum, non servum, non virum, non mulierem, non senem, non iuvenem effugit aut dedignatur; *omnibus eadem est, omnibus se facilem exhibet, omnes pari honore advocat.* Qui autem eius munere frui negligunt, hanc suam caecitatem sibi ipsis imputent».

b) S. Augustinus [2]: «Non est qui se abscondat a calore eius. Cum autem Verbum caro factum est et habitavit in nobis mortalitatem nostram suscipiens, *non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis,* et ipsam enim penetravit Verbi calor».

c) Auctor librorum *de vocatione gentium (S. Prosper?)* a Gelasio I. sapiens Ecclesiae magister vocatus [3]: «Universitati hominum ita multiplex atque ineffabilis bonitas Dei consulit semper et consulit, ut neque ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis neque cuiquam sit liberum de sua iustitia gloriari». Et [4]: «Nunc in extremis mundi partibus sunt aliquae nationes, quibus nondum gratia Salvaloris illuxit,... quibus tamen illa mensura generalis auxilii, quae desuper omnibus semper hominibus est praebita, non negatur». Et [5]: «*Opitulatio per innumeros modos, sive occultos sive manifestos, omnibus adhibetur,* et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitiae; quod autem a multis suscipitur, est et gratiae divinae, et voluntatis humanae». Et [6]: «Elaboratum est, quantum Dominus adiuvit, ut non solum in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retro saeculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse, providentia quidem pari et bonitate generali, sed multimodo opere, diversaque mensura: quoniam sive occulte sive manifeste ipse est, ut Apostolus ait, Salvator omnium hominum, maxime fidelium».

2. Ex doctrina *Theologorum.*

a) S. Thomas [7]: «Hoc enim ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur. Si enim aliquis taliter (in silvis) nutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel *per internam inspirationem revelaret* ea, quae sunt ad cre-

---

[1] In Io. hom. 8, n. 1.
[2] Enarr. 1. in Is. 18, n. 7.
[3] lib. 2. cap. 29.
[4] lib. 2. cap. 17.
[5] lib. 2. cap. 26.
[6] lib. 2. cap. 31.
[7] De veritate, q. 14. art. 11. ad 1.

dendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium ».

b) Bellarminus [1]: « Possunt enim gentiles, quibus nondum est Evangelium praedicatum, cognoscere per creaturas Deum esse, et perinde possunt a Deo per gratiam praevenientem excitari ad credendum de Deo, quia est et quod inquirentibus se remunerator sit: et ex tali fide excitari possunt eodem dirigente et adiuvante Deo ad orandum et eleemosynas faciendas, et eo modo impetrandum a Deo maius fidei lumen, quod *Deus per se,* vel per Angelos, vel per homines facile communicabit.

c) Billuart [2]: « Habemus namque ex Scriptura, quod Iob et eius amici *ex solo interiori instinctu absque externa praedicatione* ad verum Dei cultum pervenerint; quod etiam dici potest de Cornelio, antequam ad ipsum Petrus mitteretur, iuxta illud Petri de ipso: In veritate comperi, quod in omni gente, qui timet Deum, et operatur iustitiam, acceptus est illi: quo innuitur et Cornelium et alios plures gentiles id praestitisse, quamvis, qui fuerint, nos lateat; sed sufficit, inquit Aug. lib. 18. de Civ. cap. 47, Scripturam aliquos nominasse, ut sciremus, id in *pluribus aliis* potuisse contingere ».

3. *ex Encyclica Pii IX.* ad Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos Italiae 1863 data [3]: « Notum nobis vobisque est, eos, qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem eiusque praecepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes, ac Deo obedire parati, honestam rectamque vitam agunt, posse, divinae lucis et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam ».

CAPUT IV.

DE EFFICACIA GRATIAE EIUSQUE CONNEXU CUM LIBERO ARBITRIO.

ARTICULUS I.

DE IIS, QUAE HAC IN RE CERTA SUNT.

THESIS I. **Datur gratia, quae certe est efficax.**

De fide ex apertis Scripturae testimoniis et constanti doctrina Ecclesiae.

Explicatur: gratia efficax est ea, cui deliberatus consensus hominis annexus est, quae igitur eum effectum habet, ad

---

[1] De controv. tom. 3, controv. gen. 3. princ. 1. lib. 2. cap. 8. Resp. ad 3. argum.

[2] tom. 1. dissert. 17. art. 8. obi. 5.

[3] Denzinger, 1529.

quem obtinendum datur seu quae est efficax in actu secundo vel efficax efficacia operis.

Illustratur exemplo: Homo accipit gratiam ad eliciendum actum contritionis. Sub gratiae influxu hunc actum libere elicit.

Probatur: I. Ex Scriptura. Philipp. 2, 12. 13... *cum metu et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* — His verbis diserte dicitur Deum secundum beneplacitum suum in hominibus facere, ut hi ea velint et perficiant, quae spectant ad salutem.

II. Ex Traditione et mente Ecclesiae.

1. Ex Patribus, ex quibus praesertim s. Augustinus energiam gratiae ita extollit, ut a Iansenistis mentem ipsius non recte intelligentibus in patrocinium gratiae internam necessitatem inferentis adsciscatur. Inter alia scribit [1]: « Quis porro tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere »?

2. Ex Conciliis, praesertim contra Pelagianos et Semipelagianos habitis, a quibus, sicut gratiae necessitas docetur, ita et eius efficacia indicatur.

3. Ex precibus liturgicis, in quibus victrix omnium gratia a Deo exposcitur, quod e. g. fit in Secreta Dom. 4. post Pentec.: « ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates »; — in Oratione Dom. 13. post Pentec.: « fac nos amare, quod praecipis »; — in Secreta Dom. 24. post Pentec.: « omnium nostrum ad te corda converte ».

III. Ratione theologica, quae desumitur:

1. *Ex parte Dei.* Si creatura libera Deum aliquid efficaciter volentem impedire posset, quominus id perficeret, Deus nec esset omnipotens et actum esset de eius providentia;

2. *ex parte hominum.* Multi homines adulti salutem consequuntur; sed hi neque salutem sine actibus salutaribus obtinere neque actus salutares sine gratia ponere possunt. Quodsi igitur salvi fiunt, id demonstrat gratiam, quam acceperunt, in iis fuisse efficacem.

---

[1] Enchir. c. 98.

THESIS II. **Efficacia gratiae non tollit libertatem humanam.**

De fide ex Trid. sess. 6. can. 4: Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, a. s.

Opponitur novatoribus saec. 16. et Iansenio, qui docuerunt, gratiam efficacem tollere libertatem a necessitate, seu hominem sub eius influxu tam necessario agere, quam necessario velit esse felix.

Probatur: I. Ex Scriptura. Eccli. 31, 10: *Erit illi gloria aeterna: qui potuit transgredi et non est transgressus; facere mala et non fecit.* — Mandata Dei numquam transgredi sine gratia impossibile est. Ergo homo ab Ecclesiastico laudatus gratiam adeptus est. Haec gratia et in eo efficax fuit, quia transgressus non est, neque eius libertatem sustulit, quia transgredi potuit.

II. Ex Traditione. S. Aug. integro opere *de gratia et libero arbitrio* libertatem sub influxu gratiae inviolatam manentem defendit.

III. Ratione theologica. Si homines sub influxu gratiae non essent liberi, eorum actus nec laude nec praemio essent digni.

THESIS III. **Datur quoque gratia, quae quidem sufficiens, tamen ex culpa hominis inefficax est.**

De fide ex Trid. sess. 6. can. 4. supra citato et ex damnatione prop. 2. Iansenii: « Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur [1] », quae declarata est *haeretica.*

Explicatur: 1. Gratia, de qua hic agitur, est vere et relative sufficiens; vere, i. e. praestat veram facultatem id agendi ad quod agendum datur; relative, i. e. comparate ad praesentia adiuncta tam interna quam externa illius hominis, cui datur.

2. Est inefficax seu mere vel pure sufficiens, i. e. non sortitur eum effectum, ad quem obtinendum datur, idque solum propterea quod homo ei libere resistit seu non consentit. Effi-

[1] Denzinger, 967.

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS IESU.

caciam igitur in actu secundo seu efficaciam operis non habet; habet tamen, ut per se patet, efficaciam in actu primo seu efficaciam virtutis.

Illustratur exemplo. Peccatori datur gratia conversionis, i. e. eius intellectui divinitus immittitur cogitatio e. g. poenarum aeternarum, quas promeruit eiusque voluntati divinitus infertur motus timoris earundem poenarum et quaedam inclinatio ad poenitentiam agendam. Tamen poenitentiam non agit.

Probatur: I. Ex Scriptura. Is. 5, 1-7. Deus comparat populum Israel cum vinea a se diligentissime culta, quae fructus non protulit, et quaerit v. 4: *Quid est, quod debui ultra facere vineae meae et non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas et fecit labruscas?*

II. Ratione theologica. Si gratia non esset inefficax ex culpa hominis, inefficax esset ex se; sed tunc Deus non serio vellet omnium salutem, impossibilia praeciperet, otiose nos admoneret, ne gratiam in vacuum reciperemus [1].

Scholion.

De systemate Ianseniano.

Systema Ianseni anum circa efficaciam gratiae in toto hoc est:

1. In homine duplex distinguenda est delectatio: altera terrena, quae ex concupiscentia oritur ac perversa cupiditas est, altera coelestis, quae a Deo datur et supernaturalis caritas est.

2. Homo in statu naturae lapsae semper et *necessario*, i. e. cum necessitate interna, sequitur alterutram harum delectationum idque eam, quae maior seu relative victrix est. Homo igitur, nisi per gratiam ei datur delectatio coelestis, quae maior est, quam delectatio sua terrena, necessario hanc terrenam sequitur.

3. Itaque Deus, si efficaciter vult ab aliquo homine actum salutarem poni, ei dat delectationem coelestem, quae maior est, quam eiusdem hominis contraria delectatio terrena. Eadem igitur, eo quod maior, etiam efficax est, cum delectatio coelestis, quae minor est, quam contraria delectatio terrena, inefficax sit. Prior vocatur delectatio magna, altera parva.

[1] 2. Cor. 6, 1.

4. Homo, quamquam delectationem maiorem necessario sequitur, tamen in hac sequenda *liber* est. Nam libertas non destruitur per necessitatem internam, sed tantum per vim externam.

Secundum hoc systema homo similatur librae, in qua ea lanx necessario deprimitur, in qua maius pondus positum est, illo tantum discrimine interposito, quod id, quo lanx deprimitur, est vis externa, id vero, quo homo movetur, est necessitas interna.

In systemate Ianseniano tria falsa sunt, sc. hominem maiorem delectationem sequi interna cum necessitate, hanc necessitatem non repugnare libertati, inclinationem per gratiam datam semper esse caritatem, cum illa etiam timor gehennae etc. esse possit [1].

ARTICULUS II.

DE IIS, QUAE IN HAC RE CONTROVERSA SUNT.

§ I. *De modis diversis explicandi efficaciam gratiae eiusque cum libertate connexum.*

A. Systemata magis celebria et controversa.

Nota. Recolantur ea, quae in tractatu de Deo Creatore circa motionem creaturarum disputata sunt.

I. Systema Thomistarum sive Bannesianum prolatum a Bannez, Alvarez, Gonet, Goudin, Gotti, Billuart etc.

1. Gratia *sufficiens* intellectum ac voluntatem humanam physice applicat ad actum supernaturalem indeliberatum et confert *potentiam* eamque veram ponendi actum supernaturalem deliberatum.

2. Ut *actus* deliberatus reapse ponatur, requiritur alia gratia, quae a gratia sufficienti tam realiter distincta sit, quam realiter distinctus est actus a potentia; et haec est gratia *efficax*.

Ipsa potentiam actum supernaturalem deliberatum ponendi physice ad actum applicat seu *praemovet* seu *praedeterminat* sive actum supernaturalem deliberatum physice producit.

3. Eadem gratia, dum hunc actum physice producit, potentiam eundem non ponendi integram relinquit seu *libertatem*

---

[1] Eccli. 1, 27. 28; Matth. 10, 28; Trid. sess. 6. cap. 6.

non laedit. Econtra efficit, ut actus deliberatus non solum sit actus, sed etiam sit actus deliberatus, seu non solum efficit, ut actus ponatur, sed etiam, ut libere ponatur, quod ab omnipotenti Dei voluntate et ea quidem sola fieri potest.

II. Systema Molinistarum propositum a Molina in libro « de concordia liberi arbitrii cum gratiae donis », a. 1588 edito.

1. *Omnis* gratia habet internam *efficaciam virtutis*, i. e. praebet facultatem veram atque expeditam supernaturaliter agendi. Haec efficacia et physica et moralis est; physica, quatenus facultates animae viribus supernaturalibus elevat et roborat, moralis, quatenus ad actum salutarem, ad quem ponendum datur, invitat. Eadem efficacia in diversis gratiis diversos gradus habet, at semper tanta est, ut homo per eam actum salutarem respondentem actu ponere possit.

2. Licet omnis gratia habeat efficaciam virtutis, non omnis tamen habet efficaciam operis seu connexionis, i. e. non omnis actu efficax est. Haec inefficacia non est refundenda in naturam gratiae, sed unice in humanam voluntatem, quae, cum per vires gratiae consentire possit, per vires arbitrii reapse dissentit seu resistit, qua resistentia eaque sola redditur gratia inefficax seu mere sufficiens. Sin autem voluntas *consentit*, gratia habet etiam *efficaciam connexionis*. Haec tamen efficacia non pendet a nuda voluntate, sed a voluntate per vigorem gratiae elevata et roborata.

Gratia enim voluntati non est extrinsecus applicata et consociata, sed intrinsecus infusa eamque suo vigore penitus imbuit ita, ut vires gratiae fiant vires ipsius voluntatis. Aliis verbis: gratia una cum voluntate constituit unum principium adaequatum operandi.

3. *Infallibilitas connexionis* gratiae efficacis cum actu salutari formaliter repetenda est ex divina *praescientia*, qua Deus cognoscit voluntatem illi determinatae gratiae consensuram esse. Gratiae autem, quibus quicunque homo consensurus sit, Deo utpote omnipotenti semper praesto sunt.

Si igitur Deus voluntate efficaci vult, ut aliquis homo actum salutarem ponat, illi eam gratiam dat, cui illum consensurum esse praenoscit idque per scientiam mediam, qua omnia conditionate futura cognoscit.

Quod denique Deus alicui homini praecise eam gratiam dat, cui illum consensurum esse praenoscit, singulare benefi-

cium est, eademque gratia sub ratione beneficii maior est quam alia, cui Deus hominem illum dissensurum esse praenoscit, licet haec alia quoad efficaciam virtutis seu sub ratione doni, ut aiunt, aequalis, immo maior esse possit.

4. Quodsi quaestio ponitur, cui gratiae homo consentire aut dissentire soleat, Suarez aliique respondent quemlibet hominem consentire solere gratiae *congruae*, i. e. ei gratiae, quae accommodata sit ipsius circumstantiis et internis, sc. indoli, affectioni, habitibus etc. et externis, sc. temporis, loci etc.; hominem vero dissentire solere gratiae incongruae, i. e. ei, quae circumstantiis illis accommodata non sit. Ex quo hoc colligunt: Si Deus voluntate efficaci vult, aliquem hominem actum salutarem ponere, illi homini concedit eam gratiam, cui ob suam congruitatem illum consensurum esse per scientiam mediam praenoscit. Ea igitur gratia, quae congrua est, etiam est efficax, cum gratia, quae incongrua est, inefficax sit. In quantum hoc explicite urgetur, systema hic explanatum vocatur *Congruismus* vel systema Congruistarum.

Nota. Ab aliquibus Congruismus systema proprium habetur, tamen, si generatim, minus recte. « Ex una siquidem parte etiam Molina istam congruitatem gratiae agnoscit, licet non tantam vim in ea ponat ad explicandam gratiae efficaciam; ex altera vero parte etiam Suaresius infallibilitatem gratiae non ex sola eius congruitate, sed ex praevisa determinatione voluntatis repetit ». Egger [1]. Solus congruismus paucorum illorum systema proprium haberi potest, qui *seclusa scientia media* infallibilem gratiae cum consensu connexionem accommodatione eiusdem ad circumstantias repetunt.

Conclusio. Sufficienti igitur gratia data non requiritur nova gratia, ut actus salutaris sequatur; et fieri potest, ut ex duobus hominibus gratiam omni ratione aequalem habentibus unus actum salutarem ponat, alter non ponat.

B. Systemata minus celebria.

I. Systema Augustinensium assertum a Berti, Bellelli etc.

1. Homo in statu naturae lapsae non quidem necessario, ut Iansenius vult, tamen *semper* sequitur maiorem delectationem sive coelestem sive terrenam. Si igitur delectatio coelestis a gratia producta maior est, quam delectatio terrena e concu-

[1] Enchir. dogm. spec. tr. 5. sect. 1. cap. 3. art. 2. n. 4.

piscentia orta, homo certe sequitur coelestem, sin delectatio terrena maior est, quam coelestis, homo certe sequitur terrenam.

2. Gratia igitur mere sufficiens seu inefficax ea est, quae confert delectationem coelestem, quae minor est, quam contraria delectatio terrena eius hominis, cui datur. Tamen vere sufficiens est, quia homo delectationem coelestem sequi vere potest.

Econtra gratia efficax ea est, quae confert delectationem coelestem, quae est maior contraria delectatione terrena illius hominis, cui confertur.

Eadem igitur gratia, quae in aliis inefficax est, eo quod in iis sibi obstat delectatio terrena maior, in aliis efficax est nempe in iis, in quibus sibi obstat delectatio terrena minor.

3. Homo sub influxu gratiae efficacis liber manet, quia, licet « Deus sine nobis faciat, ut velimus, nihilo tamen minus per illam (sc. gratiam efficacem) non proponitur nobis bonum sub ratione omnis boni, quemadmodum proponitur beatis per lumen gloriae, ideoque remanet indifferentia iudicii et vera libertas ». Berti [1].

Augustinenses et improbant praedeterminationem physicam Thomistarum et reiiciunt scientiam mediam Molinistarum [2], unde contra eos hoc dici potest: vis vel praedeterminatio moralis gratiae efficacis, quam astruunt, natura sua aut tanta est, ut sub ea dissensus voluntatis metaphysice repugnet, aut tanta non est. Si prius, Augustinensibus eadem difficultas libertatem explicandi est, atque Thomistis, si alterum, vis illa moralis non est medium infallibile ad consensum obtinendum, nisi accedat scientia media. Praeterea falsum est hominem semper sequi maiorem delectationem.

II. Systema aliquorum Scotistarum, e. g. Mastrii, Henno.

Gratia non est efficax per physicam praedeterminationem, sed per physicam condeterminationem, quae praecise eo instanti fit, quo homo se determinat, seu quae non agit prius, quam homo agit, sed simul cum eo.

Quidam Scotistarum, in his Mastrio testante Faber et Poncius, scientiam mediam admittunt; alii, in his Mastrius ipse et Henno, eam reiiciunt.

His igitur idem nodus expediendus est, qui Augustinensibus.

III. Systema syncretisticum compositum a Norisio, Tournely etc., commendatum a s. Alphonso.

---

[1] De theolog. discipl. l. 14. c. 8.

[2] Berti, ibi.

1. Datur gratia, quae effectum sortitur eo, quod voluntas humana ei libere consentit, seu quae *ab extrinseco*, ut aiunt, efficax est. Datur quoque gratia, quae efficit, ut voluntas libere consentiat seu quae *ab intrinseco*, ut aiunt, efficax est.

2. Iuxta ordinariam oeconomiam providentiae divinae *prior* datur ad ponendos actus *faciliores*, praesertim ad orandum, qua si homo bene utitur, ipsi altera dabitur ad ponendos actus difficiliores.

3. Libertatem sub huius influxu integram relinqui, accommodate ad captum vulgi explicant eo, quod dicunt, eandem *libere exoratam* fuisse.

Hoc systema iisdem internis difficultatibus obstructum esse, quibus simul et Thomisticum et Molinisticum, in promptu manifestumque est.

IV. Systema Thomassini.

1. Efficacia gratiae adscribitur *multitudini*, varietati, consonantiae gratiarum, qua fit, ut voluntas, quamvis singulis gratiis resistere possit, omnibus resistere non possit.

2. Homo eodem modo liber esse dicitur, quo liber est in committendis peccatis *venialibus*, quae omnia collective sumpta potentia morali nequit evitare.

Sed cum secundum hoc systema nulla singularis gratia efficax sit, eodem et potentia et providentia divina extenuatur.

Nostra aetate aliquot celebres theologi censent nullum praedictorum systematum plene satisfacere; in his Kleutgen, Scheeben, Pecci, Satolli, Gutberlet. Heinrich-Huppert haec habet[1]: « Der Standpunkt der heutigen Theologie ist der, dass keins der beiden Systeme einwandfrei ist ».

§ II. *De modis diversis systemata celebriora ex s. Scriptura confirmandi.*

Nota. Non est opus referre modos diversos eadem systemata confirmandi testimoniis ss. Patrum vel Doctorum et rationibus, quia haec, quatenus spectant ad motionem Dei naturalem, in tractatu de Deo Creatore iam exposita sunt, quatenus spectant ad gratiam supernaturalem, cum verbis s. Scripturae conveniunt.

Iuxta s. Scripturam:

I. Homines a Deo discernuntur, unde nihil habent, quo gloriari possint. 1. Cor. 4, 7: *Quis enim te discernit? Quid au-*

[1] Lehrbuch der katholischen Dogmatik, § 148. n. 1598.

tem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

Inde *Thomistae* sic argumentantur: Si gratia efficax consensum hominis non produceret seu efficeret, sed per consensum efficax redderetur, homo haberet aliquid, quo ipse se discerneret ab aliis aequali gratiae ipsis datae non consentientibus; haberet aliquid, quod non accepisset; haberet aliquid, quo posset gloriari: consensum suum, quem non deberet gratiae, sed sibi ipsi.

Secundum *Molinistas* per haec verba solum affirmatur Deum ut causam *primariam* discernere hominem, quo non excludatur hominem ut causam secundariam seipsum discernere. Deus autem ut causa primaria hominem discernit:

1. tribuendo praecise eam gratiam, cui hominem consensurum esse praenoscit,

2. per gratiam excitantem dando vires, sine quibus homo supernaturaliter agere et se discernere nequit,

3. per gratiam adiuvantem influendo in actum supernaturalem, quo se reapse discernit.

Hominem vero ut causam secundariam se discernere tam verum est, quam verum est eum gratiae libere cooperari. Inde tamen non efficitur hominem habere aliquid, quod non acceperit seu quod possideat independenter a Deo et quo possit gloriari.

Illustratur simili. Mercator dives noscit pauperem, ex cuius ingenio ac moribus colligit eum pecuniae summa sibi donanda bene usurum esse, eidem hanc summam donat, ad id non commotus pauperis ingenio ac moribus, sed sola sua liberalitate. Pauper hac summa negotiatur, sed in negotiando a mercatore bene sciente ipsum sola sua industria nihil profecturum esse omnibus modis adiuvatur. Inde fit, ut pauper ditescat. Nonne mercator hunc pauperem a ceteris pauperibus discrevit? Nonne hic omnes suas divitias mercatori debet? Num hic de iis merito gloriari potest?

II. Deus aufert duritiam animi et facit, ut faciamus atque velimus. Ezech. 36, 26. 27: *Auferam cor lapideum de carne vestra et dabo vobis cor carneum... et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis.* Philipp. 2, 13: *Operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.*

Ex his verbis *Thomistae* hoc concludunt: Deus non aufert duritiam animi seu voluntatem sibi resistentem nec facit, ut

faciamus atque velimus « per gratiam pendulam et permissam libero voluntatis arbitrio, exspectantem eius obedientiam vel resistentiam, eius consensum vel repulsum, ut patet ex terminis, sed per gratiam vi propria effectricem bonae volitionis ». Billuart [1].

Molinistae vero censent Deum satis posse dici auferentem duritiam animi, facientem, ut faciamus ac velimus, eo quod illa praestet, quae sub I, 1-3. enumerata sunt.

III. Efficacia gratiae adscribitur omnipotenti voluntati et supremo dominio Dei. Esther 13, 9 Mardochaeus orans Deum, ut convertat cor Assueri regis Iudaeis infensi dicit: *Domine, Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita et non est, qui possit tuae resistere voluntati...* et 14, 13 Esther Dominum orat: *Transfer cor illius in odium hostis nostri,* et 15, 11 subiungitur: *Convertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem.* — Hinc homo Deo subiectus comparatur luto et securi manibus hominis comprehensis. Eccli. 33, 13. 14: *Quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud et disponere. Omnes viae eius secundum dispositionem eius; sic homo in manu illius, qui se fecit* [2]. Rom. 9, 21: *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Is. 10, 15: *Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, a quo trahitur? quomodo si elevetur virga contra elevantem se, et exaltetur baculus, qui utique lignum est.*

Ex locis citatis *Thomistae* haec colligunt: Ergo gratia consensum nostrum non exspectat, sed infallibiliter producit sive efficit idque ex omnipotenti voluntate Dei eiusque supremo dominio voluntatum nostrarum.

Allatis « comparationibus manifestum fit », inquit Billuart [3], « Deum vi suae potestatis et dominii de voluntatibus ad nutum disponere, non vero ab eis exspectare, quid voluerint ». « Et », inquit Gonet [4], « ita libera voluntas debet efformari et praeveniri a Deo in sua efficacia, sicut lutum a figulo... voluntas nostra incipit a Deo moveri, formari, applicari et determinari ad

---

[1] Summa summae, tom. 2, tract. de gratia, dissert. 3, art. 6.

[2] Item Ierem. 18, 6.

[3] Summa s. Thomae, tract. de gratia, dissert. 5, art. 6.

[4] Clypeus Theol. Thom. disp. 5, art. 1, § 2.

bonum, sicut instrumentum ab artifice... Sicut securis et serra non debent gloriari ex eo, quod scindant artificiose, quia non possunt ita scindere, nisi prius moveantur, applicentur et determinentur ab artifice, ita similiter homo non debet gloriari ex eo, quod recte operetur, quia voluntas nostra non potest bonum velle et operari, nisi moveatur, determinetur et applicetur a Deo ».

Molinistae reponunt:

1. Deus consensum nostrum non exspectat, perinde ac si consensus praevisus sit ratio, ob quam gratiam efficacem conferat, sed eatenus, quatenus, prius quam eam dare decernit, praevidet eandem, si detur, consensum obtenturam esse.

2. Deus facere potest, quidquid vult neque voluntati eius quisquam resistere potest, non eo, quod det gratiam intrinsecus efficacem et physice praedeterminantem, sed eo, quod in thesauro omnipotentiae suae habet tot ac tam potentes gratias, quibus omnes homines movere possit, et eas gratias conferre in potestate sua habet.

Mazzella dicit [1]: « Si recitata testimonia ita forent intelligenda, ut materialiter accepta sonant, non modo evincerent gratiam ex se et suapte natura efficacem esse, sed immo adstruerent notionem a novatoribus invectam gratiae sic voluntatem afficientis, ut eam physice *necessitet*. Diceretur enim: .. homo ita versatur in manu Dei ad omnem suum actum et motum, uti versatur lutum in manu figuli. Sed lutum mere passive se habet, nec nisi necessario in suas, quas suscipit, modificationes ac destinationes inducitur. Ita revera ex iisdem testimoniis ratiocinati sunt novatores. — Ex recitatis testimoniis duo certo constant; primum est, quod Deus potest facere in nobis, quidquid ipse voluerit, potest voluntatem inclinare ad quemlibet actum, — alterum, quod est in potestate Dei « vas in honorem facere », vocare vocatione efficaci, quatenus haec est gratuita. Haec duo autem fatentur omnes et vidimus verissima permanere in nostro systemate. At *quomodo* obtinet Deus, quaecunque vult, a creata voluntate? Ex citatis testimoniis non eruitur. Unde ex his et similibus locis s. Augustinus (l. I. cont. duas epist. Pelag. c. 20) universim quidem gratiae efficacis auxilium, non vero naturam vel operandi modum colligit; quin (l de grat. et lib. arb. c. 21) eadem testimonia usurpat, ut probet Deum etiam ad mala inclinare, quod certe Deus directe ac positive non facit, adeoque nec praedeterminando, praesertim si modus agendi per Angelos bonos vel malos ibidem a s. Doctore assertus admittatur ».

IV. In negotio salutis totum tribuitur Deo. Rom. 9, 16: *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.*

[1] De gratia Christi, n. 726.

Ex hoc *Thomistae* sic ratiocinantur: Si gratia consensum hominis non praedeterminaret, potius esset hominis volentis, quam Dei miserentis. Nam:

1. « Effectus potiori iure tribuitur causae determinanti, quam exspectanti alterius determinationem; atqui in sententia adversariorum homo determinat consensum Dei indifferentem (r?) oblatum et Deus exspectat hominis determinationem; ergo.

2. In eadem sententia Deus non maius auxilium gratiae offert operanti, quam non operanti: ergo quod ille bene velit et agat et non iste, tribuendum est volenti et currenti, qui suo nutu hoc commune auxilium determinat ». Billuart [1].

Molinistae econtra asserunt etiam apte ad systema suum in negotio salutis totum Deo tribuendum esse idque

1. eo modo, quo totum causae *principali* tribui soleat;

2. propterea quod, licet natura elevata per gratiam ad actum salutarem concurrat, ea tamen sine gratia *nihil* possit;

3. propterea quod *solius* Dei sit eam gratiam dare, cui voluntatem consensuram esse praevideat etc.

« Sed his omnibus concessis », Mazzella inquit [2], « quaerimus: estne sola gratia, quae actum salutarem efficit, vel gratia cum hominis voluntate, et quidem libera? Si etiam voluntas est causa illius actus, cum omnis effectus causae sit tribuendus, cur actus salutaris non tribuetur etiam voluntati? Si voluntas *libere* agens est *domina* sui actus, cur actus ille non tribuetur etiam voluntati? Si per actum salutarem homo meretur, et ut mereatur, debet aliquid aliquo modo *suum* dare, cur actus salutaris non est tribuendus etiam homini? Unde ipse Apostolus ait [3]: « Non ego autem, sed gratia Dei *mecum* »; et Augustinus: « Ut velimus, et suum esse voluit et *nostrum;* suum vocando, nostrum consentiendo ». Ex his autem patet, quo sensu sit verum illud « in nullo gloriandum »; nempe, ut aperte docet Apostolus, nemo debet gloriari, quasi non acceperit. At supposita gratia gratis accepta, supposita gratia efficaci accepta ex gratuito proposito, supposito influxu gratiae in ipsum actum salutarem, nonne verum est quod tandem etiam voluntas libere eum efficit? Et voluntas libere agens bonum nonne est laude digna? Unde in hoc sensu ipse Apostolus inquit [4]: « si voluero gloriari, non ero insipiens »; nam, ut dicitur [5]: « Gloria autem et honor et pax omni operanti bonum ».

---

[1] Summa s. Thomae, ib.
[2] De gratia Christi n. 728.
[3] 1. Cor. 15, 10.
[4] 2. Cor. 12, 6.
[5] Rom. 2, 10.

PARS SECUNDA.

DE GRATIA HABITUALI.

Ad gratiam habitualem pertinent gratia sanctificans, quae gratia habitualis per excellentiam vocatur, virtutes infusae, dona Spiritus sancti. Hinc

CAPUT I.

DE GRATIA SANCTIFICANTE SEU DE IUSTIFICATIONE.

Iustificare est iustum facere. Iustus hic intelligitur ille, qui supernaturali iustitia seu sanctitate dotatus est. Iustificatio accipi potest active et passive, in fieri et in facto esse. Plerumque accipitur passive et in fieri et sic accepta est adeptio iustitiae supernaturalis.

Passive et in facto esse accepta significat statum sive habitum, active et in fieri accepta largitionem, active et in facto esse accepta conservationem iustitiae supernaturalis.

Praeterea distinguitur iustificatio originalis et iustificatio impii. Prior importat exaltationem naturae purae (angelorum et protoparentum), altera importat restitutionem naturae lapsae; illa sustulit absentiam iustitiae supernaturalis, haec tollit eius privationem i. e. peccatum habituale sive affert transmutationem de contrario in contrarium: de statu iniustitiae in statum iustitiae.

ARTICULUS I.

DE IUSTIFICATIONIS DISPOSITIONE.

Thesis I. **In adultis ad iustificationem necessaria est deliberata et supernaturalis dispositio.**

De fide ex Trid. sess. 6. cap. 5: Declarat praeterea (sancta synodus) ipsius iustificationis exordium in adultis a Dei per Christum Iesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur; ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per eius excitantem atque adiuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum iustificationem eidem gratiae libere assentiendo et cooperando disponantur.

Can. 9: Si quis dixerit, sola fide impium iustificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suae voluntatis motu praeparari atque disponi, a. s.

Opponitur Luthero et Calvino, qui, quamquam ad obtinendam iustificationem postulabant fidem, negabant tamen hac fide hominem ad iustificationem accipiendam vere disponi vel praeparari, eam potius intuebantur sicut instrumentum, quo merita Christi hominem iustificantia apprehenderentur.

Explicatur: 1. Adulti intelliguntur omnes, qui usu rationis praediti sunt.

2. In infantibus ac perpetuo amentibus dispositio non requiritur.

3. In iis, qui usum rationis habuerunt et amiserunt, manet aut dispositio aut carentia dispositionis, quae amissionem usus rationis proxime praecessit.

Illustratur exemplo. Infidelis elicit eos actus, qui ad iustificationem per sacramentum baptismi suscipiendam requiruntur. Brevi tempore interiecto, quo durante a committendo peccato mortali abstinuit, usu rationis usque ad finem vitae privatur. Aliquot annis post usum rationis amissum sub conditione baptizatur. Iustificatus est.

4. Dispositio adultorum sita est in actibus deliberatis et gratia actuali tam excitante quam adiuvante elicitis. Actus ex gratia procedere debent, quia, ut aliquid sit dispositio, aliquam proportionem habere debet ad formam, ad quam disponit; sed inter actus naturales et iustificationem, quae est ordinis supernaturalis, nulla proportio est.

5. Actus praedicti ad iustificationem solummodo disponunt; eam non efficiunt. Eam efficit solus Deus idque in instanti seu absque successione.

Probatur: **I. Ex Scriptura.** Ezech. 18, 21: *Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis... vita*

vivet et non morietur. — Luc. 13, 5: *Si poenitentiam non egeritis,* (μετανοῆτε = mentem mutaveritis, i. e. in melius) *omnes similiter peribitis.* — Sed ii omnes et soli pereunt, qui tempore moriendi non sunt iustificati; ergo mutatio mentis seu debita dispositio ad iustificationem necessaria est.

II. Ex Traditione.

1. Ex Patribus. S. Aug. [1]: « Qui fecit te sine te, non iustificat te sine te ».

2. Ex praxi Ecclesiae, quae ab adultis baptizandis dispositionem satis probatam postulat semperque postulabat.

III. Ratione theologica.

« Iustificatio impii fit Deo movente hominem ad iustitiam;... Deus autem movet omnia *secundum modum uniuscuiusque...* Unde et hominem ad iustitiam movet secundum conditionem naturae humanae. Homo autem secundum propriam naturam habet, quod sit *liberi arbitrii.* Et ideo in eo, qui habet usum liberi arbitrii, non fit motio a Deo ad iustitiam absque motu liberi arbitrii; sed ita infundit donum gratiae iustificantis, quod etiam simul cum hoc movet liberum arbitrium ad donum gratiae acceptandum in his, qui sunt huius motionis capaces ». S. Thom. [2].

Corollarium. « Quae dicta sunt de necessitate motus voluntatis in iustificatione, *generatim* valent et ut norma prae oculis habenda sunt in factis diiudicandis *supernaturalibus...* Ubicumque ergo rationis ac liberi arbitrii usus apparuerit ligatus vel impeditus, quemadmodum contingere fertur in nonnullis, quae exstaticae dicuntur necnon in aliquibus spiritismi experimentis, ibi Deum supernaturaliter operari merito negabitur » Einig [3].

Legitur quidem 3. Reg. 3, 4. sqq., Deum Salomoni per somnum donum sapientiae promisisse. Sed « Salomon dormiendo non meruit sapientiam nec accepit.. Vel potest dici, quod ille somnus non fuit naturalis, sed somnus prophetiae... in quo casu aliquis usum liberi arbitrii habet ». S. Thomas [4].

THESIS II. **Prima dispositio ad iustificationem necessaria est fides et ea quidem dogmatica, non fiducialis Protestantium.**

De fide ex Trid. sess. 6. cap. 6: Disponuntur ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia *fidem* ex auditu conci-

[1] Serm. 15. de verb. apost.
[2] 1. 2, q. 113, a. 3, c.
[3] De gratia, thesis 21.
[4] 1. 2, q. 113, a. 3, ad 2.

pientes libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata sunt.

Can. 12: Si quis dixerit fidem iustificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum... a. s.

Opponitur Protestantibus docentibus fidem ad iustificationem necessariam esse fidem fiducialem seu promissionum, qua singuli firmissime credant *sibi* peccata propter merita Christi condonari i. e. non imputari.

Explicatur: Fides dogmatica seu theologica seu fides simpliciter dicta, quae ad iustificationem acquirendam requiritur, est fides ut actus. Hic est firmus assensus, quo veritates a Deo revelatas ob auctoritatem ipsius Dei revelantis amplectimur.

Probatur I. pars, sc. fidem dogmaticam ad iustificationem necessariam esse:

I. Ex Scriptura. Hebr. 11, 6: *Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem* (προσερχόμενον, accedere volentem) *ad Deum, quia est* (ὅτι ἔστιν ≠ eum esse) *et inquirentibus se remunerator sit* (remuneratorem esse).

Cf. tract. de Deo uno, ubi demonstratur hic sermonem esse de fide theologica, non de cognitione naturali.

Io. 20, 31: *Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia* (ὅτι) *Iesus est Christus, Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius.* Rom. 10, 9: *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.*

Itaque secundum hos locos fides ad salutem necessaria est ea, cuius obiecta sunt existentia Dei, retributio, divinitas Christi, resurrectio Christi. Sed fides, quae eiusmodi obiecta habet, est, ut patet, fides dogmatica.

II. Ex praxi Ecclesiae. Ecclesia a primis saeculis a baptizandis postulavit confessionem symboli apostolici, quod est summa fidei dogmaticae.

III. Ratione theologica. Deus vult hominem viatorem moveri ad se ut finem supernaturalem, ergo moveri supernaturaliter. Sed sicut motus sensitivus sine cognitione sensitiva et motus rationalis sine cognitione rationali esse non potest, ita

motus supernaturalis esse non potest sine cognitione supernaturali, et ea continetur fide.

Probatur II. pars, sc. fidem fiducialem Protestantium esse reiiciendam:

I. Ex Scriptura. Eccli. 5, 5: *De propitiato peccato* (Septuaginta: περὶ ἐξιλασμοῦ) *noli esse sine metu.* — Quorum verborum sensus non est: Post condonationem peccati noli esse sine metu seu cave, ne in illud relabaris, sed: *de* propitiatione noli esse sine metu, eo quod certum non habes eam tibi re vera obvenisse.

Philipp. 2, 12: *Cum metu et tremore salutem vestram operamini.* Fides autem fiducialis Protestantium metum et tremorem natura sua excludit.

Eccl. 9, 1. 2. *Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit.* (hebr. utrum amor sit an odium). Hoc expositores iudaei haud inepte explicant de amore vel odio, quae homini ab hominibus futura sint. Cum vero ille textus in Ecclesia semper intellectus sit de amore vel odio divino, saltem habetur argumentum traditionis.

II. Ratione theologica. Deus quidem revelavit se ob merita Christi paratum esse ad omnia peccata remittenda; tamen conditionem adiecit: si poenitentiam egerimus. Hanc autem conditionem impletam esse singulis generatim non revelat.

Scholion.

I. Fides ad iustificationem necessaria 1. est fides proprie dicta, quae innititur testimonio Dei revelantis, non est fides late dicta, quae innititur testimonio creaturarum vel simili motivo. Damnata est enim ab Innocentio XI haec propositio (23)[1]: Fides late dicta, ex testimonio creaturarum similive motivo, ad iustificationem sufficit. Et Concilium Vaticanum docet[2] « fidem, quae humanae salutis initium est, esse, qua Dei aspirante et adiuvante gratia ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest »; — 2. in eo, qui habitum fidei non

---

[1] Denzinger, 1040.

[2] sess. 3, cap. 3, Denzinger, 1638.

possidet, est fides explicita, ut theologi merito communiter tenent, neque sufficit fides implicita seu virtualis, quae continetur in voluntate v. g. placendi Deo.

II. Necessitas fidei ad acquirendam iustificationem duplex est: necessitas praecepti et necessitas medii.

In ordine enim ad salutem haec duplex necessitas distinguenda est. Necessitas praecepti oritur ex solo imperio superioris, unde necessarium necessitate praecepti ad summum illud est, sine quo finis tunc obtineri nequit, si *culpabiliter* negligitur. Necessitas medii oritur ex necessaria relatione medii ad finem (quemadmodum e. g. ad quodcunque opus salutare gratia necessaria est), unde illud necessarium necessitate medii est, sine quo finis obtineri nequit, etiamsi *inculpabiliter* negligatur.

Si illud, quod necessarium est necessitate medii, non est in nostra potestate, necessarium dicitur necessitate *medii tantum;* si in nostra potestate est, necessarium dicitur necessitate *medii et praecepti;* eadem enim obligatione, qua tenemur ad finem, tenemur etiam adhibere media ad illum necessaria.

Si illud, quod necessarium est necessitate medii, in se ipso requiritur neque alio medio suppleri potest (ut gratia sanctificans in ordine ad gloriam), dicitur necessarium necessitate medii *stricta vel in re;* sin alio medio suppleri potest (ut sacramentum baptismi seu baptismus fluminis), dicitur necessarium necessitate medii *lata vel saltem in voto.*

1. Fides necessaria est necessitate *praecepti.* A Deo enim gravis obligatio credendi omnibus hominibus adultis imposita est. Nam *a)* Christus dicit Marc. 16, 16: *Qui ... non crediderit condemnabitur* et Io. 3, 18: *Qui ... non credit, iam iudicatus est. b)* S. Ioannes scribit[1]: *Hoc est mandatum eius, ut credamus in nomine Filii eius Iesu Christi. c)* Innocentius XI. damnavit hanc propositionem (16.): Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale et secundum se[2].

2. Fides necessaria est necessitate medii eaque stricta. Haec necessitas ex omnibus praedictis satis evincitur; praeterea *a)* ex Gal. 3, 11: *Iustus ex fide vivit.* Sed id, *ex quo* homo vivit, medium ad vitam absolute necessarium est; *b)* ex eo, quod a Trid. dicitur[3] sine fide nulli unquam contigisse iustificationem; nam id, sine quo iustificatio nullo tempore cuiquam contigit, ad hanc certe necessarium est necessitate medii eaque stricta; *c)* ex eo, quod ab eodem Trid.[4] fides vocatur initium,

[1] 1. Io. 3, 23.
[2] Denzinger, 1033.
[3] sess. 6, cap. 7.
[4] sess. 6, cap. 8.

fundamentum, radix iustificationis; nam si ad iustificationem se habet sicut initium lineae ad lineam, sicut fundamentum ad aedificium, sicut radix ad arborem, sane necessaria est necessitate medii; *d)* ex hac ratione, quod nullus homo movebitur, ut ad iustificationem se efficaciter atque sufficienter disponat, nisi certum habeat Deum sibi propitium fore. Sed hoc certum habere non potest nisi fide.

III. Obiectum fidei sunt omnes veritates a Deo revelatae. Singulae huiusmodi veritates credi possunt aut explicite aut implicite seu in voto; unde quaestio hic oritur, quaenam explicite credi debeant idque necessitate medii, cum de iis quae explicite necessitate praecepti credi debeant, moralistarum sit agere.

1. Necessitate medii explicite credenda ideoque etiam cognoscenda est duplex haec veritas: Deum esse et Deum esse remuneratorem bonorum et, quod consequens est, vindicem malorum, utrumque in altera vita. Id *a)* eruitur ex Hebr. 11, 6 supra cit., *b)* patet ex communi doctrina theologorum et ex eo, quod Innocentius XI. damnavit hanc propositionem (22)[1]: Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris; *c)* intelligitur ex hac ratione, quod homo adultus iustificari nequit, quin in Deum finem ultimum supernaturalem tendat; sed in hunc tendere non potest, nisi cognoscat Deum et esse et suum finem supernaturalem esse seu aeternam beatitudinem sibi esse collaturum.

2. Solam illam duplicem veritatem, non etiam post Christi adventum mysteria ss. Trinitatis et incarnationis, ut aliquot volunt, necessitate medii explicite credi debere est sententia vere probabilis, immo theoretice probabilior. Secus enim, cum omnibus fatentibus ante Christi adventum explicita fides horum mysteriorum necessaria non fuerit, multi homines post Christi adventum difficilius salvari possent, quam ante ipsum, id quod admitti non potest.

Fides Mediatoris seu Redemptoris in fide Dei remuneratoris implicite continetur.

S. Thomas[2]: «Gentiles, qui fuerunt salvati, sufficiebat eis, quod crederent Deum esse *remuneratorem*, quae remuneratio non fit nisi per Christum: unde implicite credebant in Mediatorem».

[1] Denzinger, 1039.

[2] cap. 11. ad Hebr. lect. 2.

Lehmkuhl[1]: « Certum est explicitam fidem de ss. Trinitate ante Christum necessariam non fuisse, sed confusam quandam redemptionis notitiam suffecisse, qua credebatur Deum aliquo modo providere vel providisse, ut humano generi peccatis lapso atque iis, qui, quod possent, facerent, subveniretur. Neque videtur firma ratio asserendi post Christum illam absolutam medii necessitatem mutatam esse ».

THESIS III. **Fides sola ad acquirendam iustificationem et consequenter vitam aeternam non sufficit.**

De fide ex Trid. sess. 6 can. 9: Si quis dixerit sola fide impium iustificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur... a. s.

Opponitur novatoribus saec. 16.

Lutherus aperte et saepe docuit ad consequendam iustificationem solam fidem necessariam esse et eam quidem non ut opus bonum, sed simpliciter ut instrumentum, quo meritum Christi apprehendatur. Quam doctrinam maxime exposuit in commentario in ep. ad Gal. et vocavit articulum stantis aut cadentis ecclesiae. — *Calvinus* ait[2]: « Dicimus hominem sola fide iustificari »; et[3] « Fides ergo sola est, quae iustificat, fides tamen, quae iustificat, non est sola ».

Posteriores protestantes ab hac doctrina saepe non mediocriter recesserunt.

Probatur: I. Ex Scriptura, in qua:

1. Praeter fidem alii actus ad iustificationem necessarii vel idonei praedicantur, praesertim:

a) timor. Eccli. 1, 27. 28: *Timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est, non poterit iustificari;*

b) dilectio. Luc. 7, 47: *Remittuntur ei* (Magdalenae) *peccata multa, quoniam dilexit multum.* — 1. Io. 3, 14: *Qui non diligit, manet in morte;*

c) poenitentia atque emendatio. Ezech. 18, 21: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea... vita vivet et non morietur.* — Ioel 2, 12: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et in fletu et in planctu;*

d) susceptio sacramenti. Tit. 3, 5: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis;*

[1] Theol. mor. vol. I, n. 278.
[2] Inst. l. 3, c. 11, § 19.
[3] Antid. Conc. Trid. sess. 9 ad can. 11.

e) observantia legis et effectio bonorum operum. Rom. 2, 6. 13: *Qui reddet unicuique secundum opera eius... Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Tob. 12, 9: *Eleemosyna a morte liberat.*

2. Insufficientia fidei solius declaratur. Gal. 5, 6: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed fides, quae per caritatem operatur* (πίστις δὶ ἀγαπῆς ἐνεργουμένη, melius [1] = fides, quae per caritatem animatur et in opus deducitur). — Ergo fides absque caritate non sufficit.

Iac. 2, 24. 26: *Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, et non ex fide tantum?... Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.*

Nota. Cum ad consequendam iustificationem plures actus disponant, s. Scriptura optimo iure modo unum, modo alterum ad eam necessarium vel utilem praedicare potest, quin ideo fas sit concludere unum alterumve sine aliis sufficere. Ceterum sensu aliquo vero iustificatio soli fidei adscribi potest, non in quantum opponitur ceteris actibus supernaturalibus, sed in quantum opponitur actibus naturalibus (sc. operibus legalibus Iudaeorum praecise ut legalibus et operibus paganorum ex solo dictamine rationis factis) et ceteros actus supernaturales in radice includit.

II. Ratione.

1. « Iustificatio impii est quidam motus, quo humana mens movetur a Deo a statu peccati in statum iustitiae. Oportet igitur, quod humana mens se habeat ad utrumque extremorum secundum motum liberi arbitrii, sicut se habet corpus localiter motum ab aliquo movente ad duos terminos motus. Manifestum est autem in motu locali corporum, quod corpus motum recedit a termino a quo et accedit ad terminum ad quem. Unde oportet, quod mens humana, dum iustificatur, per motum liberi arbitrii recedat a peccato et accedat ad iustitiam. Recessus autem et accessus in motu liberi arbitrii accipitur secundum *detestationem* et *desiderium*... Oportet igitur, quod in iustificatione impii sit motus liberi arbitrii duplex: unus, quo per desiderium tendat in Dei iustitiam et alius quo detestetur peccatum ». S. Thom. [2].

---

[1] participio sensu passivo sumpto. Potest etiam cum Vulgata sensu mediali seu activo sumi.

[2] 1. 2, q. 113, a. 5, c.

2. Doctrina contraria viam latam patefacit levitati ac morum perversitati et destruit virtutis studium.

Scholia.

I. De omnibus actibus ad iustificationem consequendam necessariis Tridentinum in sess. 6. cap. 6. haec dicit: « Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia et adiuti fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt, atque illud in primis, a Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu, et dum peccatores se esse intelligentes a divinae iustitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore illumque tanquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam et servare divina mandata ».

Tridentinum hos actus enumerando non vult docere eos omnes in omni iustificatione adulti explicite eliciendos esse, sed solum vult enumerare eos, qui in conversione infidelis elici solent. Sic impossibile non est actu timoris servilis praetermisso statim elicere actum caritatis etc.

Vega (l. 6. c. 12) scribit: « Unum hoc... ante omnia monuerim: non ita patres harum sex dispositionum hoc loco meminerunt, ut asserere voluerint eas omnes necessarias esse et neminem vel una earum deficiente iustificari. Neque eo animo eas ordine statim expresso numerarunt, ut eum ordinem semper servari a Deo aut a nobis crediderint in praeparando nos ad gratiam ».

S. Augustinus quidem dicit[1]: « Rarissime accidit, imo vero nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo modo Dei timore perculsus ». Et Eccli. 1, 28 legitur: *Qui sine timore est, non poterit iustificari.* Sed Suarez recte animadvertit[2]: « Hanc necessitatem esse moraliter ac regulariter intelligendam, quia, cum Deus vult, facile convertit hominem illuminando intellectum per fidem et attentam considerationem maiestatis et bonitatis ipsius et gravitatis peccati, quatenus offensa illius est, et excitando immediate affectum ad perfectam Dei dilectionem et ad dete-

[1] De catech. rud. 5.
[2] lib. 8, cap. 19, n. 11.

stationem peccati propter ipsum et cum spe veniae ab ipso obtinendae, sine interventu timoris aut alterius motus voluntatis, qui ex ipso nascatur. Quod saepe a Deo fieri, et in Magdalena, Matthaeo, bono latrone, Paulo et similibus factum esse docuit Vega l. 6. in Trident., c. 12, inducens etiam parabolam de filio prodigo, qui in se reversus non timore motus est nec severitatem patris, sed miseriam suam et indigentiam et patris abundantiam consideravit et de illius benignitate confidens dixit: Surgam et ibo ad patrem meum. Unde etiam D. Thomas 1. 2, quaest. 113, art. 7. dicit iustificationem interdum fieri subito sine dispositionibus remotis, ad quas timor poenae et motus, qui ex illo nascuntur, pertinent».

II. Multi Thomistae, ut Gonet [1], et nonnulli alii, ut Vasquez [2], censent, ultimum actum, qui ad iustificationem seu gratiam sanctificantem disponat, ab ipsa gratia sanctificante procedere, quemadmodum et ventus fenestram aperiat, quia cubiculum ingrediatur, et cubiculum ingrediatur, quia fenestram aperiat. Sed iis occurritur: Quomodo id, quod homini datur, quia proxime dispositus est, simul datur, ut proxime dispositus sit?

ARTICULUS II.

DE IUSTIFICATIONIS CAUSA FORMALI.

§ I. *De eo, quod contra haereticos definitum est.*

THESIS. **Id, quo formaliter iustificamur, est donum nobis inhaerens.**

De fide ex Trid. sess. 6. cap. 7: Iustificationis unica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere iusti nominamur et sumus, iustitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem.

Can. 11: Si quis dixerit homines iustificari vel sola imputatione iustitiae Christi vel sola remissione peccatorum exclusa gratia et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum San-

---

[1] tom. 4, disp. 1, art. 8.
[2] In 1, 2, disp. 211.

ctum diffundatur atque illis inhaereat; aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum favorem Dei, a. s.

Opponitur Protestantibus, qui docent hominem eo iustificari, quod nullo dono interno accepto propter iustitiam Christi ipsi imputatam iustus habeatur vel declaretur.

Probatur: I. Ex Scriptura, in qua:

1. Iustificatio vocatur regeneratio et renovatio.

Io. 3, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* — Tit. 3, 5: *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti.* — Sed regeneratio homini non minus interna est, quam generatio.

2. Iustus vocatur factura Dei, nova creatura, creatus in Christo Iesu, creatus in iustitia et sanctitate vera.

Gal. 6, 15: *In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed nova creatura.* — Eph. 2, 10: *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu.* — Eph. 4, 24: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.* — Atqui homo is factus esse non potest, quin intrinsecus sit immutatus idque per se permanenter.

3. Ita dicimur per Christum iusti fieri, sicut per Adam peccatores facti sumus. Rom. 5, 19: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem iusti constituentur multi.*

Sed per Adam interne et habitualiter facti sumus peccatores; ergo et per Christum interne et habitualiter iusti efficimur. Sin aliter, damnum per Adam allatum per Christum non fuisset sufficienter reparatum, cum s. Paulus diserte doceat id abunde reparatum fuisse. Rom 5, 15: *Sed non sicut delictum, ita et donum; si enim unius delicto multi* (οἱ πολλοὶ) *mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures* (εἰς τοὺς πολλοὺς) *abundavit.*

Nota. Ex eo, quod voces iustificandi ac iustificationis, quae in Script. multipliciter dicuntur, saepe significationem non habent nisi forensem, colligi non potest illas hanc semper habere, praesertim cum et loci inveniantur (ut Rom. 5, 15 sqq., Gal. 3, 8 sqq.), ubi ex contextu significatio forensis excluditur.

II. Ex Traditione et quidem ex Patribus.

1. *S. Barnabas* [1]: « Cum nos renovavit per remissionem peccatorum, effecit, ut *aliam formam haberemus*, animam nempe puerorum instar, utpote qui et spiritu nos reformavit ».

2. *S. Chrysostomus* [2]: « Quemadmodum, si quis auream statuam tempore, fumo, pulvere, rubigine foedatam denuo conflaverit, eam nobis purissimam atque fulgentem restituit: sic et naturam nostram Deus peccati rubigine foedatam multoque affectam delictorum fumo, illa pulchritudine destitutam, quam ipsi ab initio indiderat, denuo conflavit, et in aquas ceu in conflatorium iniiciens et pro igne gratiam Spiritus immittens, hinc *renovatos cum solaribus radiis splendore decertantes* educit, contrito vetere homine, novo autem splendidiori, quam vetus erat, condito ».

3. *S. Cyrillus Alex.* [3]: « Formatur in nobis Christus Sancto Spiritu nobis *divinam quandam formam* per sanctificationem et iustitiam *indente:* sic enim elucet in animis nostris character substantiae Dei ».

Ceterum ipsi adversarii interdum aperte fatentur se a doctrina ss. Patrum dissentire. Sic Calvinus scribit [4]: « Ne Augustini quidem sententia recipienda est, qui gratiam ad sanctificationem refert, qua in vitae novitatem per Spiritum regeneramur » et Chemnitius [5]: « Non movemus litem, quomodo iustificationem accipiant Patres... Non ignoro aliter loqui Patres, sed de proprietate linguarum quaestio est ».

III. Ratione. Si nos intrinsecus iniusti manentes ob iustitiam Christi nobis imputatam tantum iusti haberemur et *declararemur*, vere et formaliter iusti dici haudquaquam possemus. Nam aliquem iustitia alterius iustum esse et dici non minus absurdum est, quam aliquem alterius sanitate esse et dici sanum.

§ II. *De iis, quae praeterea a Catholicis communiter tenentur.*

Id, quo formaliter iustificamur, est *gratia sanctificans*. Gratia vero sanctificans:

---

[1] Epist. 6.
[2] Hom. 1. ad illumin. 3.
[3] l. 4. in Is. or. 2.
[4] l. 3. instit. c. 11.
[5] 1. p. Exam. Conc. Trid.

I. Non est Deus ipse seu per appropriationem persona Spiritus Sancti speciali ac supernaturali modo in nobis habitans et operans, ut *Petrus Lombardus* opinatus est, sed est *donum a Deo* distinctum et *effectum*.

Magister sententiarum haec dicit[1]: « Sed si charitas Spiritus Sanctus est, qui operatur in singulis, prout vult, cum per eum mens hominis afficiatur et moveatur ad credendum vel sperandum et huiusmodi sicut ad diligendum, quare non sic dicitur charitas motus vel affectio mentis ad credendum vel sperandum sicut ad diligendum? Ad quod sane dici potest, quia alios actus atque motus virtutum operatur charitas, id est Spiritus Sanctus mediantibus virtutibus, quarum actus sunt, utpote actum fidei, id est credere, fide media, ut actum spei, id est sperare, media spe. Per fidem enim et spem praedictos operatur actus. Diligendi vero actum per se tantum sine alicuius virtutis medio operatur, id est diligere. Aliter ergo hunc actum operatur, quam alios virtutum actus. Ideoque differenter de hoc et de aliis loquitur Scriptura, quae istum specialiter charitati tribuit. Est ergo charitas vere Spiritus Sanctus ».

Cum Petrus Lombardus praeterea docuerit nos per caritatem formaliter iustificari, eo ipso docuit gratiam iustificantem seu sanctificantem esse ipsum Spiritum Sanctum.

Hanc sententiam falsam esse omissis aliis rationibus satis apparet ex Concilio Tridentino, sess. 6, et quidem

1. ex cap. 7. supra citato. Nam iuxta hoc *a)* unica causa formalis iustificationis nostrae est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit; atqui, si Spiritus Sanctus esset causa formalis nostrae iustificationis, haec esset ipsa iustitia, qua Deus iustus est, cum Spiritus Sanctus ea iustitia sit; *b)* eadem a Deo donamur; sed donum, quod a Deo confertur, ab eo realiter distinctum est; *c)* eandem unusquisque recipit secundum suam mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis; sed mensura iustitiae desumenda est ex ipsa forma eam constituente; quae si esset ipse Spiritus Sanctus, forma nostrae iustitiae semper esset eadem;

2. ex can. 11. supra citato, et quidem ex verbis: « exclusa gratia et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur »; ergo gratia et charitas non est Spiritus Sanctus ipse;

3. ex can. 24: Si quis dixerit iustitiam acceptam... non augeri coram Deo per bona opera;... a. s. Sed ut iustititia au-

[1] l. 1, dist. 17.

geatur, debet augeri seu perfici ipsa forma iustificans; sed quomodo haec perfici potest, si ea est ipse Spiritus Sanctus?

II. Hoc donum divinitus effectum est *entitas physice permanens*. Illud donum in nobis aliquo modo permanere a nullo catholico in dubium vocatum est, sed id physice permanere aliqui negasse videntur. Iuxta hos igitur non permanet nisi moraliter.

Haec moralis permanentia ab aliis explicatur per gratiam actualem, quae in animam iusti continuo influat eamque foecundam reddat, ab aliis per actum praeteritum, quo homo ad Deum conversus est, a quo ille eodem iure denominetur iustus, quo ab actu praeterito peccati peccator, v. g. ab actu furti fur, appellatur.

Sed hac opinione reiecta gratia sanctificans habenda est donum physice permanens, i. e. entitas physica, quae in physica sua entitate perseverat. Quod iuxta Suarez post Trid. est de fide, iuxta alios fidei proximum, iuxta omnes saltem tam certum, ut sine temeritate negari non possit.

III. Haec entitas physice permanens est *spiritualis et supernaturalis*.

Eam esse spiritualem intelligitur ex eo, quod docente Tridentino ipsa animae inhaeret, immo proponente Viennensi hanc informat. Sed sola entitas spiritualis spiritui inhaerere eumque informare potest.

Verba Concilii Viennensis haec sunt[1]: Nos... opinionem... quae dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo *informantem* gratiam et virtutes tanquam probabiliorem et dictis Sanctorum et doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem sacro approbante Concilio duximus eligendam.

Eandem entitatem esse supernaturalem omissis aliis patet ex damnatione propositionis 21. Baji[2], quae sic sonat: « Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis et proinde naturalis dicenda est et non supernaturalis ».

IV. Haec entitas supernaturalis non est substantia, sed est entitas *accidentalis*. Quod

---

[1] Denzinger, 411.
[2] Denzinger, 901.

1. colligitur ex eo, quod Tridentino testante animae inhaeret; sed inhaerere non substantiae, sed soli entitati accidentali convenit;

2. intelligitur ex eo, quod entitas creata supernaturalis, quae sit substantia, ut fert sententia communis theologorum, repugnat.

S. Thomas [1]: « Omnis substantia vel est ipsa natura rei, cuius est substantia, vel est pars naturae, secundum quem modum materia vel forma substantia dicitur. Et quia gratia est supra naturam humanam, non potest esse, quod sit substantia aut forma substantialis, sed est forma accidentalis ipsius animae. Id enim, quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in anima participante divinam bonitatem ».

Suarez [2]: « Accidentia sunt instituta ad perficiendas substantias et supplendum defectus earum, et ideo per accidentia superaddita participare potest inferior substantia aliquo modo id, quod est proprium superioris. Eo vel maxime, quod in unaquaque re primum fundamentum et quasi mensura omnium proprietatum connaturalium est propria substantia, et ideo in ipsis terminis involvitur repugnantia, cum dicitur substantia supernaturalis. At vero accidentia adduntur substantiae; et quando ab extrinseco veniunt, non est necesse, ut omnino commensurentur imperfectioni eius, in qua recipiuntur; sed possunt esse participationes altioris naturae et ex obiecto vel aliunde habere perfectionem suam ».

V. Haec entitas accidentalis est *qualitas*. Id theologi communiter tenent et Catechismus Concilii Tridentini [3] his verbis docet: « Est autem gratia, quemadmodum Trident. synod. ab omnibus credendum poena anathematis proposita decrevit, non solum, per quam peccatorum fit remissio, sed *divina qualitas in anima inhaerens*, ac veluti splendor quidam et lux, quae animarum nostrarum maculas omnes delet ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit ».

Concesso gratiam sanctificantem esse accidens etiam concedendum est atque ab omnibus conceditur eam pertinere ad genus qualitatis. Nam nec potest esse quantitas, quia spiritualis est, nec relatio (realis, ut patet). Nam haec « non potest in aliquo resultare nisi praevia mutatione ad aliquid absolutum, quae in subiecto vel termino relationis praecedat, ut est in Metaphysica quasi principium per se notum. In praesenti autem, si gratia est relatio, non est nisi ad Deum, ut supponitur; ergo non potest incipere in nobis per mutationem termini; nam Deus, qui est terminus, mutari non

---

[1] 1. 2, q. 110, a. 2, ad 2.
[2] De Deo, l. 2, c. 9, n. 15.
[3] in tract. de baptismo n. 50.

potest; ergo debet incipere per mutationem hominis, qui est gratiae subiectum; ergo per illam mutationem fit aliquid absolutum in homine; illud ergo est essentialiter donum gratiae; nam si inde fortasse aliqua relatio resultet, est quid consequens ». Suarez [1]. Accidens vero, quod modificat seu disponit substantiam in se ipsa, qualitas est.

VI. Haec qualitas pertinet ad speciem *habitus*.

Omissis enim iis duabus ultimis speciebus qualitatum, quibus substantia modificatur in ordine ad passionem et alterationem, sc. passione et patibili qualitate, v. g. pallore ex metu vel infirmitate orto, et quibus substantia modificatur in ordine ad extensionem, sc. forma et figura, patet gratiam sanctificantem non posse pertinere ad secundam speciem qualitatum, quae complectitur potentiam et impotentiam; nam entia supernaturalia non dant potentias spirituales, i. e. intellectum et voluntatem, sed eas supponunt atque perficiunt. Ergo gratia sanctificans ad primam speciem qualitatum pertineat oportet sc. aut ad habitum aut ad dispositionem. Sed cum dispositio sit qualitas natura sua cito transiens, gratia vero sanctificans per se sit, ut supra dictum est, permanens, referri debet ad speciem habitus. Et re vera a theologis ad hanc speciem communiter refertur idque merito.

Nam: 1. In s. Scriptura de gratia sanctificante et de iis, qui eam possident, ea praedicantur, quae optime quadrant ad esse habituale.

a) Gratia sanctificans enim vocatur lux, semen etc.

Eph. 5, 8: *Eratis enim aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino.*

1. Io. 3, 9: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.*

b) In gratia sanctificante constituti vocantur nova creatura, consortes divinae naturae etc.

2. Petr. 1, 4: *Per quem* (Christum) *maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae.*

2. Concilium Tridentinum sess. 6. can. II. definivit gratiam in cordibus diffundi atque illis inhaerere; sed hoc habitui congruit. De hac definitione narrat Pallavicinus [2]: « Postulantibus quibusdam, ut expressius declararetur fieri iustitiam per habitum infusum, delecti Patres ad id responderunt id satis explicari per vocem « inhaeret », quae stabilitatem significat et habitibus congruit, non actibus ».

---

[1] De gratia, lib. 6, cap. 2, n. 8.

[2] Hist. Conc. Trid. l. 8, c. 14, n. 3.

3. Secundum doctrinam Ecclesiae infantes per baptismum accipiunt gratiam sanctificantem, sed hanc accipere non possunt per modum actus, cuius incapaces sunt; ergo eam accipiunt per modum habitus.

Scholion.

I. Iam saec. 16. Ioannes Vincentius, O. P., Hispanus (Asturicensis) asseruit [1] iustificationem fieri posse per aliquem modum realiter identificatum animae vel voluntati et formaliter ab ea distinctum, ausus tamen non est affirmare eam reapse ita fieri.

Sed aetate nostra hoc aliqui vere affirmant, eo quod tenent accidentia absoluta metaphysice impossibilia esse. Unde docent, gratiam sanctificantem esse *modum* quendam *ab anima non realiter* sed tantum ratione cum fundamento in re seu virtualiter *distinctum*, modum tamen, ut aiunt, realem seu ontologicum, quem Deus solus operetur et per quem homo intrinsecus mutetur atque ad ordinem divinum elevetur.

Haec sententia iuxta Kleutgen testante Tepe est contra fidem, iuxta Suarez [2], qui Ioannem Vincentium impugnavit, magnus error, iuxta Franzelin [3] est philosophice non facile intelligibilis et theologice minime probabilis, Schiffini [4] difficile defendi posse videtur. Econtra Pesch [5] haec dicit: « Omnes fatentur ante Conc. Trid. realem distinctionem gratiae ab anima non fuisse de fide definitam (cf. Suarez l. 6, c. 3, n. 3), porro Conc. Trid. disertis verbis hanc doctrinam non definivit, neque ex iis, quae definivit, haec doctrina cum certitudine deduci potest. Nam Concilium docet gratiam non esse externum tantum favorem Dei, sed a Deo infundi nobis, animae nostrae inhaerere, per eam nos intrinsece mutari et fieri iustos et Dei amicos. Iamvero haec omnia vera sunt, etsi gratia est modus tantum realis animae in ipsa a Deo effectus sine ulla forma accidentali, quae realiter ab anima distinguatur. Ob has rationes nonnulli theologi non admittunt realem distinctionem. Alii autem eam omnino defendunt. Quare breviter aspiciamus eorum disputationem.

Censet Suarez gratiam esse rem aliquam habentem proprium esse supernaturalis ordinis propriamque entitatem ab anima realiter distinctam. Hanc quidem assertionem dicit non esse de fide, quia metaphysicae subtilitates non directe pertinent ad fidem, esse tamen certam, quia definitiones

---

[1] De habituali Christi, Salvatoris nostri, gratia relectio.

[2] De gratia, lib. 7, cap. 15, n. 8.

[3] De sacram. in genere, thesis XIII, I (expresse loquens de charactere sacramentali).

[4] De gratia divina, disp. 3, sect. 4. n. 171, III.

[5] tom. 5. n. 314 sqq.

ecclesiae accipiendae sunt secundum illam significationem, quam verba habent ex communi usu doctorum. Nemo autem per vocem gratiae umquam intellexit modum identificatum cum anima, sed formam realiter distinctam (l. 6, c. 15, n. 8.). Respondent alii omnes quidem theologos gratiam concepisse ut perfectionem realem, qua anima vere informetur, sed de distinctione reali adaequata ne verbulum quidem dixisse, antequam certa aliqua schola introduxerit distinctiones multas reales plane non necessarias. Hanc doctrinam ecclesia neque approbavit neque improbavit; at neque ex Patribus neque ex Conciliis neque ex veteribus theologis ille, qui affirmatur, communis loquendi usus probari potest, sed omnibus fontibus theologicis satisfit, si admittimus gratiam, quae consistit in modo reali animam realiter immutante et cum ea identificato.

At, inquit Suarez (l. c. n. 7), realis immutatio concipi nequit sine nova forma addita; neque igitur anima potest fieri naturae divinae particeps nisi per formam ab anima realiter distinctam. Respondent alii: Secundum Suaresium illa forma realiter distincta cum anima coniungitur modo unionis ab anima modaliter tantum distincto; et re vera gratia non extrinsecus tantum animae appenditur, sed per gratiam ipse homo debet esse intrinsecus iustus, unde iustitia debet animam intrinsecus modificare. Estne igitur haec modificatio iterum realitas distincta? Tunc eadem quaestio recurrit, quomodo haec realitas animam intrinsecus iustificet, donec tandem veniamus ad modum, qui a substantia animae non ut res a re distinguatur. Unde etiam adversarii concedere debent ab illa qualitate realiter distincta gigni in anima modum non realiter distinctum, qui sit formaliter ipsa interna animae iustitia. Itaque si in omni sententia necessarius est talis modus ab anima non realiter distinctus, quo anima intrinsecus iustificatur, debemus contenti esse hoc modo, qui animam per realem identificationem iustificat, neque multiplicare entia sine ratione. Hic autem modus vocatur forma, quia secundum rationem ab anima distinguitur eamque perficere concipitur, sicut calor et color possunt vocari formae corporum. Sicut igitur modus unionis, quo anima unitur cum illa qualitate realiter distincta, habet in anima effectum internum superantem animae exigentiam, ita, aiunt, in nostra sententia ipsa gratia sanctificans habet talem effectum, quamvis cum anima realiter identificetur. Pessima autem est philosophia, quae supponit subiectum habere semper et necessario eam perfectionem, quae ab ipso subiecto sola ratione distinguatur. Nam si hoc verum esset, anima semper et necessario esset simul modus ille, quo intrinsecus iustificatur, id quod ipsi adversarii non concedunt. — Haec sufficiant, ut aliqua saltem idea huius disputationis habeatur.

Quid autem de hac disputatione sentiendum est? Respondeo: Si quis admittit accidentia a subiecto realiter distincta unienda esse cum subiecto per modum unionis, hic non videtur respondere posse ad illas obiectiones; nam si anima realiter mutari potest per modum non realiter adaequate distinctum, possumus tuto admittere per talem modum sine alia qualitate distincta animam sanctificari. Reiectis autem illis modis tota controversia in nihilum abit. Tunc enim dicendum est accidentia absoluta esse quidem realiter a substantia distincta, quatenus anima potest esse sine ipsis, non vero ipsa sine anima, sed ita uniri cum substantia intrinsecus, ut non maneant

duae res separatae, sed sint vere et proprie unum. Intellectus e. g. est distinctus ab aliqua particulari cogitatione, quam habet, quia intellectus manet, etiamsi cogitatio abit; neque vero quando in intellectu est cogitatio, duae ibi res separatae manent, ut hinc sit intellectus, illinc cogitatio, quae modulo unionis tamquam tenuissimo filo colligentur, sed ipse intellectus intrinsecus est cogitans neque cogitatio quicquam est nisi intellectus in actu. Actus cogitandi producitur in anima et ex potentia eius naturali; anima vero et actus eius inter se communicant realitatem suam, ut fiat ens unum, quod ab utroque componente sit inadaequate distinctum, et constituunt unum compositum, cui utrumque componens est internum. Similiter gratia sanctificans est aliquid realiter distinctum a substantia animae, quia anima in statu gratiae et extra statum gratiae non est alterius et alterius substantiae, sed alterius et alterius perfectionis accidentalis. Producitur gratia a Deo in anima et ex potentia obedientiali animae, ita ut gratia cum anima unum ens constituat, quod est esse iustum; neque enim ex una parte est anima, et ex altera parte gratia sanctificans, quae tertio aliquo (modo unionis) coniungantur, sed ipsa anima intrinsecus fit iusta per gratiam sanctificantem. Unde etiam minus recte dicitur gratia sanctificans fieri, quam anima fieri aliquid per gratiam sanctificantem. « Omne accidens non dicitur ens, quasi ipsum esse habeat, sed quia eo aliquid est, unde et magis dicitur entis quam ens. Et quia eius est fieri vel corrumpi, cuius est esse, ideo proprie loquendo nullum accidens neque fit neque corrumpitur, sed dicitur fieri vel corrumpi, secundum quod subiectum incipit vel desinit esse in actu secundum illud accidens. Et secundum hoc etiam gratia dicitur creari ex eo, quod homines secundum ipsam creantur, i. e. in novo esse constituuntur ex nihilo, i. e. non ex meritis secundum illud ad Eph. 2. 10: Creati in Christo Iesu in operibus bonis » (S. Thomas 1, 2, q. 110, a. 2. ad 3). Hactenus Pesch.

Einig haec habet[1]: « Accedit denique quaestio, utrum gratia habitualis ab anima eiusque potentiis realiter distinguatur, an sit potius ipsius animae modus, ut aiunt, *realis;* talis utique modus, quem Deus solus operetur. Suarezius licet concedat non esse de fide definitam distinctionem illam realem, tamen doctrinam eam asserentem vocat certissimam et quae sine magno errore in dubium revocari non potest ». Verum alii nec rem definitam esse dicunt, et argumenta theologica, quae afferuntur, id extra omnem dubitationem non ponere ostendunt. Quid nos? Concilia fatetur ipse Suarezius de subtilitatibus philosophicis nihil curasse; ergo, theologos cum agamus, nec nos curabimus ».

II. Huic sententiae praeter alia haec opponuntur:

1. Definitiones Conciliorum et Pontificum accipiendae sunt iuxta eam significationem, quae verbis naturalis atque obvia est et iisdem a theologis communiter tribuitur. Atqui praedi-

[1] De gratia divina, thes. 24. Coroll.

ctae definitiones iuxta significationem naturalem atque obviam gratiam sanctificantem exhibent ut donum ab anima realiter distinctum. Nam secundum eas gratia sanctificans est donum a Deo infusum, animae inhaerens, animae superadditum, animam elevans ad consortium divinae naturae [1]. Sed his omnibus iuxta sensum obvium significari donum ab anima realiter distinctum manifestum est. Eandem vero significationem illis verbis a theologis communiter attribui, ipsi adversarii concedunt haud diffitendo doctrinam suam esse novam et a scholasticis communi consensu reprobatam.

Nota. « Simile argumentum peti potest ex iis Scripturae locis, in quibus gratia exhibetur ut donum a Deo infusum, animam intrinsecus renovans et regenerans et in Deum quodammodo transformans, ut semen Dei, ut participatio naturae divinae, ut vestimentum album (Apoc. 3, 18) ut vestis nuptialis etc. Haec enim omnia manifeste ostendunt gratiam esse entitatem physicam, animae superadditam, hinc ab anima realiter distinctam. Simile argumentum pariter facile confici potest ex testimoniis Patrum ». Tepe [2].

2. Haec sententia ordinem gratiae cum ordine naturae confundit. Nam iuxta eam « gratia identificatur cum natura et consequenter per solam naturalem animae entitatem habetur. Nec refert, quod adversarii admittunt distinctionem rationis cum fundamento in re. Nam haec distinctio non exigit entitates a parte rei diversas, sed solum diversos conceptus eiusdem rei. Hinc (iuxta hanc sententiam) unicum esset in nobis formale principium vitae supernaturalis et naturalis, ipsa anima per simplicem et indivisibilem entitatem substantiae suae esset in nobis formalis causa iustitiae, adoptionis divinae et amicitiae divinae, sicuti est formalis causa vitae corporis ». Tepe.

Nota. Observandum est non contendi gratiam esse entitatem, quae etiam extra animam per omnipotentiam Dei conservari possit, sicut species panis et vini in Sacramento Eucharistiae sine subiecto conservantur. Aliud est enim realis distinctio, aliud realis separatio. Actus intelligendi ab intellectu realiter distinguitur, tamen ne per omnipotentiam quidem divinam extra intellectum existere potest. Ab adversariis haec duo omnino diversa non raro confunduntur.

---

[1] Denzinger, 682, 692, 703, 904, 411, 897, 901.

[2] Institutiones Theol. vol. 3, tract. 7, prop. 23.

§ III. *De iis, quae inter Catholicos libere controvertuntur.*

Praecipuae quaestiones theologice liberae ac disputatae sunt sequentes:

A. Utrum gratia sanctificans a virtute infusa caritatis realiter distinguatur et immediate sit in essentia animae an non realiter distinguatur et consequenter immediate sit in voluntate.

I. S. Thomas et Thomistae, S. Bonaventura [1], Suarez, nostra aetate plurimi tenent gratiam sanctificantem a virtute infusa caritatis *realiter* distingui et immediate esse in animae *essentia*. Secundum hos theologos gratia sanctificans est habitus entitativus, qui immediate dat esse supernaturale et mediate tantum disponit ad actum supernaturalem; caritas vero est habitus operativus, qui immediate ad actum supernaturalem disponit. Ambo tamen habitus vinculo naturali atque indissolubili copulantur, ita ut simul infundantur, pariter crescant, una amittantur.

S. Thomas [2]: « Sicut in rebus naturalibus est aliud natura ipsa, quam inclinatio naturae et eius motus vel operatio, ita et in gratuitis est aliud gratia a caritate et a ceteris virtutibus ». Et [3]: « Sicut per potentiam intellectivam homo participat cognitionem divinam per virtutem fidei, et secundum potentiam voluntatis amorem divinum per virtutem caritatis, ita etiam per naturam animae participat secundum quamdam similitudinem naturam divinam per quamdam regenerationem sive recreationem ». Et [4] « Sicut ab essentia animae effluunt eius potentiae, quae sunt operum principia, ita etiam ab ipsa gratia effluunt virtutes in potentias animae, per quas potentiae moventur ad actus ».

Mazzella [5] iuxta mentem Suarez [6]: « Nomine gratiae sanctificantis intelligimus formam quamdam, accidentalem quidem in se, quia infunditur animae et illi inhaeret; comparatione autem aliarum virtutum infusarum se habentem ad modum formae substantialis, quia non datur tamquam princi-

---

[1] Tom 2, pag. 641-644 et 656-658; tom. 3, pag. 596-598; Breviloq. p. V., cap. 4, ubi fere eodem modo loquitur ac S. Thomas.

[2] De verit. q. 27, a. 2, c.

[3] 1. 2, q. 110, a. 4, c.

[4] ib. ad 1.

[5] De gratia Christi, n. 953.

[6] De gratia, lib. 6. cap. 11-13.

pium proximum alicuius determinatae operationis, sed ad dandum animae esse quoddam divinum. Unde per hanc formam participatur natura divina, non prout est intellectus vel voluntas vel aliud attributum, quod sit operatio vel principium proximum operandi; sed prout est essentia quaedam et natura super omnem naturam substantialem creatam et creabilem. Unde fit, ut, sicut natura divina secundum rationem est quasi radix intellectus et voluntatis divinae, ita haec forma sit quasi radix secundum rem infusarum virtutum, etiam caritatis. Et hinc tandem fit, ut per hanc formam primo deificetur anima, et consequenter ex vi eius connaturaliter expellatur peccatum, ac denique ratione illius debeantur deificae operationes usque ad visionem beatam suo tempore obtinendam ».

Nota. Ab aliquibus horum theologorum, qui habitum intelligunt qualitatem per se primo ordinatam ad operationem, gratia sanctificans habitus saltem proprie non vocatur. Sic s. Thomas dicit[1]: « Gratia est in prima specie qualitatis, quamvis non proprie possit dici habitus, quia non immediate ordinatur ad actum ». Quidam eam appellant qualitatem per modum habitus. Alii vero eam vocant habitum, tum quia etiam in ordine naturali non quilibet habitus per se primo ad operationem ordinatus est (e. g. sanitas, quae certe pertinet ad primam speciem qualitatis, sed non ad dispositionem, quia natura sua non est cito transiens, ergo ad habitum), tum quia gratia sanctificans non est principium pure quiescens, sed etiam operativum, cum animae det virtutem eliciendi actus supernaturales.

Haec sententia aliquot rationibus congruis suadetur, praesertim sequentibus, quae desumuntur:

1. *Ex parte gratiae sanctificantis.* Gratia sanctificans homini dat esse supernaturale, eum faciens filium Dei adoptivum, reddens consortem divinae naturae etc.; sed sola virtus caritatis esse supernaturale non dat. Nam:

a) Virtus caritatis est virtus supernaturalis proxime operativa; ergo supponit supernaturale esse, cui sua operatio sit connaturalis. Nam omnis operatio esse supponit, cui connaturalis est.

b) Caritas ut caritas solum elevat voluntatem ad diligendum, sicut fides intellectum elevat ad credendum. Sed id ex conceptu suo non dicit facere filium Dei adoptivum, reddere consortem divinae naturae etc. Nam e. g. id, quod hominem reddit aptum ad diligendum regem, eo ipso illum non reddit dignum, qui a rege adoptetur in filium.

2. *Ex parte caritatis.* Caritas est virtus supernaturalis. Virtus autem disponit hominem convenienter ad naturam prae-

[1] De veritate, q. 27. a. 2, ad 7.

existentem; sed virtus supernaturalis hominem non disponit convenienter ad naturam humanam ut humanam seu rationalem, quia sic disponit virtus naturalis; ergo eum disponit convenienter ad naturam humanam ut elevatam ad esse supernaturale; sed ad hoc elevatur per gratiam sanctificantem ut causam formalem; ergo ab hac virtus supernaturalis, etiam caritatis, eodem pacto realiter distincta esse censetur, quo virtus naturalis a natura.

3. *Ex parte ordinis supernaturalis.* Convenit ordinis supernaturalis sublimitati, Christi, auctoris eiusdem, dignitati Deique bonitati naturam in eo ordine non minus instrui atque ornari, quam in ordine naturali; sed in ordine naturali Deus quamlibet rem ita constituit, ut ei primo det formam substantialem, deinde potentias ac virtutes agendi ut connexas cum forma et in ea radicatas; ergo admittendum est, Deum etiam in ordine supernaturali primo dare gratiam sanctificantem ad instar formae substantialis, deinde supernaturales virtutes ei connexas in eaque radicatas.

II. Petrus Lombardus, Scotus eiusque sequaces, Bellarminus etc. sentiunt gratiam sanctificantem a virtute infusa caritatis realiter non distingui et consequenter immediate esse in voluntate.

Virtutem enim caritatis in voluntate esse manifestum et ab omnibus admissum est.

Iuxta illos vero inter gratiam sanctificantem et virtutem caritatis saltem admittenda est distinctio rationis ratiocinatae, quae ex respectu ad diversos effectus oritur. Idem enim supernaturalis habitus vocatur caritas, quatenus est principium, quo nos Deum diligimus, gratia vero sanctificans, quatenus est forma, ob quam nos ut filii adoptivi Deo dilecti sumus.

Dictum est saltem admittendam esse distinctionem rationis ratiocinatae. Nam cum haec plurimis sufficere videatur, etiam aliquot Scotistis, ut Frassen [1] et Herincx [2], quod et de ipso Scoto affirmari solet, ab aliis Scotistis, ut Boyvin [3] et Dupasquier [4] hic ponitur distinctio ex natura rei formalis.

---

[1] tom. 9, tract. 3, disp. 2, art. 1, quaest. 2.
[2] pars 2, tract. 4, disp. 4, quaest. 4.
[3] pars 2, tract. de gratia cap. ult., quaest. 2.
[4] tom. 5, disp. 4, quaest. 2.

Rationes praecipuae ad hanc sententiam fulciendam desumuntur:

1. *Ex parte effectuum formalium* gratiae sanctificantis et virtutis caritatis, qui sunt omnino iidem. Nam, sicut illa, ita et haec iuxta verba s. Scripturae delet peccata, nos sanctificat, nos unit cum Deo etc.

1 Petr. 4, 8: *Caritas operit multitudinem peccatorum.*

Eph. 1, 4: *Elegit nos... ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate.*

1 Io. 4, 16: *Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo.*

Sed si gratiae sanctificanti et caritati iidem effectus formales competunt, iis etiam eadem essentia competit.

Opponitur: Iidem effectus gratiae sanctificanti et caritati tribuuntur, non propterea quod sunt unus habitus, sed propterea, quod inter se inseparabiliter connexae sunt et gratia per caritatem illos effectus operatur.

2. *Ex parte inseparabilitatis* gratiae sanctificantis et virtutis caritatis. « Quae realiter distinguuntur, possunt ab invicem separari, saltem prius a posteriori; sed gratia non potest separari a caritate, quia, si daretur gratia sine caritate in aliquo homine, sequeretur hominem illum salvari et non salvari; salvari quidem, quia habet gratiam et per consequens ius ad gloriam; non salvari, quia non habet caritatem, sine qua nemo salvari potest ex 1. Cor. 13, 3: Si caritatem non habuero, nihil mihi prodest ». Mastrius [1].

Opponitur a Pesch [2]: « Eatenus quidem non repugnat gratiam et caritatem inter se separari, quatenus sunt duae realitates distinctae; sed non minus repugnat sapientiae Dei homini dare gratiam sine caritate, quam repugnat dare homini naturam sine facultatibus, etsi hae a natura realiter distinguantur ».

Nota. Dicta s. Scripurae, ss. Patrum, Conciliorum pro utraque sententia afferri solent, pro priore ea, quibus gratia et caritas componuntur ideoque ut distincta exhibentur, pro altera ea, quibus caritati sanctificatio adscribitur; sed « prout

---

[1] Disp. de iustificatione, quaest. 6.

[2] tom. 5, n. 321.

aut haec aut illa dicta... afferuntur, aut una aut altera sententia facilius eorum modo loquendi accommodatur, unde si solae illae auctoritates in quaestionem veniunt, vix dici possit, utra sententia sit praeferenda ». Pesch.

B. **Utrum gratia sanctificans ex nihilo producatur, an educatur de potentia obedientiali animae.**

I. S. Thomas et Thomistae, Suarez, plurimi alii censent gratiam sanctificantem educi de potentia obedientiali animae.

Suarez dicit[1]: Haec « nunc est opinio communis ».

Ratio eorum haec est: Gratia sanctificans nec creatur nec concreatur, ergo educitur de potentia animae; non potest educi de potentia eius naturali; ergo educitur de potentia eius obedientiali.

1. Gratia sanctificans non creatur. Nam gratia sanctificans est accidens animae inhaerens; ergo ab hac in esse dependet. Non autem dependet ab hac nisi ut a causa materiali; habet igitur quoad suum esse veram causam materialem; ergo eandem quoque habet quoad suum fieri, quia fieri est consentaneum τῷ esse, immo est esse inchoatum; ergo non creatur, cum creatio sit actio, per quam res tota fit sine concursu causae materialis.

2. Gratia sanctificans non concreatur. Nam « illud dicitur concreari, quod fit per eandem actionem, qua subiectum creatur; unde intellectus et voluntas dicuntur fieri per concreationem, quia, cum sint proprietates animae rationalis, fiunt per eandem actionem, per quam ipsa producitur. Sed gratia sanctificans, cum non sit proprietas animae, sed accidens ipsi indebitum, non fit per eandem actionem, per quam anima producitur, sed per diversam; ergo non potest dici concreari a Deo ad creationem subiecti ». Gonet[2].

3. Cum inter creationem una cum concreatione et eductionem de potentia subiecti non sit medium, gratia sanctificans de potentia animae educi censenda est, et cum illa utpote supernaturalis non possit educi de huius potentia naturali, de huius potentia obedientiali educatur necesse est.

---

[1] De gratia, lib. 8, cap. 2, n. 8.

[2] Manuale Thomistarum, tom. 4, tract. 7, cap. 13.

II. Alexander Halensis, s. Bonaventura, Scotus eiusque asseclae tenent gratiam sanctificantem ex nihilo produci seu creari.

S. Bonaventura inter alia haec dicit[1]: « Quia igitur gratia se habet ad modum habitus et *ex nihilo producitur* » etc. Et[2]: « Gratiae autem infusio non est aliud, quam ipsius creatio ».

Pro hac sententia praecipue hae rationes afferuntur:

1. Si gratia sanctificans de potentia obedientiali animae educeretur, anima in gratiae existentiam influeret et haec in fieri a creatura dependeret, quod nobilissimam creaturam dedecet. Econtra creatura nobilissima exigit, ut producatur per actionem praestantissimam, omnium autem actionum praestantissima est creatio eaque eductione multo nobilior.

2. Secundum omnes gratia sanctificans animae infunditur; ergo non educitur de potentia animae. In hoc enim differunt infundi et educi, quod forma, quae infunditur, extrinsecus affertur, forma vero, quae educitur, intrinsecus sc. ex subiecto provenit.

Corollarium. Cum quaestione proposita intime cohaeret haec altera: utrum gratia sanctificans, si amittatur, annihiletur necne.

Ii, qui censent eam creari, consequenter affirmant eam annihilari; ii vero, qui docent eam de potentia obedientiali animae erui, eam annihilari generatim negant. Immo plurimi ex diverso modo, quo gratiam desinere existimant, diversum modum, quo oriatur, probare nituntur.

Pro opinione, quae statuit gratiam annihilari, haec ratio affertur: Si gratia non annihilaretur, « resolveretur in aliquid, maxime in substantiam aut facultates animae, quibus inhaeret; sed illud videtur improbabile; nam ens supernaturale, quale est gratia, non videtur posse resolvi in ens pure naturale, qualis est facultas animae et substantia ». Frassen[3].

Pro opinione contraria haec ratio affertur: Gratia desinit esse ex vi separationis a subiecto; sed separatio a subiecto non est annihilatio, quia subiectum manet; ergo gratia non destrui-

---

[1] tom. 2, pag. 641, n. 6.
[2] tom. 4, pag. 426, n. 3.
[3] tom. 9, tract. 3, disp. 2, art. 2, quaest. 2.

tur per annihilationem, « sed quasi per quandam accidentalem corruptionem, sicut desinit lumen per absentiam solis et non annihilatur ». Suarez [1].

S. Thomas dicit [2]: « Gratia cum corrumpitur, simul etiam in nihil redit ». Sed haec verba ab eius asseclis late intelligi solent, sc. gratiam, cum desinat, totum suum esse amittere, ita ut nulla eius pars maneat, cum idem s. Thomas dicat [3]: Forma corrupti « non annihilatur, nisi quatenus manet in potentia in suo subiecto ».

ARTICULUS III.

DE IUSTIFICATIONIS EFFECTIBUS.

§ I. *De effectu iustificationis privativo.*

THESIS. **Iustificatione peccata vere remittuntur atque delentur.**

De fide ex Trid. sess. 5. can. 5: Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari, a. s. — Quae quamvis diserte dicta non sint nisi de peccato originali, ob paritatem tamen rationis etiam peccatis actualibus applicanda sunt.

Opponitur Lutheranis asserentibus iustificatione peccata tantum tegi seu non imputari.

Explicatur: 1. Remissio ac deletio peccatorum non consistit in eo, quod peccata facta fiunt infecta. Hoc enim repugnat, neque ab ipso Deo fieri potest. Sed illa consistit in hoc, quod peccatum habituale actu peccati transacto remanens deletur et consequenter poena illi debita saltem ex parte remittitur [4]. Peccatum habituale mortale generatim et per se est habitualis aversio a Deo fine ultimo, sicut peccatum mortale actuale est actualis aversio ab eodem, et speciatim in hoc ordine est habitualis aversio a Deo, fine ultimo *supernaturali*,

---

[1] De gratia, lib. 8, cap. 2, n. 11.

[2] 2, d. 26, a. 2.

[3] 4, dist. 11, quaest. 1, art. 2, ad 1.

[4] Rom. 8, 1: Nihil... damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu.

vel, quod re idem est, voluntaria privatio gratiae sanctificantis. Vocatur et reatus culpae et macula: reatus culpae respectu Dei eo offensi, macula respectu animae peccatoris eo foedatae. Peccatum habituale veniale consistit in imputabilitate actus praeteriti non retractati.

2. Causa formalis remissionis peccatorum est gratia sanctificans eaque sola. Nam Trid. dicit sess. 6. cap. 7: (Iustificationis) *unica* formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit... Hinc supernaturalis actus perfectae caritatis vel contritionis non expellit peccatum mortale formaliter, sed solum dispositive. Opinio contraria, quam Vasquez pro probabili habuit, merito communiter reiicitur et a Suarez temeraria dicitur.

Probatur: I. Ex Scriptura, iuxta quam peccata

1. delentur; Ps. 50, 11: *Et omnes iniquitates meas dele.* Is. 43, 25: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Act. 3, 19: *Poenitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra;*

2. abluuntur etc. 1. Cor. 6, 11: *Et haec quidam fuistis; sed abluti estis.* Ps. 50, 9; Is. 1, 16; Ier. 33, 8; Ezech. 36, 25;

3. exhauriuntur; Hebr. 9, 28: *Sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata;*

4. tolluntur, transferuntur etc. Io. 1, 29: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* 2. Reg. 12, 13: *Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* 1. Paral. 2, 18;

5. deponuntur et proiiciuntur in profundum maris; Mich. 7, 19: *Deponet iniquitates nostras et proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra;*

6. longe fiunt a nobis; Psl. 102, 12: *Quantum distat ortus ab occidente: longe fecit a nobis iniquitates nostras.*

Iam vero haec omnia manifeste ostendunt iustificatione peccata vere deleri seu ita remitti, ut amplius non sint.

Nota. In Scriptura peccata semel aut iterum dicuntur tegi et non imputari; nominatim Ps. 31, 1. 2: *Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* (cf. Rom. 4, 7. 8). Sed haec verba iis, quae supra diximus non repugnant. Nam quae tecta sunt, oculis non cernuntur; oculis vero Dei omnia perspicientibus peccata solum tunc non cernuntur, si sunt deleta, et peccata a

Deo non imputantur, quatenus efficaciter remittuntur et ita oblivioni traduntur, quasi numquam fuerint.

Bartholomaeus de Medina Lutherum ita egregie redarguit [1]: « Dicit Dominus [2]: Sanctifica eos in *veritate*. — Lutherus dicit: *Non* sumus *vere* sancti, sed reputamur sancti.

Et iterum [3]: Si ergo vos filius liberaverit, *vere* liberi eritis. — Lutherus dicit, quod *non vere* liberamur a peccato.

Et rursus dicitur [4]: Qui *facit* iustitiam, iustus est. — Lutherus dicit: Non, qui facit iustitiam, iustus est, sed cui *non imputantur* peccata.

Et ibidem dicitur [5]: Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et *simus*. — Lutherus dicit, quod non sumus filii Dei, sed quod *reputamur* filii Dei.

Et Paulus dicit [6]: *Quae enim participatio* iustitiae cum iniquitate? Aut quae societas *luci* ad tenebras? Quae autem conventio *Christi* ad Belial? — Lutherus dicit, quod homo iustus *habet participationem* cum iniquitate, et quod filii lucis sunt *tenebrae*, et quod filii Dei sunt filii *Belial*.

Et, cum recensuisset Paulus fornicarios idolis servientes subiungit [7]: Et haec quidam *fuistis;* sed abluti estis, sed iustificati estis. — Lutherus dicit: Haec aliquando fuistis, et etiam *modo estis*, sed non imputantur vobis delicta vestra.

Praeterea dicit Dominus [8]: Ego sum, qui *deleo* iniquitates vestras. Et in evangelio dicitur de Christo [9]: Ecce agnus Dei, ecce qui *tollit* peccata mundi, et rursus [10], quod *lavit* nos a peccatis nostris in sanguine suo et [11] *eripuit* nos *de potestate tenebrarum*. — Lutherus dicit, quod *manemus immundi* et *in potestate tenebrarum* ».

II. Ratione. Error contrarius non congruit

1. cum Dei *veritate*, quae res aliter considerare non potest ac sunt, proinde iniustum pro iusto habere nequit;

2. cum Dei *sanctitate*, cui repugnat eum, qui peccato mortali maculatus et consequenter inimicus suus est, habere pro amico et filio adoptivo;

3. cum Dei *omnipotentia*, quae si peccata condonare vult, non cogitur ea tegere, sed potest delere.

---

[1] Scholastica Commentaria in D. Thom. 1, 2, q. 113 a. 1.
[2] Io. 17, 17.
[3] Io. 8, 36.
[4] 1. Io. 3, 7.
[5] 1. Io. 3, 1.
[6] 2. Cor. 6, 14.
[7] 1. Cor. 6, 11.
[8] Is. 43, 25.
[9] Io. 1, 29.
[10] Apoc. 1, 5.
[11] Col. 1, 13.

S. Thomas[1]: « Homo peccando Deum offendit. Offensa autem non remittitur alicui, nisi per hoc, quod animus offensi pacatur offendenti. Et ideo secundum hoc peccatum nobis remitti dicitur, quod Deus nobis pacatur. Quae quidem pax consistit in dilectione, qua Deus nos diligit. Dilectio autem Dei, quantum est ex parte actus divini, est aeterna et immutabilis; sed quantum ad effectum, quem nobis imprimit, quandoque interrumpitur, prout sc. ab ipso quandoque deficimus et quandoque iterum recuperamus. Effectus autem divinae dilectionis in nobis, qui per peccatum tollitur, est gratia, qua homo fit dignus vita aeterna, a qua peccatum mortale excludit. Et ideo non posset intelligi remissio culpae, nisi adesset infusio gratiae ».

QUAESTIO. **Qua ratione gratiae sanctificanti vis peccatum mortale expellendi insit.**

Exponitur status quaestionis. 1. Gratiae sanctificanti vis peccatum mortale expellendi duplici ratione inesse potest: ex natura sua et ex positiva institutione seu favore superaddito Dei. Inest ei ex natura sua, si ipsa et peccatum mortale natura invicem opposita sunt, quemadmodum lux tenebris et tenebrae luci. Inest ei ex positiva institutione divina, si ipsa et peccatum mortale natura invicem opposita non sunt et consequenter illa hoc non expellit nisi, quia Deus libere decrevit hoc delere, ubicunque illam infundit. Si igitur libera haec Dei institutio vel ordinatio non esset, infusione gratiae sanctificantis peccatum hominis sive originale sive actuale non deleretur, sed hoc una cum gratia sanctificante consisteret.

2. Si gratia sanctificans vim peccatum mortale expellendi ex natura sua habet, haec illi aut essentialis aut tantum connaturalis est. Essentialis est, si metaphysice repugnat gratiam sanctificantem et peccatum mortale in eodem subiecto simul consistere, quemadmodum repugnat amorem et odium, assensum et dissensum circa idem obiectum in eodem subiecto simul esse, ideoque ne de absoluta quidem potentia divina fieri potest, ut gratia sanctificans alicui infundatur et peccatum habituale mortale in eodem maneat. Connaturalis tantum est, si illud non ita repugnat et consequenter de potentia Dei absoluta fieri potest, ut gratia sanctificans infundatur, quin peccatum mortale per eam expellatur.

Proponuntur diversae sententiae. I. Scotus et Occam eorumque sectatores opinabantur gratiae sanctificanti vim pec-

[1] 1. 2, q. 113 a. 2, c.

catum mortale expellendi non inesse nisi ex positiva ac libera institutione divina, quae si tolleretur, gratia sanctificans peccatori infusa peccatum mortale eiusdem non deleret sed una cum illo consisteret.

De hac sententia Pesch dicit [1]: « a theologis communissime reiicitur et hodie derelicta censeri potest ».

II. S. Thomas, s. Bonaventura, Thomistae, omnes vel omnes fere recentiores censent gratiam sanctificantem peccatum mortale natura sua expellere.

Haec sententia Wirceburgensibus [2] et Schouppe [3] videtur esse Tridentino conformior, a Tepe [4] dicitur fere communis et certa. Suarez de ea dicit [5]: « Sine dubio Conc. Trid. attente consideratum ita huic favet sententiae, ut iam sine magna temeritate negari non posse videatur ».

S. Thomas docens gratiam sanctificantem sanare animam per modum causae formalis praeter alia dicit [6]: « Secundum quod gratia est quaedam qualitas accidentalis, non agit in animam effective, sed *formaliter*, sicut albedo dicitur facere albam superficiem ». Et [7]: « Non posset intelligi remissio culpae, si non adesset infusio gratiae ».

Idem docet s. Bonaventura dicendo [8]: Gratia (culpam) expellit *formaliter et se ipsa* ». Et [9]: « Prius est gratia ab efficiente, quam expellat culpam *per naturam* ».

Controversum tamen est, utrum gratia sanctificans et peccatum mortale invicem opposita sint essentialiter seu absolute an tantum connaturaliter.

1. Thomistis, Vasquez, plerisque recentiorum inter gratiam sanctificantem et peccatum mortale repugnantia essentialis seu metaphysica esse videtur.

2. Suarez et quidam alii sentiunt oppositionem inter gratiam sanctificantem et peccatum mortale esse tantum connaturalem.

Dicit Suarez [10]: « Respectu divinae omnipotentiae nude consideratae non est physica repugnantia, quod gratia in anima actu peccante mortaliter conservetur ».

---

[1] tom. 3, n. 333.
[2] De gratia habituali, cap. 1, art. 3.
[3] tom. 2, n. 348.
[4] vol. 3, n. 298.
[5] De gratia, lib. 7, c. 12, n. 8.
[6] 1. 2, q. 111, a. 2. ad 1.
[7] 1. 2, q. 113, a. 2, c.
[8] tom. 1, pag. 252 ad 4.
[9] tom. 4, pag. 419, ad 4.
[10] De gratia, lib. 7, cap. 19, n. 19.

Confirmatur sententia, quae tenet gratiam sanctificantem peccatum mortale natura sua expellere:

I. *Verbis s. Scripturae,* iuxta quae gratia sanctificans et peccatum grave invicem opponuntur ut lux et tenebrae, vita et mors.

Eph. 5, 8: *Eratis enim aliquando tenebrae: nunc autem lux in Domino.* — 2. Cor. 6, 14.

Col. 2, 13: *Et vos cum mortui essetis in delictis... convivificavit cum illo.* — 1. Io. 3, 14.

Sed lux et tenebrae, vita et mors invicem opponuntur ex natura sua, non ex superaddita ordinatione divina; ergo idem de gratia sanctificante et peccato gravi dicendum est.

II. *Verbis Concilii Tridentini:* «(Iustificationis) unica formalis causa est iustitia Dei... qua nos iustos facit». Nam, si gratia sanctificans non ex natura sua, sed ex favore Dei superaddito peccatum deleret, causa formalis eius delendi non esset illa gratia, sed hic favor. Quod enim, dum adest, postulat tantum, ut certus quidam effectus sibi adiungatur, non recte potest vocari huius effectus causa formalis.

Quae ratiocinatio si non admitteretur, iuxta sententiam contrariam dicendum esset causam formalem iustificationis non esse unicam, quod Tridentinum docet, sed duplicem: gratiam sanctificantem et favorem Dei superadditum. Hanc conclusionem negat quidem Henno dicendo [1]: «Favor ille externus... non est causa formalis nostrae iustificationis, cum non possit denominare hominem formaliter iustum, utpote quae in illo non recipiatur, sed est causa efficiens, ut insinuat Trid. sup. dicens: Efficiens vero (causa est) misericors Deus, qui gratuito abluit, hoc est, peccatum destruit». «At hoc», inquit Tepe [2], «non satis consequenter dicitur. Nam cum ad remissionem peccati concurrant Deus et gratia inhaerens, Deus per modum causae efficientis, gratia inhaerens per modum causae formalis, gratia inhaerens erit *unica causa formalis natura sua* peccatum expellens. Unde haec responsio subvertit totum systema Scotistarum».

III. *Ratione theologica* desumpta ex effectibus positivis gratiae sanctificantis. Per hanc enim homo fit:

1. *Conversus ad Deum ut finem ultimum supernaturalem;* sed peccatum mortale natura sua hominem ab eo fine aversum reddit; ergo inter gratiam sanctificantem et peccatum mortale naturalis repugnantia est.

---

[1] De actibus etc. tract. 5, disp. 1, q. 3.

[2] vol. 3, n. 302.

2. *Sanctus;* sed sanctitas formaliter excludit immunditiam moralem, unde s. Paulus scribit [1]: *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem;* et [2]: *ut essemus sancti et immaculati.* Si igitur sanctificatio est connaturalis effectus gratiae sanctificantis, etiam exclusio peccati eiusdem effectus connaturalis est.

3. *Amicus Dei.* Gratia enim sanctificans, si non est caritas ipsa, cum ea tamen intime ac necessario connexa est eaque mediante vinculum amicitiae inter Deum et hominem natura sua constituit; peccatum vero mortale hanc amicitiam natura sua dissolvit et hominem facit Dei inimicum.

4. *Filius adoptivus Dei et haeres vitae aeternae;* sed peccatum mortale natura sua hominem illa dignitate et hac haereditate privat et dignum reddit aeterna morte.

« Neque vero ideo, quia hominem gratia instructum necessario amat, Deus necessitatur ab aliqua creatura; nam Deus libere producit gratiam eique totam vim tribuit ad iustificandum et cum ea ad hunc effectum cooperatur. Sed si talem formam libere producit, non a creatura, sed a sua sapientia necessitatur, ut gratiam producendo eius effectum formalem velit, sicut in omnibus aliis agentibus et formis creatis accidit; si enim Deus vult aliquam rem, consequenter necessitatur ad volendum huius rei effectum formalem ». Pesch [3].

Confirmatur sententia, quae tenet gratiae sanctificanti essentiale esse peccatum mortale expellere, rationibus theologicis, quae desumuntur:

I. *Ex effectibus formalibus gratiae sanctificantis et peccati mortalis.* Implicat contradictionem aliquem simul esse conversum ad Deum, finem suum supernaturalem, et ab eo aversum, simul esse Dei amicum et inimicum, dignum esse simul vita aeterna et morte aeterna etc.

Respectu finis ultimi etiam sic concludi potest: Implicat contradictionem aliquem simul habere duos ultimos fines; alioquin uterque ultimus esset et non esset; sed ille, qui gratia santificante ornatus est, Deum habet pro fine ultimo, ille vero qui est in statu peccati mortalis, creaturam habet pro ultimo fine; ergo repugnat aliquem simul esse in statu gratiae sanctificantis et peccati mortalis.

---

[1] 1. Thess. 4, 7.
[2] Eph. 1, 4.
[3] tom. 5, n. 334.

Nec valet opponere effectus illos gratiae sanctificantis non esse primarios, sed secundarios, qui per absolutam Dei potentiam ab ea separari possint, sicut risibilitas a rationalitate. Nam saltem unus ex illis effectibus est primarius atque inseparabilis, cum quodlibet accidens aliquem effectum habeat, qui ab eo plane separari nequeat, neque ullus alius assignari possit nisi unus de illis; hoc vero ad implicandam contradictionem cum peccato mortali sufficit.

II. *Ex natura peccati mortalis.* Peccatum mortale habituale in hoc ordine est voluntaria privatio gratiae sanctificantis; sed nec de potentia Dei absoluta fieri potest, ut privationes non removeantur per oppositas perfectiones, quarum privationes sint.

« Dices: Privatio gratiae sanctificantis non est adaequatum constitutivum peccati habitualis, quod proprie est privatio gratiae sanctificantis cum habitudine ad praeteritam actionem pravam tamquam ad causam suam »; haec autem habitudo est veluti *formale* in peccato habituali, cum simplex gratiae privatio haberi possit ut *materiale*. Posset ergo remanere peccatum, nempe habitudo ad praeteritam culpam, quamvis per infusionem gratiae eiusdem privatio tolleretur.

Respondetur: Etsi privatio gratiae habeatur ut *inadaequatum* constitutivum peccati, data ratio valet. Quando enim duo sunt essentialia alicuius rei elementa, si vel unum eorum tollatur, destruitur ipsa res. Atqui per infusionem gratiae sanctificantis certe tollitur privatio gratiae, quae privatio est constitutivum inadaequatum, sed essentiale peccati. Ergo. — Revera haud valemus intelligere, quomodo maneat habitudo privationis gratiae ad praeteritam culpam, quando iam deest ipsa privatio, quae habeat illam habitudinem ». Mazzella [1].

III. *Ex sanctitate Dei.* Repugnat peccatum ita permanere, ut ipsi Deo sit tribuendum. Sed si gratia sanctificans, quae natura sua ad peccatum mortale expellendum ordinata est, a Deo adhibente absolutam suam potentiam impediretur, quominus hoc expelleret, permansio peccati Deo ut speciali auctori vel conservatori tribuenda esset, seu Deus esset specialis conservator peccati; sed hoc infinitae eius sanctitati repugnat.

Immo specialis conservatio divina peccati non solum sanctitati Dei sed etiam alioquin repugnare videtur. Nam « quod naturaliter ab aliquo expellitur et alias in conservari non dependet ab influxu positivo Dei, non potest in praesentia oppositi illud expellentis a Deo, etiam de potentia absoluta, conservari: si enim frigiditas non dependeret in conservari a Deo, implicaret, etiam de potentia Dei absoluta, quod posito calore cum illa naturaliter

[1] De gratia Christi, n. 993.

incompossibili frigiditas in subiecto conservaretur: sed peccatum et gratia ex natura rei naturaliter invicem se expellunt et peccatum in conservari non dependet a Deo; ergo implicat, quod posita gratia etc... Neque dicas, quod tunc peccatum in esse permaneret Deo non positive influente sed solum permittente seu non condonante illud. Nam contra est: Quoties Deus tantum permissive concurrit, dari debet alia causa positiva concurrens; sed in praesenti casu non daretur alia causa positive concurrens, quia creata voluntas, quae sola positive posset influere in existentiam peccati, potius ex parte sua per gratiam conaretur ad eius destructionem; ergo solus Deus esset, qui vellet conservari peccatum et quidem positive». Gotti [1].

Nota. Ad solvendas varias obiectiones haec animadvertantur:

I. Ex parte peccati actualis:

1. *Respectu subiecti immediati.* Licet subiectum immediatum peccati mortalis sit voluntas, mediatum tamen est ipsa anima, quae tota per illud redditur aversa a Deo et aeterna poena digna.

2. *Respectu peccati habitualis.* Causalitas, qua peccatum actuale post se trahit peccatum habituale, necessaria est et a Deo neque procedit neque dependet, unde nec ab eo impediri potest.

3. *Respectu gratiae sanctificantis.* Quia peccatum mortale habituale privative opponitur gratiae sanctificanti et quia necessario causatur a peccato mortali actuali, etiam hoc saltem mediate gratiae sanctificanti opponitur eodem oppositionis genere.

II. Ex parte gratiae sanctificantis.

Gratia sanctificans non est pure ens physicum, sed etiam aliquid morale, reddens hominem iustum ac sanctum; ergo etiam inter eam et peccatum mortale habituale, quod est aliquid morale, essentialis oppositio esse potest.

III. Ex parte Dei:

1. *Respectu causalitatis.* Ex eo, quod gratia sanctificans a solo Deo ut causa efficiente principali produci potest, concludi nequit eam etiam a solo Deo expelli posse. Econtra, quando expellitur, et a creatura et a Deo expellitur: a creatura per appositionem formae oppositae, a Deo per cessationem a conservatione. Ita et anima rationalis, quae a solo Deo cum corpore coniungitur, in casu suicidii non a solo Deo ex corpore expellitur, sed etiam ab eo, qui suicidium committit, siquidem hic ponit dispositiones, quae cum eius unione ad corpus incompossibiles sunt.

2. *Respectu libertatis.* Deus ad gratiam sanctificantem auferendam non adigitur necessitate absoluta, sed ex suppositione, quod permittat hominem peccatum mortale committere. Sic autem adigi potest, quia contradictoria velle non potest.

---

[1] Tract. de iustif. q. 1, dub. 8, § I, n. IV.

Scholion.

1. Quamquam in ordine praesentis providentiae peccatum mortale sine infusione gratiae sanctificantis numquam remittitur, absolute tamen seu per se sine hac et sine alio supernaturali dono remitti potest.

Hoc non semel expresse docet s. Bonaventura, e. g. per verba: « Quamvis delere posset sine medio culpam, decrevit tamen delere per gratiam [1] ». S. Thomas quidem dicit [2]: « Non posset intelligi remissio culpae, si non adesset infusio gratiae ». Et [3]: « Remissio peccatorum nullo modo sine gratia gratum faciente esse potest ». Animadvertitur tamen ab aliquibus, ut Antoine [4] et Schiffini [5], s. Thomam non loqui nisi de praesenti rerum ordine seu lege ordinaria (vel, ut Antoine addit, de remissione ad Dei perfectam amicitiam), neque plus conficere rationes ab ipso allatas.

2. Per gratiam sanctificantem non semper et necessario expelluntur peccata venialia, quia haec, quippe quibus homo a Deo ut fine suo ultimo non recedat, cum gratia sanctificante consistere possunt.

§ II. *De effectibus positivis iustificationis.*

THESIS I. **Gratia sanctificante homo fit consors divinae naturae.**

Est sententia communis.

Hoc « adeo frequens et constans est theologorum assertum, ut absque temeritate negari non possit ». Ripalda [6].

Probatur: I. Ex Scriptura, quae:

1. Iustificationem exhibet ut quamdam generationem ex Deo. Nam iustificatos vocat natos ex Deo et gratiam semen Dei. 1. Io. 3, 9: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit,*

---

[1] tom. 4, pag. 419, c. praeterea tom. 2, pag. 677 ad 6.
[2] 1. 2, q. 113, a. 2, c.
[3] De veritate, q. 28, a. 2, c.
[4] De iustif. art. 6.
[5] De gratia divina, n. 179.
[6] Disp. 78, s. 7

quoniam semen ipsius in eo manet. Iam vero generatio significat communicationem naturae ex generante in generatum; ergo iustificatione naturae divinae consortes reddimur.

2. Hoc idem disertis verbis praedicat. 2. Petr. 1, 4: *Per quem* (Christum; gr. δι' ὧν i. e. per divinam gloriam et virtutem, de quibus immediate ante sermo fuit) *maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae.*

II. Ex Traditione et mente Ecclesiae.

1. *Ss. Patres a)* occasione verborum Ps. 81, 6: *Ego dixi: dii estis et filii excelsi omnes* et 2 Petr. 1, 4 id passim affirmant et comprobant; *b)* id variis similibus illustrant, e. g. ferri igne candentis, aëris luce perfusi, guttae aquae vino immissae.

2. *Ecclesia* in secreta Dom. IV. post Pascha dicit: « Deus, qui nos per huius sacrificii veneranda commercia unius summae Divinitatis participes effecisti ». — Praef. Ascens.

Explicatur: Consortium divinae naturae consistit in supernaturali participatione eiusdem et assimilatione cum eadem, quae ex hac participatione exsurgit. Dicta participatio

1. non est substantialis sed *accidentalis.* Natura enim divina substantialiter non communicatur nisi divinis personis et humanitati Christi: illis per identitatem, huic per unionem hypostaticam;

2. est non solum *moralis,* sed etiam *physica.* Participatio moralis naturae divinae est concordia voluntatis hominis iusti cum voluntate divina. Haec per gratiam sanctificantem fit, unde s. Petrus verbis supra citatis addit: *fugientes eius, quae in mundo est, concupiscentiae corruptionem,* quae verba non conditionate sed consecutive sumenda sunt, ita ut non tam officium nostrum quam beneficium divinum significent, quod communionem cum Deo comitatur. Sed participatio cum natura divina etiam physica est, quod theologi communissime affirmant. Physica autem participatio ea est, quae etiam secluso actu voluntatis inter duo invenitur, cuiusmodi v. g. est participatio imaginis cum re repraesentata. Gratia sanctificante fieri participationem physicam praeter alia ex eo colligitur, quod gratia sanctificans est qualitas physica physice inhaerens animae, idque citra eius operationem;

3. ex una parte est *formalis*, ex altera *analogica*; formalis, quia eadem formaliter habetur perfectio, quae in Deo formaliter est; analogica, non univoca, quia ea perfectio non habetur eodem modo quo in Deo est, quod repugnat, sed modo diverso: sc. non per modum entis a se et infiniti, sed per modum entis ab alio et finiti.

4. Probabilius est participatio *vitae* divinae, quae vita in eo consistit, quod Deus seipsum visione intuitiva cognoscit et amore beatifico diligit. Participatio huius vitae per gratiam sanctificantem habetur, quatenus anima

a) in hac vita per eam ut principium remotum (mediantibus virtutibus theologicis in ea radicatis vel ei debitis ut principiis proximis) apta est ad ponendos supernaturales actus, qui immediate attingunt Deum, ut est in se;

b) in altera vita per eam ut semen seu radicem gloriae elevatur ad Deum intuitive videndum et amore beatifico diligendum, quibus actibus anima vivet vitam vere divinam, licet non per modum entis a se et infiniti sed per modum entis ab alio et finiti.

Quamquam in statu viae hanc vitam divinam actualiter nondum vivit, nihilominus in eodem statu consors divinae naturae esse et dici potest. Nam si homo in ordine naturali imago Dei est et vocatur non solum, quatenus Deum actu cognoscit, sed etiam quatenus ad eum cognoscendum aptus est, haud minus in ordine supernaturali consors divinae naturae esse et dici potest, quatenus ad vivendum vitam divinam aptus est, quamvis eam actu iam non vivat.

A multis theologis, inter quos eminent s. Thomas et Suarez, gratia sanctificans censetur esse participatio divinae *intellectualitatis* seu naturae divinae quatenus intellectualis est, a Ripalda divinae *bonitatis moralis*, ab Einig *utriusque*.

S. Thomas[1]: « Cum homo secundum intellectualem naturam ad imaginem Dei esse dicatur, secundum hoc est maxime ad imaginem Dei, secundum quod intellectualis natura Deum maxime imitari potest. Imitatur autem intellectualis natura maxime Deum quantum ad hoc, quod Deus seipsum intelligit et amat. Unde imago Dei tripliciter potest considerari in homine: uno quidem modo, secundum quod homo habet aptitudinem naturalem ad intelligendum et amandum Deum; et haec aptitudo consistit in ipsa natura

[1] 1. q. 93, a. 4, c.

mentis, quae est communis omnibus hominibus; alio modo, secundum quod homo actu vel habitu Deum cognoscit et amat, sed tamen imperfecte, et haec est imago per conformitatem gratiae; tertio modo, secundum quod homo Deum actu cognoscit et amat perfecte; et sic attenditur imago secundum similitudinem gloriae. Unde super illud Psal. 4, 7: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine,* glossa ordinaria distinguit triplicem imaginem, scil. creationis et recreationis et similitudinis. Prima ergo imago invenitur in omnibus hominibus, secunda in iustis, tertia vero solum in beatis ».

Suarez [1]: « Vera ergo excellentia gratiae habitualis, propter quam dicitur esse singularis participatio divinae naturae, est... quia, cum natura divina sit quaedam intellectualis natura altioris ordinis, quam sit vel esse possit ulla substantia intellectualis creata, ille gradus intellectualitatis, qui est in divina natura, divino quodam et supernaturali modo participatur per habitualem gratiam, quo quidem modo a nulla substantia creata per se ipsam vel per potentiam sibi connaturalem participari potest. Quod ex primario obiecto divini intellectus declaratur... Divina enim essentia in ratione obiecti intelligibilis in se et per visionem intuitivam ad ipsam Dei essentiam immediate terminatam adeo est elevata et excellens ratione purissimae actualitatis et immaterialitatis suae, ut a nulla substantia intellectuali possit connaturaliter videri, nisi a se ipsa. Per gratiam vero et dona supernaturalia elevatur natura creata intellectualis ad participationem illius gradus intellectualitatis divinae, in quo possit obiectum illud intelligibile divinae essentiae in se intueri. Et ad hunc finem per se primo dantur dona gratiae habitualis, et consequenter ad alios actus eiusdem ordinis illi fini consentaneos ».

Econtra Ripalda [2]: « Participatio divinitatis, quae gratiae iustificantis propria est, in eo est sita, quod conveniat formaliter cum natura divina quoad esse primam radicem totius *honestatis moralis,* removendo omne peccatum et praebendo facultatem ad omnia pietatis ac bonitatis moralis opera ».

Aliqui Thomistae, in his Gonet [3], censent gratiam sanctificantem esse participationem formalem naturae divinae, non solum quatenus natura, sed etiam *quatenus infinita est et actus purus.* Hoc communiter reiicitur, « quia conceptus ipsius esse per essentiam abstrahi non potest ab ente creato et increato; ergo non potest participari formali participatione a qualitate creata... Certe non minus id repugnat, quam intelligere conceptum animalis irrationalis abstrahentem ab homine et a bruto, quia, sicut animal irrationale opponitur homini, ita ens imparticipatum repugnat enti creato; ergo impossibile est, ut qualitas creata participet naturam divinam, ut est esse imparticipatum, secundum formalem participationem. Nam eo ipso, quod divinum esse participatur, non participatur, ut imparticipatum est ». Suarez [4].

---

[1] De gratia, lib. 7. cap. 1. n. 30.
[2] Disp. ult., sect. 9 et Disp. 20, sect. 14.
[3] Manuale Thom. tom. 4, tract. 7, cap. 11, § 2.
[4] De gratia lib. 7, cap. 1, n. 27.

Scholion.

I. Quamvis iuxta sententiam plurimorum consortium naturae divinae formaliter non consistat in participatione divinae bonitatis moralis, tamen ea radicitus efficitur, ut homo in ordine moralitatis et sanctitatis recte disponatur seu ordinetur, idque ad Deum ut finem supernaturalem ultimum, ad seipsum, ad proximum. Nam quaeque arbor suos fert fructus. Si igitur natura humana naturae divinae consors est, etiam propensa est ad eliciendos actus, qui vitam divinam imitentur.

Quatenus homo ita recte ordinatus eoque immunis est ab omni peccato gravi, vocatur *iustus* seu *sanctus*. Hinc recte dicitur: effectus formalis gratiae sanctificantis in eo consistit, quod hominem reddit iustum seu sanctum. Eph. 4, 24: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis* (= vera).

II. Cum consortio divinae naturae convenit alter gratiae sanctificantis effectus, qui est reddere hominem *Deo gratum* idque supra omnem exigentiam naturae creatae et simpliciter i. e. ut *amicum*, ita ut ratione illius doni Deus sibi in homine iustificato ut amico speciali modo complaceat.

Hominem per gratiam sanctificantem fieri Dei amicum

1. Trid. docet sess. 6. cap. 7. dicendo: « unde homo ex iniusto fit iustus, et ex inimico amicus »;

2. colligitur ex dictis. Nam gratia sanctificans *a)* delet quodcumque peccatum mortale et confert veram iustitiam, quae Deo maxime grata est atque amabilis; — *b)* hominem reddit consortem divinae naturae, unde in eo ponit sufficientem proportionem ac dignitatem, qua a Deo ut amicus diligi possit; *c)* virtute infusa caritatis, quae, si non est gratia sanctificans ipsa, tamen cum eadem inseparabiliter connexa est, homo Deum redamat, quod de ratione amicitiae est.

Thesis II. **Gratia sanctificante homo fit filius Dei adoptivus et consequenter haeres vitae aeternae.**

Certum est ex Trid. sess. 6. cap. 4, in quo iustificatio definitur: translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et *adoptionis filiorum Dei*.

Probatur: I. Ex Scriptura. Rom. 8, 15-17: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pa-*

ter). Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, et haeredes: haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi. — Io. 1, 12; Eph. 1, 5; 1. Io. 3, 1. 2.

II. Ex Traditione. Secundum doctrinam ss. Patrum hoc discrimen est inter Christum et iustos, quod ille sit Filius natura, hi sint filii adoptione et gratia.

Explicatur. 1. Adoptio est assumptio gratuita personae extraneae in filium et haeredem. Persona extranea ea est, quae non est filius per generationem. Differt vero adoptio divina ab humana praecipue sequentibus:

a) In adoptione humana coniunctio, quae inter patrem et filium naturalem per generationem obtinetur, suppletur per caritatem et familiaritatem, ergo moraliter; in divina autem supplétur physice, cum homini novum esse accidentale communicetur. Proinde: *b)* Cum in adoptione humana similitudo naturae inter adoptantem et adoptatum, quia uterque homo est, supponatur, in divina ea similitudo per illud novum esse accidentale efficitur. *c)* In adoptione humana filius in paterna bona succedit; in divina bonorum divinorum fit particeps.

2. Iuxta plerosque gratia sanctificans est ratio formalis et adaequata huius filiationis adoptivae, idque merito. Nam Trid., postquam cap. 4. declaravit iustificationem esse translationem in statum gratiae et *adoptionis filiorum Dei*, cap. 7. docet, unicam causam formalem eiusdem iustificationis esse iustitiam Dei, qua nos iustos faciat.

Lessius [1] tamen, Petavius [2], Thomassinus [3] censent propriam rationem formalem filiationis adoptivae non esse gratiam sanctificantem, sed ipsam substantiam Spiritus Sancti nobis communicatam, vel solam, vel una cum gratia sanctificante. Haec opinio a pluribus theologis, e. g. Ripalda et Gonet, gravissima afficitur censura; ab aliis censura quidem non afficitur, reiicitur tamen; a paucis, ut Hurter, commendatur.

Scheeben similem doctrinam statuit [4] distinguens duplicem sanctitatem, alteram iustificantem, alteram pleniorem consecrantem. Haec iuxta ipsum consistit in inhabitatione Spiritus Sancti et requiritur ad filiationem non quidem essentialem, tamen integralem; in hac sola condignitas ad vitam aeternam posita est.

---

[1] De summo bono 2, 1; de perfect. div. 12, 11.
[2] De Trinitate 8, 5 sq.
[3] De Trinitate, 8, 9 sq.
[4] Dogm. § 169.

3. Controversia est de natura iuris, quo iusti vi filiationis adoptivae ad haereditatem i. e. ad gloriam aeternam potiuntur. Triplex enim ius distingui potest. Primum est ius morale strictae iustitiae, ratione cuius iustis fieret iniuria proprie dicta, si iis gloria denegaretur. Alterum est ius physicum exigentiae naturalis, cuiusmodi ius omni naturae in suas proprietates competit, ratione cuius gratiae sanctificanti vis inferretur, si haereditate gloriae privaretur, sicut vis infertur naturae, si privatur proprietate sibi debita, id quod tamen de potentia Dei absoluta fieri potest. Tertium est ius capacitatis seu connaturalitatis et dignitatis physicae, quod consistit in sola interna habilitate ad gloriam, ita ut sine favore a gratia sanctificante distincto eique superaddito nemo eam consequi aut ad eam ullum ius habere possit. Iam vero:

a) Ius *morale strictae iustitiae* iustis vi gratiae sanctificantis ad gloriam ut haereditatem non competit. Utrum iis vi meritorum de condigno ad gloriam ut coronam competat, controversum est.

b) Aliqui, in his Ripalda, solum admittunt ius *capacitatis*.

c) Plurimi defendunt ius *physicum exigentiae*, et hoc ex eo deducunt, quod α) gratia sanctificante homini inest accidentalis participatio physica naturae divinae a Deo ipsi communicata, β) gratia sanctificans est et vocari solet semen gloriae, γ) mera capacitas ad gloriam per potentiam obedientialem iam habetur.

Scholion.

Etiam iusti veteris testamenti filii adoptivi Dei erant. Sed: 1. Eiusmodi filii non erant vi testamenti veteris, sed vi gratiae, quam Christus iis postea meriturus erat. 2. Magis movebantur et regebantur spiritu timoris seu servorum, quam spiritu caritatis seu filiorum, unde erant tamquam parvuli, qui iuxta Gal. 4, 1 nihil differunt a servis. 3. Perfectam haereditatem, i. e. gloriam aeternam, ante mortem Christi adire non poterant.

Thesis III. **Gratia sanctificante homo consecratur templum Dei seu ss. Trinitatis et speciatim Spiritus Sancti.**

Sententia communis est.

Probatur ex Scriptura. 1. Cor. 3, 16: *Nescitis, quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis?* — 6, 19:

An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est? Io. 14, 23: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* — 2. Cor. 6, 16.

Explicatur 1. Deus, i. e. sanctissima Trinitas, in iusto, speciali atque incomprehensibili modo habitat eumque vitam supernaturalem vivere facit. Praesentia igitur haec a praesentia, quae Deo vi immensitatis competit, *a) ex parte Dei* distinguitur per hoc, quod ei superaddit α) *novum titulum*, ita ut Deus, si in anima iusti ratione immensitatis iam non esset, in eadem esset ratione gratiae sanctificantis, qua ornata est; β) *novam manifestationem*, quae fit per specialem operationem, sc. conservationem gratiae sanctificantis ac donorum annexorum, collationem uberiorum gratiarum actualium, singularem providentiam. Is. 49, 15; Rom. 8, 28. *b) ex parte hominis iusti* distinguitur per hoc, quod Deus in eo est ut obiectum cognitum et amatum et id quidem per modum amici intime uniti atque dilecti, simulque tamen summa reverentia colendi, unde in eodem est tamquam in templo vivo.

2. Haec praesentia specialis, quae, ut patet, toti Ss. Trinitati communis est, appropriatur Spiritui Sancto idque propterea quod sanctificatio nostra et gratia sanctificans, quae est causa eius formalis, peculiarem analogiam habet cum proprietate Spiritus Sancti personali, vi cuius nominibus ipsi propriis vocatur Spiritus Sanctus, Amor, Donum. Nam: *a)* Gratia sanctificante vere sanctificamur. *b)* Sanctificatio nostra maxime manifestat amorem Dei erga nos, et quia « ipse prior dilexit nos », et quia nos reddit sibi ipsi amore dignos ut amicos, et quia facit nos amatores sui. *c)* Opus nostrae sanctificationis habet specialem rationem doni, et quia est omnino gratuitum, et quia superat cetera dona collata. 2. Petr. 1, 4: *Maxima et pretiosa nobis promissa donavit* etc.

Falsa est opinio problematica Petavii[1], qui putavit Spiritum Sanctum ante adventum Christi in iustis modo praedicto fuisse, deinceps vero in iis esse modo magis speciali i. e. non communi Patri et Filio. Opinatus est enim, sicut in Christo homine omnes personae divinae inhabitant, sed Verbum speciali modo, quia est ad instar formae hunc hominem naturalem Fi-

[1] De Trin. l. 8, c. 6, n. 6 sqq.

lium Dei facientis, ita Spiritum Sanctum secundum suam personalem proprietatem esse formam, quae iustos sanctificet et filios Dei adoptivos reddat.

Scholion.

Ex his gratiae sanctificantis effectibus alii colliguntur vel cum iis connectuntur, imprimis sequentes:

1. Iustus est *membrum Christi,* nam perfecte pertinet ad animam ecclesiae, cuius caput Christus est. 1. Cor. 12, 27: *Vos autem estis corpus Christi et membra de membro.*

2. Anima iusti *supernaturali pulchritudine* exornata est. Is. 61, 10: *Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis: et indumento iustitiae circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis.* — Cant. 1, 14. Haec verba de quavis anima iusta merito intelliguntur. — Iuxta Cyrillum Alex.[1] Spiritus Sanctus confert « supermundanam pulchritudinem ». S. Ambrosius animam gratia exornatam appellat[2] « fulgentem Dei picturam ». — Gratia sanctificans animam assimilat Deo, qui est infinita pulchritudo, et coniuncta est cum virtutibus, quae hominem magis decorant, quam species externa etc.

3. Per gratiam sanctificantem homo *in bono corroboratur* et ad ponendos actus meritorios idoneus redditur.

4. Iustus sicut speciali providentia divina, ita speciali *custodia Angelorum* dignus est. Ps. 90, 11: *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Hebr. 1, 14: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis?* (sunt praedestinati).

5. Homo in statu gratiae constitutus saepe *gaudet vera felicitate et pace,* quam mundus dare non potest, adeo, ut cum Apostolo[3] dicere possit: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.*

Aptissimum gratiae sanctificantis *simile* est lux atque calor solis, qui Christum repraesentat. Lux enim dissipat tenebras; gr. s. delet peccata mor-

---

[1] Dial. 7. de Trinit.

[2] In Hexaëm. l. 6, c. 8, n. 47.

[3] 2. Cor. 7, 4.

talia. Lux corpora pellucida intus pervadit; gr. s. intime pervadit animam. Lux crystallum sibi simile reddit; gr. s. animam reddit similem Dei. Lux rebus corporeis confert colorem et pulchritudinem; gr. s. animae confert pulchritudinem spiritualem et supernaturalem. Calor dilatat corpora, gr. s. corda. Calor corpora calefacit, gr. s. corda accendit sancto amore. Calor promovet fecunditatem naturalem, gr. s. praebet fecunditatem supernaturalem sc. virtutum ac bonorum operum.

ARTICULUS IV.

DE IUSTIFICATIONIS PROPRIETATIBUS.

Quatuor praeprimis iustificationis seu gratiae sanctificantis sunt proprietates: capacitas augmenti, inaequalitas, possibilitas amittendi, incertitudo possidendi.

THESIS I. **Gratia sanctificans augeri potest.**

De fide ex Trid. sess. 6, can. 24: Si quis dixerit iustitiam acceptam non conservari atque etiam augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse iustificationis adeptae, non autem ipsius augendi causam, a. s. — Opponitur *Iloviniano,* qui docuit gratiam et virtutes in omnibus aequales esse, et *novatoribus saeculi 16,* qui consequenter ad axioma « homo iustus fit non acceptione doni interni sed imputatione externa iustitiae Christi » negare debebant iustificationem augmenti capacem esse.

Explicatur: 1. Augmentum gratiae sanctificantis spectatum in fieri dicitur iustificatio secunda, spectatum in esse gratia sanctificans secunda dici solet.

2. Hoc augmentum fit a Deo per physicam intensionem gratiae; obtinetur ab homine per opera meritoria et sacramenta.

3. Hoc augmentum per se potest quidem fieri usque in indefinitum; reapse tamen nunquam supergreditur determinatum gradum.

Ratio primi est, quia potentia Dei augmentum dantis infinita et capacitas animae augmentum recipientis, utpote potentia obedientialis, indefinita est. Ratio secundi est, quia augmentum illud remote pendet a positiva voluntate Dei, proxime a spatio status viae, quod limitatum est, et a gratiis actualibus, quae non dantur nisi in certa mensura. Inde fit, ut nemo assequatur gradum gratiae sanctificantis beatae Virginis

et multo minus Christi. Hoc tamen non impedit, quominus quilibet iustus per totam vitam suam in gratia sanctificante continuo crescere et possit et debeat, cum Deus non cesset homini per totam vitam gratias actuales elargiri. Immo ope harum gratiarum fere omnes homines maiorem gradum iustitiae assequi possunt, quam reapse assequuntur.

Probatur ex Scriptura: Prov. 4, 18: *Iustorum autem semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.* Apoc. 22, 11: *Qui iustus est, iustificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc.*

THESIS II. **Gratia sanctificans quoad gradum inaequalis est, et quidem tam in diversis hominibus, quam in eodem homine pro diversis temporibus.**

De fide ex Trid. sess. 6. cap. 7: Iustitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem. Et ex can. 24. supra citato. Nam si augeri potest, in singulis non semper eadem manet.

Probatur rationibus theologicis, quae desumuntur:

I. *Ex parte gratiae sanctificantis:*

1. *Respectu largitionis.* Gratia sanctificans secundum caput Trid. in hac thesi citatum adultis datur secundum propriam cuiusque dispositionem; sed haec in variis hominibus inaequalis est.

2. *Respectu augmenti.* Eadem gratia iuxta canonem Trid. in thesi praecedente citatum per bona opera augetur; sed haec quoque in variis hominibus quoad numerum et valorem inaequalia sunt.

II. *Ex parte caritatis.* Ipso Christo testante caritas in variis hominibus inaequalis est. Luc. 7, 47: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Io. 21, 15: *Simon Ioannis, diligis me plus his?* Sed gratia sanctificans, si non est caritas ipsa, cum hac tamen intime connexa est et una simul datur et crescit et amittitur.

III. *Ex parte gloriae.* Gradus coelestis gloriae diversi sunt. Nam Christus dicit Io. 14, 2: *In domo Patris mei mansiones multae sunt;* et s. Paulus 1. Cor. 15, 41. 42: *Alia claritas solis, alia claritas lunae et alia claritas stellarum. Stella*

enim a stella differt in claritate: sic et resurrectio mortuorum. Sed tanta in coelo erit gloria, quanta in exitu vitae fuit gratia.

IV. *Ex parte harmoniae, quae est inter ordinem supernaturalem et naturalem.* In rebus naturalibus varii gradus perfectionis inveniuntur et hoc iis decori est; ergo convenit, etiam in supernaturalibus varios gradus existere.

THESIS III. **Gratia sanctificans amitti potest, etiam in perpetuum, et quolibet ac solo peccato mortali amittitur.**

De fide ex Trid. sess. 6. can. 23: Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse iustificatum... a. s. Cap. 15: Asserendum est: non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti. Cap. 11: Licet enim in hac mortali vita quantumvis sancti et iusti in levia saltem et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti.

Opponitur 1. *Iovinianо* et *Calvino*, qui docebant iustitiam semel acceptam neutiquam amitti posse, eosque, qui pereant, ad summum specie iustos fuisse;

2. *Luthero*, qui statuit iustitiam amitti per solam infidelitatem, quae consistat in eo, quod homo amplius non credat peccata sibi propter Christum remissa esse;

3. *Wicleffio*, qui asseruit eum, qui gratiam sanctificantem habuerit et deinde amiserit, eandem certe ante mortem recuperaturum esse.

Explicatur. Gratia sanctificans peccato mortali sic amittitur: Per grave peccatum homo se plane avertit a Deo fine ultimo; propterea Deus se quoque ab eo avertit et in eo illam qualitatem destruit, qua formaliter ad ipsum ut finem supernaturalem ultimum conversus est.

Probatur: I. Ex Scriptura. Ezech. 18, 24: *Si autem averterit se iustus a iustitia sua et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet?* et 33, 12: *Iustus non poterit vivere in iustitia sua, in quacumque die peccaverit.*

1. Cor. 6, 9. 10: *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare, neque fornicarii, neque ido-*

lis servientes, neque adulteri etc., *neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Et 10, 12: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* (Contra Wicleff) Io. 15, 6: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet et colligent eum et in ignem mittent et ardet.* — 1. Cor. 9, 27; Apoc. 3, 11.

II. Ex Traditione. Patres hanc veritatem disserte docebant; praesertim ii, qui contra Montanistas et Novatianos defendebant potestatem Ecclesiae remittendi peccata post baptismum commissa, in his ss. Cyprianus, Ambrosius, Augustinus.

III. Ratione. 1. Idem homo eodem tempore non potest esse Dei amicus et inimicus. Sed quodlibet peccatum mortale hominem constituit inimicum Dei.

2. Doctrina opposita ducit ad perversitatem morum.

Scholion. Gratia sanctificans peccatis *venialibus* minui non potest, quod tam certum est, ut opinio contraria probabilis non sit. Nam 1. per multitudinem species rerum non mutatur; unde, si unum peccatum veniale non continet aversionem a Deo fine ultimo et consequenter gratiae sanctificanti non repugnat, nec multae huic repugnant. 2. Si gratia sanctificans peccatis venialibus minueretur, iis saepe commissis tandem amitti posset.

Attamen peccatis venialibus homo magis magisque disponi potest, ut incidat in peccatum mortale, quo gratiam sanctificantem amittit. Nam per peccata venialia praesertim saepius commissa vis passionum augetur, econtra virtus eis resistendi minuitur, difficultas bonum faciendi crescit, conscientia hebetatur, eorum causa multae gratiae denegantur. Illa dispositio ad habitum gratiae amittendum ad summum diminutio indirecta quodammodo vocari potest.

Thesis IV. **Homo absque revelatione speciali certitudinem absolutam habere nequit se esse in statu gratiae sanctificantis, sed ad summum moralem latam.**

Opponitur: 1. *Novatoribus saec. 16,* qui opinabantur hominem sine speciali revelatione de iustificatione sua certitudinem fidei habere posse, immo debere, eaque ipsa iustificari. Quae tria sunt haeretica.

2. *Catharino,* qui censuisse videtur propriam iustificationem certo cognosci posse illatione, quae fiat ex una praemissa generali revelata et altera particulari naturaliter certa.

Praemissa revelata e. g. haec est: Deus gratiam ad poenitentiam necessariam dat et poenitentibus peccata remittit. Praemissa naturaliter certa est ista: Certus sum me fecisse, quod in me erat, atque poenitentiam egisse. Conclusio est: Ergo certus sum me fuisse iustificatum.

Haec sententia erronea iudicatur.

Probatur. I. Ex Scriptura. 1. Ex iis locis, qui in articulo de iustificationis dispositione in thesi II. contra fidem fiducialem allati sunt. 2. Ex 1. Cor. 4, 4: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum; qui autem iudicat me, Dominus est.*

Eadem ratio, quae s. Paulum prohibuit, quominus se haberet pro fideli Christi ministro, licet in fungendo ministerio nihil excusandum haberet, omnes fideles impedire debet, quominus se habeant pro iustis, quamvis nihil sibi conscii sint.

II. Ex Traditione et doctrina Ecclesiae. 1. S. Hieronymus[1]: « Scire volui, quos Deus diligeret, quos odisset; et inveni iustorum quidem opera in manu Dei esse, et tamen, utrum amentur a Deo an non, nunc eos scire non posse ». S. Augustinus[2]: « Quamdiu vivimus hic, de nobis ipsis nos ipsi iudicare non possumus ».

2. Trid. sess. 6. cap. 9: « Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito deque sacramentorum efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum seipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum ».

III. Ratione theologica. Nemo absolutam certitudinem habere potest et actus, quibus se ad iustificationem disposuit, fuisse ex gratia actuali ortos seu supernaturales et se sacramentum aliquod valide et fructuose suscepisse.

Scholion.

Signa, ob quae homo seposita anxietate confidere potest se in statu gratiae sanctificantis esse praecipue sequentia sunt:

1. Conscientia pura et studium constans eandem per observationem mandatorum conservandi. 1. Io. 3, 21: *Carissimi, si*

---

[1] In Eccles. 9, 1.
[2] Hom. 35. n. 4.

cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.

2. Studium assiduum in bono proficiendi. Matth. 5, 6: *Beati, qui esuriunt, et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

3. Caritas erga Deum et proximum. 1. Petr. 4, 8: *Caritas operit multitudinem peccatorum.* 1. Io. 4, 12: *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet;* et 16: *Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.*

4. Amor rerum coelestium et contemptus mundanarum. 1. Io. 2, 15: *Nolite diligere mundum neque ea, quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo.*

5. Conformitas cum divina voluntate in omnibus et consequenter patientia in tribulationibus. Hebr. 12, 6: *Quem enim diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit.*

6. Humilitas. Iac. 4, 6: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* — 1. Pet. 5, 5.

7. Amor orationis et verbi Dei. Io. 8, 47: *Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Affectus erga Christum Redemptorem eiusque passionem, erga ss. Eucharistiae sacramentum eiusque digna susceptio. Io. 6, 57: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo.* Devotio erga B. M. V. Prov. 8, 35: *Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.* Quae verba, de Sapientia dicta, ad mentem Ecclesiae sensu accommodatitio in b. Virginem transferri solent.

CAPUT II.

De Virtutibus Infusis.

Praenotanda de notione et divisione virtutis.

Virtus sensu latiore sumpta significat potentiam aliquid faciendi [1], deinde etiam effectum eiusmodi potentiae [2], speciatim potentiae supernaturalis: miraculum [3].

---

[1] Iudith, 4, 13.
[2] 1. Mach. 8, 2.
[3] Matth. 11, 21.

Virtus sensu strictiore accepta est habitus operativus bonus seu habitus potentiam, cui inhaeret, disponens ad moraliter bene seu honeste agendum. Potentia, cui inhaeret, est subiectum eius proximum; persona, quae eam possidet, est subiectum eius remotum. Id, circa quod actus virtutis versatur, dicitur obiectum eius materiale; ratio seu motivum, propter quod ille actus circa hoc obiectum versatur, obiectum eius formale vocatur.

Obiectum materiale v. g. fidei est veritas a Deo revelata, quae creditur; obiectum eiusdem formale est infallibilitas Dei revelantis, propter quam illa veritas creditur.

Cum actus morales proxime procedant a voluntate, haec principaliter est subiectum proximum virtutum. Aliae potentiae id eatenus tantum esse possunt, quatenus dominio voluntatis subsunt. Sin aliter, habitus respondens non est virtus simpliciter dicta, sed secundum quid [1].

Itaque subiectum proximum virtutis simpliciter dictae « aut est voluntas aut intellectus speculativus, in quantum libera voluntate moveri potest in verum, aut intellectus practicus, in quantum pendet a voluntate recte ordinata circa ea, quae agenda sunt, aut est appetitus sensitivus, in quantum irascibilis et concupiscibilis reguntur voluntate rationali ». Pesch [2].

Distinguitur:

1. Ratione causae efficientis: virtus infusa et virtus acquisita. Virtus infusa immediate a Deo in potentia animae producitur. Virtus acquisita ab homine per actus saepius repetitos comparatur. — Virtus infusa iterum distinguitur per se et per accidens infusa. Virtus per se infusa est ordinis supernaturalis, unde actibus repetitis acquiri non potest; virtus per accidens infusa est ordinis naturalis, unde etiam repetitis actibus acquiri potest.

Si simpliciter dicitur: virtus infusa, intelligenda est virtus per se infusa.

2. Ratione obiecti: virtus theologica et virtus moralis. Virtus theologica est ea, cuius obiectum formale immediatum est Deus seu aliqua divina perfectio; virtus moralis ea est, cuius obiectum formale immediatum est actionis honestas. — Virtutes theologicae certe sunt per se infusae.

3. Ratione subiecti: virtus formata et virtus informis, prout persona eam possidens est in statu gratiae sanctificantis aut

---

[1] Tüchtigkeit, Fertigkeit.

[2] tom. 8, n. 6.

in statu peccati mortalis. Gratia enim sanctificans dicitur aliarum virtutum forma.

ARTICULUS I.

DE VIRTUTIBUS INFUSIS IN GENERE.

§ I. *De existentia virtutum infusarum.*

THESIS I. **Tres virtutes theologicae ~~hominibus~~, qui eas possident, infusae sunt.**

Est saltem theologice certum.

Immo multi censent id esse de fide.

Vega dicit[1]: « Adiecerunt (Patres Tridentini) etiam post haec, in iustificatione cum remissione peccatorum simul infusa accipere hominem haec tria: fidem, spem, caritatem, ut intelligeremus has virtutes esse habitus infusos ».

Suarez[2]: « Ego vero dogma hoc, sub nominibus fidei, spei et caritatis permanentibus tam in parvulis quam in adultis, dum non operantur, ac proinde, quae sint aliquae res distinctae ab actibus fidei, spei et caritatis, in Concilio Tridentino de fide esse definitum censeo cum Vega ».

Ripalda[3]: « Rogabis, quam certa sit infusio virtutum theologicarum. Imprimis absque ingenti temeritate negari non potest, quia nullus fuit catholicus theologus, qui oppositum impune in Ecclesia docuerit... Deinde arbitror hanc veritatem ad fidem pertinere ».

Heinrich-Huppert[4] hanc doctrinam vocat doctrinam fidei.

Explicatur: 1. Si quis prima vice iustificatur, ei omnes tres virtutes theologicae, nempe fides et spes et caritas infunduntur.

2. Si quis dein iterum iustificatur, ei semper infunditur caritas, non semper fides et spes, quae virtutes non infunduntur, si non fuerunt amissae.

3. Itaque nemo habet gratiam sanctificantem, quin habeat tres virtutes theologicas, quae proinde ad salutem tam necessariae sunt, quam ipsa gratia sanctificans.

4. Attamen homo potest habere virtutes fidei et spei, quin habeat gratiam sanctificantem.

---

[1] lib. 7, cap. 24.
[2] De gratia lib. 6, cap. 8, n. 14.
[3] Disp. 120, n. 31.
[4] n. 1733.

Probatur: I. Ex Tridentino sess. 6. cap. 7: Unde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et caritatem. — Quae verba non sunt intelligenda de actibus, sed de habitibus fidei, spei, caritatis. Nam:

1. Tridentinum his verbis exponit, quae dona per modum partium saltem integrantium in iustitia, qua formaliter iustificamur, contineantur. Sed iustitia, qua formaliter iustificamur, non est actualis, sed habitualis, ut probatum est. Ergo etiam illa dona habitualia sunt.

2. Tridentinum post verba citata dicit: « Hanc fidem ante baptismi sacramentum ex Apostolorum traditione catechumeni ab Ecclesia petunt, cum petunt fidem vitam aeternam praestantem ». Sed catechumeni ab Ecclesia non petunt fidem actualem, utpote quam catechumeni adulti iam habere debeant, sed habitualem.

3. Vaticanum sess. 3. cap. 3. dicit[1]: « Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur *virtutem* esse supernaturalem ».

II. Quodammodo ex Scriptura, quae de fide, spe, caritate loquitur tamquam de principiis permanentibus. 1. Cor. 13, 8: *Caritas numquam excidit, sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur.* Et v. 13: *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec; maior autem horum est caritas.* — Rom. 5, 5.

III. Ratione theologica. In ordine naturali creaturae a Deo non solum moventur ad actus, sed etiam instructae sunt virtutibus, quibus ad actus inclinentur; ergo conveniens est illas etiam in ordine supernaturali aeque instrui. Porro creaturae in ordine supernaturali et statu viae constitutae in Deum ut finem supernaturalem tendere debent; ergo conveniens est illas instrui iis virtutibus, per quarum actus id valeant. Sed eae virtutes sunt tres virtutes theologicae; nam fide Deum ut finem supernaturalem cognoscunt, spe in eum feruntur, caritate ei conformantur.

Corollarium. Non sunt plures nec pauciores virtutes theologicae, quam tres. Quod 1. deducitur ex 1. Cor. 13, 13: *Nunc*

---

[1] Denzinger, 1638.

autem manent fides, spes, caritas: tria haec; quibus verbis s. Paulus illas tres virtutes tamquam unam classem virtutum proponit et ab aliis donis supernaturalibus distinguit; 2. docetur *a)* a ss. Patribus, e quibus e. g. s. Gregorius M. ait [1]: « Sicut Iob habuit septem filios et tres filias, ita homo iustus habet septem dona Spiritus et tres virtutes theologicas; — *b)* a theologis, e quibus ne unus quidem videtur exstitisse, qui praeter illas statuerit alias aut illas non admiserit; 3. suadetur ratione: In statu viae intellectus noster Deum immediate attingere non potest nisi per fidem; voluntas nostra non potest ferri in Deum, nisi aut ut est bonum nostrum, et hoc fit per spem, aut ut est summum bonum in se, et hoc fit per caritatem.

Religio colit Deum, quia honestum est; ergo obiectum illius formale immediatum non est Deus, sed aliquid creatum.

THESIS II. **Probabilius virtutes morales iustis infusae sunt.**

Hoc fuit negatum a Scotistis et Nominalistis, affirmatum à s. Thoma [2] et Thomistis, s. Bonaventura [3], Richardo de Mediavilla [4], Suarez [5], Vasquez [6] etc., nunc satis communiter affirmatur.

Hoc tempore vix ullus scriptor alicuius momenti est, qui hoc saltem ut probabilius non doceat. Testes sint:

Schouppe (tom. 2, n. 346), *Hurter* (Medulla, n. 945), *Mazzella* (de virtutibus infusis, n. 54), qui hanc sententiam dicit Ecclesiae sensui, Patrum doctrinae et principiis theologicis multo conformiorem et omnino tenendam, *Schiffini* (de gratia divina, n. 200), *Tepe* (vol. 3, n. 368), *Pesch* (tom. 8, n. 39), *Wilmers* (tom. 3, § 73), *Lehmkuhl* (tom. 1, n. 686), *Noldin* (de principiis theol. mor. n. 19).

Scheeben (tom. 2, n. 785), *Egger* (n. 394), *Einig* (de gratia, thes. 27), *Simar* (§ 122), *Heinrich-Gutberlet* (tom. 8, § 471), *Heinrich-Huppert* (n. 1733), qui hanc sententiam vocat certam, Kirschkamp in *Kirchenlexicon* (tom. 12, pag. 137).

Probatur: I. Ex sensu Ecclesiae: 1. *Innocentius III.* dicit in Decret. Gregor.: « Illud vero, quod opponentes indu-

---

[1] Moral. l. 1, c. 27.
[2] 1. 2, q. 63, a. 3.
[3] cf. tom. 3, pag. 725.
[4] 3, a. 1, q. 2.
[5] De gratia, l. 6, c. 9.
[6] Disp. 86.

cunt, fidem, aut caritatem aliasque virtutes parvulis, utpote non consentientibus, non infundi, a plerisque non conceditur etc. » Summus Pontifex hic supponit adultis in baptismo donari fidem, caritatem aliasque virtutes et solum vertit in dubium, an eaedem etiam infantibus infundantur. Nomine autem aliarum virtutum non potest sola spes significari; ergo etiam virtutes morales indicantur.

2. « Idem argumentum desumi potest ex *Concilio Viennensi:* nam attingit eamdem quaestionem, de qua egerat Innocentius III.; hic vero... locutus erat etiam de virtutibus moralibus infusis. Quod confirmatur ex eo, quod Concil. Vienn. ait: « Opinionem, quae dicit tam parvulis, quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes tamquam probabiliorem et dictis Sanctorum et doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem sacro approbante Concilio duximus eligendam ». Unde mens Concilii fuit ex opinionibus, quae tunc apud doctores fervebant, unam ut probabiliorem seligere, et quodammodo finire quaestionem, quam Innocentius III. indecisam reliquerat: at eo tempore, quo Concilium Viennense celebratum fuit, nempe circa annum 1311, maxima inter theologos fervebat contentio, an in baptismo infunderentur virtutes non solum theologicae, sed etiam morales; Scotistis hoc secundum negantibus, affirmantibus vero ceteris theologis cum D. Thoma ». Mazzella [1].

3. *Catechismus Romanus* dicit [2]: « Huic (sc. gratiae sanctificanti) autem additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quae in animam cum gratia divinitus infunduntur ». Sed solae tres virtutes theologicae nobilissimum omnium virtutum comitatum conficere non videntur.

II. Ex doctrina ss. Patrum. 1. *S. Augustinus* de quatuor virtutibus cardinalibus ait [3]: « Istae virtutes nunc in convalle plorationis per gratiam Dei donantur nobis ».

2. *S. Gregorius M.* [4]: « In sanctorum cordibus iuxta quasdam virtutes semper permanet (Spiritus Sanctus), iuxta quasdam vero recessurus venit et venturus recedit. In fide etenim,

---

[1] De virtutibus infusis, n. 54.

[2] pars 2, cap. 2, q. 50.

[3] In Psl. 83, n. 11.

[4] In Ezech. l. 1, hom. 5, n. 11.

spe atque caritate et in bonis *aliis*, sine quibus ad coelestem patriam non potest perveniri, sicut est humilitas, castitas, iustitia atque misericordia, perfectorum corda non deserit. In prophetiae vero virtute... electis suis aliquando adest, aliquando se subtrahit ». Disserit de virtutibus, per quas pervenitur ad gloriam, et Spiritus Sanctus inhabitat corda.

III. Quodammodo ex Scriptura. 1.) Sap. 8, 7: *Labores huius* (Sapientiae divinae) *magnas habent virtutes: sobrietatem enim et prudentiam docet et iustitiam et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.*

Iuxta haec verba Sapientia divina seu Deus homines docet quatuor virtutes cardinales: temperantiam, prudentiam, iustitiam, fortitudinem. Sed Deus has virtutes docet per infusionem. Quod deducitur:

a) Ex Scriptura: α) Ier. 31, 33. 34: *Dabo legem meam in visceribus eorum et in corde eorum scribam eam... Et non docebit ultra vir proximum suum et vir fratrem suum.* — β) 1. Io. 2, 27: *Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis, et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio eius docet vos de omnibus.*

b) Ratione theologica. Deus virtutes theologicas per infusionem docet; ergo etiam virtutes morales ita docere merito censeri potest.

2.) 2. Tim. 1, 7: *Non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis.* — Atqui Deus spiritum dilectionis per infusionem dat; ergo etiam spiritum fortitudinis et temperantiae per infusionem dare videtur.

IV. Rationibus congruis, quae desumuntur:

1. *Ex parte modi, quo Deus creaturas gubernat.*

Divinae providentiae proprium est creaturas ita constituere, ut actus suos per principia interna et actibus proportionata atque connaturalia exerceant. Id non solum ubique reperitur in ordine naturali, sed etiam fit in ordine supernaturali. In hoc enim certe virtutes theologicae infunduntur, per quas ut interna principia actus fidei et spei et caritatis connaturaliter eliciantur. Ergo ex eadem ratione etiam virtutes morales infundi merito existimantur.

Confirmatur. Per virtutes infusas theologicas homo recte ordinatur ad finem supernaturalem ultimum; ergo conveniens

est eum per virtutes infusas morales recte ordinari ad media, quae ad eum finem pertinent.

2. *Ex parte harmoniae, quae est inter ordinem naturalem et supernaturalem.* In ordine naturali habemus quaedam principia naturalia virtutum et praeter ea virtutes acquisitas morales. Iamvero, quod in ordine naturali illa principia sunt, id in ordine supernaturali virtutes infusae theologicae sunt. Ergo convenit nos in supernaturali ordine etiam virtutes infusas morales habere, quae ita se habeant ad virtutes theologicas, sicut in ordine naturali virtutes acquisitae se habent ad naturalia virtutum principia.

Scholion.

De numero virtutum moralium infusarum.

I. Saltem quatuor virtutes cardinales sunt habitus distincti. Nam in fontibus theologicis ut virtutes distinctae et principales semper enumerantur; e. g. Sap. 8, 7; a s. Ambrosio, qui eas comparat [1] cum quatuor fluminibus paradisi quique primus eas cardinales dixisse communiter existimatur; a s. Augustino, qui ait [2]: « Virtus habet partes quatuor: prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam ».

II. Utrum solae quatuor virtutes cardinales sint habitus distincti, an praeter eas sint alii virtutum moralium habitus distincti, non aeque constat.

1. Plerique theologi, in his Pesch [3] et Noldin [4], sentiunt non esse plures, cum omnes aliae virtutes ad cardinales ut partes aut integrales aut subiectivae aut potentiales revocentur, unde harum habitus etiam ad illarum actus eliciendos sufficiant.

2. Aliis econtra, in his Lehmkuhl [5], videntur esse plures.

§ II. *De virtutum infusarum munere.*

THESIS. **Virtutes infusae certe dant facultatem, probabilius non dant facilitatem, in sua materia supernaturaliter agendi.**

---

[1] De parad. c. 3, n. 14.
[2] De 83 quaest. q. 31, n. 1.
[3] tom. 8, n. 45.
[4] De principiis theol. mor. n. 19, b.
[5] vol. I, n. 687.

Explicatur et probatur I. pars: Naturalis hominis potentia potestatem seu facultatem supernaturaliter agendi non habet, unde ei, quatenus obedientialis est, virtus supernaturalis additur. Haec illam informat atque complet et cum illa constituit unum adaequatum principium proximum actus supernaturalis.

Quia habitus infusus potentiam supponit et informat, ipse non est potentia, sed verus habitus, tamen potentiae non immerito aequiparatur.

Probatur II. pars: 1. Virtutes infusae non removent, immo per se ne imminuunt quidem impedimenta, quae ipsarum exercitium difficile reddunt, v. g. concupiscentiam et contractos habitus malos. Nam inter haec impedimenta et illas virtutes non est formalis oppositio, quia ordinis sunt diversi.

2. Teste experientia facilitas in materia respondente agendi non crescit simul cum incremento virtutis infusae, quod toties fit, quoties gratia sanctificans augetur.

E contrario virtutes acquisitae non tribuunt operandi potestatem seu facultatem, sed facilitatem.

Corollarium. Quamquam virtutes infusae non tribuunt facilitatem agendi, tamen conferunt aliquam inclinationem seu promptitudinem ad agendum, cum omnis habitus internam inclinationem ad suum actum habeat.

Scholion.

De vi actuum virtutum infusarum.

Ut experientia constat, per frequens exercitium virtutum infusarum acquiritur facilitas ad earum actus ponendos. Haec facilitas diversimode explicatur:

I. Iuxta alios, inter quos sunt nonnulli Thomistae, haec facilitas oritur ex eo, quod habitus infusi per actus repetitos redditi sunt intensiores.

Sed haec opinio satis communiter reiicitur, idque propterea quod 1. virtutes infusae facilitatem agendi non dant; 2. si una intenditur, omnes intenduntur; sed, si habetur facilitas unam exercendi, non habetur facilitas omnes exercendi.

II. Aliis haec facilitas videtur esse novus habitus exercitio virtutis infusae acquisitus. Inter eos tamen controversum est, utrum hic habitus sit supernaturalis an naturalis.

1. Aliqui sentiunt actibus supernaturalibus repetitis produci habitum supernaturalem acquisitum, qui supponat facultatem

supernaturaliter agendi per habitum infusum datam et tribuat facilitatem supernaturaliter agendi, eo modo, quo habitus acquisitus naturalis supponit facultatem naturaliter agendi et confert ita agendi facilitatem.

2. Alii, in his Pesch [1], censent habitum illum esse naturalem, cum facilitas, de qua agitur, non acquiratur per actum, prout supernaturalis, sed prout vitalis sit, versans circa obiectum, in quantum commune sit virtuti infusae et potentiae naturali, unde facilitas non oriatur praecise ratione finis ultimi supernaturalis.

III. Ab aliis, inter quos sunt Valentia [2], Suarez [3], Mazzella [4], negatur per actus virtutum infusarum ullum habitum produci. Hi facilitatem illam ex eo oriri putant, quod per actus repetitos virtutis infusae impedimenta eiusdem minuantur vel removeantur. Haec opinio etiam s. Thomae adscribitur, qui ait [5]: «Dicendum, quod actus, qui producuntur ex habitu infuso, non causant aliquem habitum, sed confirmant habitum praeexsistentem, sicut medicinalia remedia adhibita homini sano per naturam non causant aliquam sanitatem, sed sanitatem prius habitam corroborant».

De hac opinione dicit Pesch: «Illi, qui hoc (facilitatem illam habitum esse) negant, ponunt solum alia nomina, quibus eadem res significatur».

§ III. *De virtutum infusarum origine.*

THESIS I. **Virtutes supernaturales a Deo infunduntur, quin homo per actus supernaturales in earum infusionem physice influat.**

Est sententia communis.

Explicatur: 1. Actus supernaturalis alicuius virtutis elicitus ab eo, qui ipsam virtutem supernaturalem seu infusam non possidet, ad hanc virtutem producendam simul cum Deo per physicum influxum non concurrit, sive ex propria et connaturali sua virtute sive ut instrumentum Dei ultra nativam suam virtutem ad ita concurrendum elevatum.

---

[1] tom. 8, n. 14.
[2] tom. 2, disp. 4, q. 3, p. 3.
[3] De gratia l. 6, c. 14.
[4] De virtutibus inf. n. 78-87.
[5] 1. 2, q. 51. a. 4, ad 3.

2. Ille tamen actus in infusionem virtutis moraliter influit, quatenus impetrando vel merendo Deum ad virtutem infundendam movet et hominem ad eam accipiendam disponit.

Probatur: I. Ex doctrina Ecclesiae. Trid. sess. 6. cap. 6. enumerat actus diversos, quibus ad iustificationem disponimur, in his actum fidei et spei, deinde cap. 7. ait in iustificatione fidem et spem infundi. Ergo per actus fidei et spei habitus fidei et spei physice non efficiuntur, quia secus statim, ut respondentes actus eliciti sunt, adesse deberent.

II. Ratione theologica. Virtus per se infusa se habet ad modum potentiae; sed actus ex natura sua potentiam supponit; ergo hanc non producit.

Nota. Actus supernaturalis elici quidem potest et saepe elicitur, quin respondens virtus supernaturalis in anima insit; sed tunc et gratia actualis huius virtutis defectum supplet neque actus elicitur modo sibi connaturali. In actus supernaturalis natura est veluti exigentia, ut a supernaturali virtute seu habitu procedat.

THESIS II. **Probabilius nulla virtus infunditur ante primam iustificationem.**

Hoc quoad fidem et spem a pluribus negatum fuit, inter quos eminent Bannez, Caietanus, Medina, — Suarez, Vasquez, Valentia, qui censebant virtutes fidei et spei ante infusionem gratiae sanctificantis tum infundi, cum excitante et adiuvante gratia actuali earum actus sint eliciti.

E contrario assertum fuit a Petro Lombardo, s. Thoma, s. Bonaventura, Scoto, immo, ut videtur, a veteribus omnibus, e recentioribus a Vega, de Lugo, Ripalda, nostraque aetate passim asseritur virtutes fidei et spei ante iustificationem non infundi.

De Soto tenuit habitum fidei sine habitu caritatis non quidem infundi extra sacramentum baptismi, infundi tamen per hoc sacramentum cuilibet, qui fidem actualem habeat, quamvis propter obicem habitum caritatis accipere nequeat.

Probatur: I. Ex Tridentino, sess. 6. cap. 7, ubi dicitur: 1. « In ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur: fidem, spem et caritatem ». Ergo tunc infunduntur habitus fidei et spei, quando infunditur habitus caritatis; sed hic non infunditur nisi in ipsa iustificatione. Illud enim « simul »

de simultaneitate temporis intelligendum esse ex eo patere videtur, quod Concilium eousque per capita 6. et 7. de iis locutum est, quibus homo ad iustificationem pedetemptim et cursu temporis pervenit. Unde et in fine eorum dicendo « simul » de simultaneitate temporis, non de simultaneitate paritatis loqui censendum est.

2. « Hanc fidem ante baptismi sacramentum ex Apostolorum traditione catechumeni ab Ecclesia petunt ». Concilium igitur supponit catechumenos ante baptismum susceptum habitum fidei non possidere, quamquam supernaturalem fidei actum iam elicuerint.

II. Ratione congrua. Virtutes infusae se habent ad gratiam sanctificantem, sicut facultates se habent ad naturam. Sed facultates prius non dantur, quam datur natura.

Propter actum fidei elicitum et moraliter permanentem homo adultus iam ante iustificationem quodammodo fidelis appellari potest. — Virtutes morales ab iis, qui eas pro infusis habent, communiter dicuntur infundi una cum gratia sanctificante. Pauci tamen olim putabant singulas virtutes morales post infusionem gratiae sanctificantis tum infundi, cum earum actus sint eliciti.

QUAESTIO. **Utrum nexus inter gratiam sanctificantem et virtutes infusas sit physicus an moralis.**

I. Thomistis nexus inter gratiam sanctificantem et virtutes infusas physicus esse isque in eo consistere videtur, quod virtutes a gratia physice procedunt seu fluunt, sicut animae potentiae ab animae essentia.

S. Thomas[1]: « Sicut ab essentia animae effluunt eius potentiae, quae sunt operum principia, ita etiam ab ipsa gratia effluunt virtutes in potentias animae, per quas potentiae moventur ad actus ». Ad quae verba annotat Ripalda[2]: « En emanatio virtutum a gratia est, sicut emanatio physica potentiarum animae ab ipsa anima ».

Gotti[3]: « Doctrinae et menti s. Thomae conformius videtur gratiam habitualem ita esse radicem seu principium radicale virtutum supernaturalium, ut iuxta exigentiam status et capacitatem subiecti simul cum ea infundantur et ab ea deriventur: non moraliter solum, sed vel physice vel modo quodam ad effluxum physicum accedente ».

---

[1] 1. 2, q. 110, a. 4 ad 1.

[2] De ente supern. disp. 121, sect. 3, n. 12.

[3] tom. 2, tract. 6. q. 3, dub. 5, § 3.

Ratio Thomistarum praecipua desumitur ex connexione virtutum cum gratia. « Nam quamdiu gratia non adest, non adsunt virtutes; statim vero ubi adest gratia, adsunt etiam virtutes. Ex tali autem connexione in rebus naturalibus concludimus unum physice procedere ab altero, ut calorem ab igne. Neque enim dicimus: Quando adest ignis, solus Deus producit calorem. Ergo a pari non debemus dicere solum Deum producere virtutes, sed Deum per gratiam sanctificantem ». Pesch [1]. Quod vero habitus fidei et spei gratia sanctificante amissa manere possunt, Thomistis non videtur evincere illos ab hac physice non effluere, cum e. g. etiam calor conservari possit, etsi ignis sit exstinctus.

Alia ratio, quam Gotti affert, est, quod haec sententia et deservit ad reducendos omnes habitus supernaturales ad unum principium, neque repugnat naturae sive gratiae sanctificantis sive virtutum infusarum.

II. Aliis, inter quos eminet Suarez, virtutes infusae cum gratia sanctificante moraliter tantum cohaerere videntur ita, ut illae huic secundum suavem providentiam quodammodo debitae et connaturales sint ideoque eius intuitu infundantur. Gratia enim sanctificans, si virtutes supernaturales non adderentur, complemento careret essetque sicut sol sine radiis.

§ IV. *De virtutum infusarum augmento.*

Thesis: **Omnes virtutes infusae una cum gratia sanctificante intensive augentur.**

Explicatur: 1. Inter incrementum virtutum infusarum et augmentum gratiae sanctificantis haec connexio est:

a) Non augetur gratia, quin simul augeantur omnes virtutes; ergo hae aeque augentur atque illa per dignam susceptionem sacramentorum et per meritum de condigno.

b) Non augetur ulla virtus, quin simul augeatur gratia. Itaque habitus fidei et spei in homine gratia sanctificante destituto non augentur.

c) Inter augmentum gratiae et virtutum servatur proportio.

---

[1] tom. 8, n. 58.

2. Virtutes non augentur extensive seu ex parte obiecti, quia omnes virtutes infusae, in quocunque gradu sunt, semper habent sufficientem vim attingendi omnia sua obiecta, sed augentur intensive seu ex parte habitus.

Hoc augmentum, quod ab omnibus theologis admittitur, consistit in eo, quod ipsi habitus infusi crescunt seu perfectiores redduntur simili modo, quo e. g. sanitas vel pulchritudo corporalis perfectior fit.

Probatur: I. Ex Scriptura. Prov. 4, 18: *Iustorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectam diem.* Apoc. 22, 11: *Qui iustus est, iustificetur adhuc et sanctus sanctificetur adhuc.* — Iam vero iustitia divinitus infusa adaequate sumpta complectitur gratiam sanctificantem et omnes supernaturales virtutes, unde is, qui in iustitia crescit, in omnibus virtutibus crescit.

Luc. 17, 5: *Adauge nobis fidem.* — 2. Cor. 10, 14, 15: *Usque ad vos pervenimus in evangelio Christi... spem habentes crescentis fidei vestrae.* — Rom. 15, 13: *Ut abundetis in spe et virtute Spiritus Sancti.* — Phil. 1, 9: *Hoc oro, ut caritas vestra magis ac magis abundet.* — Iam vero fides, spes, caritas iustorum sunt habitus, unde et illorum incrementum de incremento horum non immerito intelligitur.

II. Ex doctrina Ecclesiae. Trid. sess. 6. cap. 10: « Sic ergo iustificati et amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem, renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem: hoc est... in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta... crescunt atque magis iustificantur... Hoc vero iustitiae incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat: Da nobis, Domine, fidei, spei et caritatis augmentum ». Ergo iustitia augeri potest et una cum iustitia augentur virtutes infusae.

QUAESTIO. **Utrum augmentum virtutum infusarum fiat per radicationem an per additionem.**

I. Secundum Thomistas, ad quos accedit Valentia, intensio virtutis infusae fit per radicationem i. e. per hoc, quod virtus in subiecto magis radicatur seu quod subiectum virtuti magis subiicitur; non per hoc, quod virtuti novus gradus additur distinctus a gradu, quem prius habebat. Per hoc, aiunt,

1. homo in virtute vere crescit. Nam, ut quis fiat e. g. prudentior, sufficit, ut ei forma, qua prudens constituitur, perfe-

ctius communicetur, etsi forma in se ipsa maneat perfectionis eiusdem. Atqui, si prudentia in homine magis radicatur, seu hominem sibi magis subiicit, eo ipso homini perfectiore modo communicatur;

2. ipsa virtus augetur secundum essentiam. Nam virtus est accidens, cuius « esse est inesse; unde nihil est aliud ipsam secundum essentiam augeri, quam eam magis inesse subiecto ». S. Thomas [1].

II. Secundum Alex. Hal., s. Bonaventuram [2], b. Albertum plurimosque alios augmentum virtutum infusarum fit per additionem i. e. per hoc, quod virtuti, quae in certo gradu iam adest, novus gradus accedit, qui cum priore gradu unam formam constituit.

Hi theologi dicunt qualitatem, quae augeri seu intendi possit, in entitate sua non esse indivisibilem, sed habere aliquam latitudinem partium, ratione cuius subiecto magis vel minus inesse possit.

Has qualitatis partes vocant eius gradus.

Contra opinionem Thomistarum hoc proferunt: Accidentis essentia et accidentis inhaerentia distinguitur; nam accidentis essentia consistit in eo, quod subiecto inesse *postulat,* non quod subiecto reapse inest; ergo formaliter est aliud intendi seu perfici accidens ipsum, aliud eius inhaerentiam perfici; ergo formaliter loquendo accidens ipsum non perficitur per hoc praecise, quod eius inhaerentia perficitur. Sed per maiorem radicationem in subiecto inhaerentia accidentis perficitur, non accidens ipsum. Attamen tenere debemus ipsum accidens, ipsam virtutem intendi seu perfici.

§ V. *De virtutum infusarum amissione.*

THESIS. **Virtus caritatis omnesque virtutes infusae morales semper, virtutes fidei et spei non semper una cum gratia sanctificante amittuntur.**

Explicatur: 1. Ex speciali ordinatione divina virtus infusa fidei non amittitur nisi per actum positivum et graviter culpabilem, quo homo a motivo fidei recedit, i. e. per positivam et internam et in se (non tantum in causa) graviter culpabilem infidelitatem late dictam (qua non solum increduli et haeretici, sed etiam ii catholici noxii sunt, qui positive et deliberate dubitant). Ille autem actus iuxta fere omnes fidem

---

[1] 2. 2, q. 24. a. 4, ad 3.

[2] tom. 1, pag. 307-13; tom. 2, pag. 664.

expellit non solum demeritorie, sed etiam dispositive sive moraliter sive, ut aliqui volunt, physice. Fide amissa etiam omnes aliae virtutes infusae amissae sunt.

2. Virtus infusa spei, praeterquam quod per amissionem fidei amittitur, certe deperditur per desperationem graviter culpabilem; probabilius non deperditur per praesumptionem, nisi haec aliquam infidelitatem supponat. Perditur autem eodem modo, quo fides perditur per peccatum grave contra fidem. Si per desperationem perditur, virtus fidei manet, ceterae virtutes infusae amittuntur.

3. Virtus caritatis, praeterquam quod per peccatum mortale contra fidem et spem amittitur, per quodlibet aliud grave peccatum expellitur. Si virtus caritatis perit, una cum ea etiam virtutes morales infusae pereunt.

Illustratur simili. Aptum simile est arbor. Eius radix repraesentat fidem, truncus (se tollens in altum) spem, cacumen caritatem, cacuminis frondes virtutes morales, cacuminis fructus merita (de quibus infra). Si radix arboris ex humo eruitur, tota arbor a humo divellitur; si truncus desecatur, radix in humo manet, cacumen et ea, quae in cacumine sunt, una cum trunco cadunt; si solum cacumen aufertur, radix et truncus manent, sed frondes et fructus simul cum cacumine auferuntur.

Probatur per partes: I. Pereunte gratia sanctificante perit *caritas*. Nam si caritas non est gratia sanctificans ipsa, inter hanc et illam is nexus est, ut una sine altera esse non possit.

II. Pereunte gratia sanctificante pereunt *virtutes infusae morales*. 1. Id docetur non solum communiter a theologis, sed etiam a ss. Patribus, qui dicendo Spiritum Sanctum in anima iusti habitare per virtutes supernaturales supponunt in anima peccatoris non magis remanere has virtutes, quam ipsum Spiritum Sanctum. 2. Suadetur his rationibus: *a)* Virtutes infusae morales sunt proprietates, quae gratiam sanctificantem connaturaliter comitantur; ergo et connaturaliter una cum ea pereunt. *b)* Virtutes morales infusae, licet sua propria obiecta proxima habeant, tamen natura sua tendunt in finem ultimum supernaturalem; unde homo, qui per peccatum mortale se ab hoc avertit, etiam illas amittit.

III. *Virtus infusa fidei* non semper cum gratia sanctificante deperditur. 1. Constat ex Tridentino, sess. 6. can. 28: Si quis dixerit amissa per peccatum gratia simul et fidem sem-

per amitti; aut fidem, quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine caritate habet, non esse christianum, a. s. — Sermonem esse *de supernaturali habitu* fidei, non de eius actu vel acquisita quadam dispositione credendi, colligitur ex eo, quod Concilium in praecedentibus loquitur de habitibus infusis, unde et hic de infuso habitu loqui censendum est.

2. Docetur *a)* a ss. Patribus, qui saepe dicunt posse esse veros fideles, qui sint peccatores. « Sine caritate », ait s. Augustinus [1], « quippe fides potest quidem esse, sed non et prodesse »; *b)* communiter a theologis et veteribus et recentioribus, ita ut sit valde temerarium ab eorum sententia recedere.

IV. Neque *virtus infusa spei* semper amittitur una cum gratia sanctificante.

1. Patet ex unanimi consensu theologorum.

2. Suadetur ratione (quae etiam valet pro fide): « Sine dubio Deus ideo relinquit peccatori habitum fidei, quia sic peccator est iam aliquo modo dispositus ad recuperandam iustificationem, et quia ex altera parte non est tam arcta connexio fidei cum gratia, quam caritatis cum gratia, ut pereunte gratia necessario fides pereat, sicut caritas; nam caritas est aliquid proxime sanctificans, sed fides per se est remota tantum dispositio ad iustificationem. Atqui utraque haec consideratio valet etiam pro spe. Ergo supponendum est Deum ob eandem rationem relinquere spem in peccatore, ob quam relinquit fidem, quia actus harum duarum virtutum requiruntur et sufficiunt, ut homo eliciat attritionem et per sacramentum poenitentiae iustificetur ». Pesch [2].

Scholia.

I. In altera vita secundum sententiam communem vel in una alterave re nunc fere communem:

1. In *beatis* eae virtutes infusae manent, quae illorum statui non repugnant. Unde *a)* non manent fides et spes; *b)* manet caritas, quod omnino certum est et a s. Paulo affirmatur

---

[1] De trin. l. 15, c. 18, n. 32.

[2] tom. 8, n. 86.

dicente 1. Cor. 13, 8: *Caritas nunquam excidit;* manent quoque morales infusae, licet quoad multos actus exerceri nequeant.

2. In *animabus purgatorii* omnes infusae virtutes manent.

3. In *damnatis* nulla virtus supernaturalis manet.

II. Virtutes infusae nihilo magis, quam gratia sanctificans quoad intensitatem habitus imminui possunt, quod communiter tenetur contra Dionysium Carthusianum. Imminui tamen possunt quoad exercitium ac fervorem actus, possuntque contrahi dispositiones ad earum amissionem conducentes.

ARTICULUS II.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS IN SPECIE.

I. In virtutibus theologicis obiectum distinguitur triplex:

1. *Obiectum materiale primarium*, (quod et vocatur obiectum formale quod vel attributionis.) Hoc est illud, quod a virtute attingitur ratione sui. Obiectum formale quod virtutum theologicarum est solus Deus et is quidem ut est in se et finis noster supernaturalis. Aliis verbis: Virtutibus theologicis solus Deus, ut in se et finis noster supernaturalis est, ratione sui attingitur.

2. *Obiectum materiale secundarium.* Hoc est illud, quod a virtute attingitur non ratione sui, sed ratione nexus, quem habet cum obiecto formali quod. Obiectum materiale secundarium virtutum theologicarum non est Deus, sed sunt alia praeter Deum. Aliis verbis: Omnia obiecta, quae praeter Deum a virtutibus theologicis attinguntur, ab iis non attinguntur nisi ratione nexus, quem cum Deo habent.

3. *Obiectum formale*, quod ab iis, qui obiectum materiale primarium dicunt formale quod, vocatur obiectum formale quo. Hoc est motivum, propter quod obiectum materiale, tam primarium, quam secundarium, a virtute attingitur. Obiectum formale virtutum theologicarum idque immediatum est ipse Deus seu sunt divina attributa. Aliis verbis: Deus ipse est seu divina attributa sunt motivum immediatum seu internum, propter quod virtutes theologicae obiecta sua attingunt seu circa obiecta sua versantur.

Animadvertendum est in hac re modum loquendi multum pendere a subiectiva consideratione et proinde diversum esse idque propterea quod in rebus moralibus de materia et forma non possit esse sermo nisi secundum analogiam.

Illustratur quoad fidem: Obiectum fidei materiale primarium seu formale quod est Deus ut est in se et a nobis per visionem beatificam intuitive cognoscendus et possidendus. Obiecta materialia secundaria sunt aliae veritates praeter Deum revelatae. Hae nobis revelatae sunt in ordine ad Deum, ut nempe Deum eiusque perfectiones melius cognoscamus et ad Deum, aeternam nostram beatitudinem, perveniamus. Ad omnia illa obiecta materialia fide amplectenda immediate movemur Dei ea revelantis veritate seu infallibilitate in cognoscendo et veracitate in dicendo seu testando.

E contrario nulla virtus moralis est, quae pro obiecto formali quod et quo Deum habeat. Nam e. g. virtus religionis, quae ad Deum propius spectat quam quaelibet alia virtus moralis, non versatur circa Deum ipsum, sed circa Dei cultum; et id, quod nos ad virtutem religionis exercendam immediate movet, est honestas seu aequitas, quae in ea exercenda relucet. Aliis verbis: Deum colimus, quia honestum seu aequum est. Et id quidem aequum est, quia Deus cultu est dignus. Ergo virtus religionis pro motivo immediato habet honestatem, pro mediato tantum excellentiam divinam, cum econtra virtutes theologicae pro motivo immediato habeant attributa divina.

II. De ratione virtutis theologicae est Deo appretiative super omnia adhaerere i. e. ita adhaerere, ut parati simus, potius recedere ab omni alio obiecto in contrarium sollicitante, quam a Deo. Nam de ratione cuiuslibet virtutis est obiecto suo tantum adhaerere, quantum hoc obiectum meretur seu dignum est. Sed Deus dignus est, qui praeferatur omnibus ipsi repugnantibus.

Itaque virtutes theologicae non, ut virtutes morales, consistunt in medio ex parte obiecti, cum non possit in Deum nimium credi et sperari, nec possit Deus nimis diligi. Habent tamen medium ex parte subiecti seu ratione modi, quia in modo, quo exercentur, non solum per defectum, sed etiam per excessum peccari potest.

Credimus in Deum super omnia; et haec quidem fides media est inter levem credulitatem et incredulitatem. Pariter in Deum super omnia speramus, quae quidem spes est media inter praesumptionem et desperationem.

III. Ordine perfectionis seu dignitatis inter virtutes theologicas prima est caritas, secunda iuxta s. Thomam et plurimos alios spes, tertia fides. Nam: 1. Caritas attingit Deum ut summum bonum in se, spes ut summum bonum nostrum, fides ut summum verum. Sed Deus qua summum bonum omnes di-

vinas perfectiones complectitur, qua summum verum non omnes eas complectitur; in se est summum bonum modo infinito, nobis summum bonum est modo non infinito. 2. Spes nos magis coniungit cum Deo seu nos propinquiores reddit fini nostro ultimo, quam fides; caritas magis, quam spes.

§ I. *De virtute fidei.*

A. De nomine et notione fidei.

I. Nomen fidei in s. Scriptura 1. refertur ad voluntatem, et sic significat *a)* fidelitatem in servandis promissis, ut cum dicitur [1]: *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? b)* ipsam promissionem, ut cum dicitur [2]: *Primam fidem irritam fecerunt;* 2. refertur ad intellectum, et sic significat *a)* conscientiam, ut cum dicitur [3]: *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est; b)* assensum mentis ob auctoritatem testis praestitum. Et si Deus est testis, habetur fides theologica.

II. Virtus fidei est virtus theologica, qua inclinamur ad firmiter assentiendum veritatibus a Deo revelatis ob auctoritatem ipsius Dei revelantis.

Cum de fidei actu et obiecto et proprietatibus iam satis actum sit in Theologia generali, hic solum agitur:

B. De subiecto virtutis fidei.

I. Subiectum proximum virtutis fidei seu potentia, in qua supernaturalis habitus fidei inhaeret, est intellectus. Nam habitus in eadem potentia residet, a qua elicitur actus. Sed actus fidei elicitur ab intellectu. Est enim assensus intellectus veritatibus divinitus revelatis praestitus ob auctoritatem Dei revelantis. Eum esse actum intellectus etiam a s. Scriptura et Ecclesia haud ambigue docetur. Nam dicitur: 1.) Hebr. 11, 3: *Fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei.* — Atqui intelligere est actus intellectus. 2.) Trid. sess. 6. cap. 6: Disponuntur ad ipsam iustitiam... credentes vera esse, quae divinitus reve-

---

[1] Rom. 3, 3.
[2] 1. Tim. 5, 12.
[3] Rom. 14, 23.

lata et promissa sunt. — Sed credere seu admittere aliqua esse vera est actus intellectus et is quidem non mentis apprehensio, sed assensus.

II. Hic assensus, qui ab intellectu elicitur, imperatur a voluntate, idque ita, ut homo non solum assensum ponere et non ponere seu cohibere, sed etiam positive dissentiri possit, seu assensus fidei est perfecte liber, tam quoad exercitium, quam quoad specificationem seu contrarietatem, quod in Theologia generali probatum est. Hinc quaeritur:

1. Utrum homo, qui in intellectu virtutem fidei habet, etiam in voluntate possideat habitum supernaturalem, qui hanc inclinet ad assensum intellectus imperandum et ad eliciendum pium credendi vel credulitatis affectum, qui vocatur.

a) Longe plurimis theologis eiusmodi habitus videtur esse admittendus. Ratio, quae ab iis affertur, est, quia non solum actus intellectus assensum fidei elicientis, sed etiam actus voluntatis eundem assensum imperantis supernaturalis est. Sed ut supernaturalis actus ponatur modo perfecto et connaturali, requiritur supernaturalis habitus, a quo producatur. Eodem igitur iure, quo intellectus habitu infuso instructus est ad actum fidei eliciendum, etiam voluntas habitu infuso instructa esse censenda est ad actum fidei imperandum.

b) Paucis, in his Henno, ille habitus superfluus esse et ad assensum fidei imperandum gratia actualis sufficere videtur, praesertim cum « habitus virtutis non detur nisi ad actus perfectos et ultimatos, qualis non est ipsa motio, quae tantum est via ad actum perfectum et ultimatum, nempe fidei ». Henno [1].

Quod ad alios Scotistas attinet, Mastrius e. g. haec habet [2]: « Prima... sententia negativa tribuitur Scoto ibidem, ubi expresse negare videtur necessarium esse specialem habitum infusum ad imperandos fidei actus, quam passim sequuntur Scotistae. Secunda vero sententia affirmat talem habitum esse necessario in voluntate ponendum, quae est communis inter recentiores ». Et postea (art. 2): « Dicendum... difficile esse assignare in voluntate specialem habitum infusum ad imperandos fidei actus et adhuc difficilius explicare, quaenam sit haec virtus. Haec est Scoti ». Etiam Frassen dicit [3] « praeter habitum infusum fidei in intellectu residentem... alterum communiter admitti in voluntate ». Et infra (q. 4.) ait eum non esse necessarium.

[1] tom. 1. de virtutibus, disp. 3, q. 2.
[2] in 3. lib. sent., disp. 6, q. 9.
[3] De virt. theol. disp. 1, a. 2, q. 2.

2. Quid de illo voluntatis habitu sentiatur. Ille habitus secundum se spectatus *a)* est virtus proprie dicta; *b)* est virtus peculiaris, quae ab omnibus aliis virtutibus, v. g. religione, obedientia, distinguitur. Nam habet obiectum et materiale et formale sibi peculiare. Obiectum enim eius materiale est assensus fidei, et obiectum eius formale est honestas, quae huius assensus propria est; *c)* est virtus moralis; non est virtus theologica, quia pro obiecto formali non habet aliquam perfectionem divinam.

Ille habitus vocari solet habitus piae affectionis ad res fidei, vel breviter habitus piae affectionis (Glaubenswilligkeit).

S. Thomas dicit[1]: « Fides est in intellectu *speculativo*... Sciendum tamen, quod non est in intellectu speculativo absolute, sed *secundum quod subditur voluntatis imperio* ».

S. Bonaventura[2]: « Fides,... ut est habitus, respicit quodam modo intellectum *speculativum*, quodam vero modo intellectum extensum sive *practicum*, et ipsum *affectum* ».

Matthaeus de Aquasparta, s. Bonaventurae discipulus, eius mentem sic explicat[3]: « Fides est in intellectu formaliter, sed in voluntate causaliter; in intellectu sicut in subiecto, in voluntate sicut in causa; in intellectu sicut in potentia, a qua eius actus elicitur, sed in voluntate tamquam in potentia, a qua eius actus imperatur ».

B. Albertus M., cui favet Richardus a Mediavilla, tenet virtutem fidei esse in intellectu *practico*.

Alexander Hal. sentit fidem materialiter consideratam esse in intellectu *speculativo*, formaliter consideratam in intellectu *practico*.

§ II. *De virtute spei.*

A. De nomine, notione, natura, subiecto spei.

I. Nomen spei significat 1. exspectationem boni futuri; 2. ipsam rem speratam, ut cum dicitur[4]: *exspectantes beatam spem;* 3. causam seu rationem spei sive primariam, ut cum dicitur[5]: *Domine, spes mea a iuventute mea,* sive secundariam, ut cum dicitur: Salve regina... spes nostra.

---

[1] De verit. q. 14, a. 4, c.
[2] tom. 3. pag. 475.
[3] anecd. quaest. disp. de fide.
[4] Tit. 2, 13.
[5] Ps. 70, 5.

II. Virtus spei est virtus theologica, qua inclinamur ad aeternam beatitudinem et media eo conducentia desideranda et certa cum fiducia a Deo exspectanda.

III. Cum natura habitus ex natura actus cognoscatur, aliqua de hac dicenda sunt:

1. Quicunque aliquid sperat, id, quod sperat, amat. Sed illud amat, non quia ei, quod amatur, sed quia *ipsi*, qui amat, *bonum* est. Amor igitur, quo illud amat, non est amor benevolentiae, sed est *amor concupiscentiae*.

2. At non omne id, in quod amore concupiscentiae ferimur, etiam speramus. Nam si illud iam possidemus, id non amplius speramus. Ergo bonum, quod speramus, non est bonum possessum seu praesens, sed est bonum *absens seu futurum*, et amor concupiscentiae, quo in idem ferimur, habet rationem desiderii seu est *desiderium*.

3. Sed non omne bonum absens, quod desideramus, etiam speramus. Nam si illud adipisci non possumus, id non speramus. Ergo bonum absens, quod speramus, est bonum, quod obtineri potest, id quod dici solet bonum *possibile*, et desiderium, quo in illud tendimus, est desiderium coniunctum cum fiducia id adipiscendi, quod desiderium *fiduciale* vel *exspectatio* vocari solet.

4. Neque omne bonum absens et possibile, in quod tendimus, sperare dicimur. Si enim adeptio eius tam facilis est, ut actuali possessioni quasi aequivaleat, seu si illud bonum tam facile acquiri potest, ut ad illud acquirendum quodammodo solum manum extendi necesse sit, non dicimur id sperare. Ergo bonum, ut possit esse obiectum spei, non solum absens et possibile, sed etiam quodammodo *arduum* sit oportet. Spes enim in prosecutione boni habet aliquam animi erectionem, seu efficaciam, id quod esse non potest, si nulla in hac prosecutione est arduitas.

Ea, quae obiectum spei arduum reddunt, pro diversis possunt esse diversa. Sic iam satis ardua esse potest longa dilatio rei valde desideratae, iuxta Prov. 13, 12: *Spes, quae differtur, affligit animam.*

Itaque in spe includuntur haec quatuor: *amor concupiscentiae*, quia obiectum eius est bonum sperantis; *desiderium*, quia bonum illud nondum habetur; *fiducia*, quia bonum illud est possibile; *animi erectio seu efficacia*, quia bonum illud

est arduum. Haec quatuor tamen non habendi sunt diversi actus, sed diversi respectus unius actus.

IV. Ex his omnibus manifestum est subiectum proximum spei tam actualis quam habitualis esse voluntatem.

B. De obiecto spei.

I. Obiectum spei materiale primarium seu formale quod est *Deus supernaturali beatitudine possidendus*, seu Deus ut supernaturalis nostra beatitudo.

Quidam, in his *Durandus*, sentiunt *solam beatitudinem subiectivam* esse obiectum spei immediatum, Deum vero esse obiectum mediatum. Alii, inter quos eminent *Salmanticenses*, putant *solum Deum* esse obiectum spei, visionem vero beatificam esse conditionem attingendi hoc obiectum. Econtra *s. Thomas*, quem theologi communiter sequuntur, statuit obiectum spei esse *compositum ex beatitudine obiectiva et subiectiva*, non ut duas res, sed ut unum indivisum. Nam res et adeptio rei « non sunt duo fines, sed unus finis in se consideratus et alteri applicatus. Deus igitur est ultimus finis sicut res, quae ultimo quaeritur; fruitio autem sicut adeptio huius ultimi finis [1] ». « Neque spes ideo deficit a dignitate virtutis theologicae, quod res creata (beatitudo subiectiva) partialiter constituit eius obiectum formale quod; nam hoc partiale obiectum creatum quodammodo informatur perfectione divina, cum visio eatenus tantum desideretur, quatenus eius obiectum est Deus. Hoc autem sufficit ad virtutem theologicam ». Pesch [2].

II. Obiectum spei materiale secundarium constituunt: 1. omnia *bona*, quae et quatenus possessioni Dei ad beatitudinem totius hominis perficiendam *adiunguntur*, ut gloria corporis et societas beatorum; 2. omnia *media*, quae ex Dei ordinatione ad supernaturalem beatitudinem obtinendam necessaria vel utilia sunt: *a)* imprimis *supernaturalia*, ut gratiae actuales ad cavenda vel delenda peccata, ad facienda opera bona, ad perseverandum in statu gratiae, collatio vel augmentum gratiae habitualis, remissio peccatorum etc.; *b)* deinde etiam *naturalia*, sed haec solum eatenus, quatenus ad finem ultimum supernaturalem conferunt.

Certum est nos etiam salutem etc. aliorum hominum desiderare et exspectare posse. 2. Cor. 1, 7. Philipp. 1, 6. Sed quaeritur, utrum hoc sit spei

---

[1] S. Thom. 1. 2, q. 11, a. 3. ad 3.

[2] tom. 8, n. 481.

theologicae necne. Plerique respondent distinguendo sic: Si aliorum salutem etc. desideramus sine ullo respectu ad nos ipsos, non est spei theologicae, si vero cum aliquo respectu ad nos ipsos, spei theologicae est. Hic autem respectus ad nos ipsos consistit in eo, quod bona illa aliorum eatenus spectantur, quatenus etiam nobis bona sunt, idque ratione unionis, quam inter nos et illos esse vel futuram esse credimus vel speramus. Ratio vero, cur actus, quo salutem etc. aliorum sine respectu ad nos desideramus, actus spei non sit, est, quia spes pertinet ad amorem concupiscentiae, cui essentiale est tendere in bonum proprium. Inde etiam fit, ut per hoc, quod salutem proximi non iam speramus, virtutem spei non amittamus. Virtus enim non amittitur, quamdiu retinetur tendentia, quae ei essentialis est, quamvis desit tendentia, quae ei accidentalis est.

III. Obiectum formale seu motivum spei (etiam vocatum obiectum formale quo) diversimode explicari solet.

« Controversia tamen non est tantopere in re, quam in concipiendi et loquendi modo, cum alii Dei bonitatem, alii Dei potentiam et Dei promissionem, alii omnia haec simul pro formali obiecto assignent. Scilicet ratio dissensus ex eo petitur, quod spes non pro simplici omnino animi affectione sumitur, sed plures affectus aut continet aut supponit. Alii igitur spem concipiunt ut *desiderium* alicuius rei *simul cum* illis animi affectionibus, quae illius desiderii securam et firmam tendentiam efficiunt; alii supposito rei desiderio spem collocant in *sola illa subsequenti affectione*, qua animus contra difficultates in desiderio efficaciter prosequendo *erigitur*. Pro illis diversis opinionibus diversum obiectum formale spei statuunt. Practice autem dubium nullum esse potest omnes illos actus seu affectus requiri, ut actus verae spei adsit, sive spem formaliter completam constituunt, sive eam praeparant et inchoant ». Lehmkuhl [1].

Communior et ad naturam rei magis accommodata est haec explicatio: Spes considerari potest sub ratione desiderii et sub ratione fiduciae atque erectionis animi seu fiducialis erectionis animi.

1. Motivum spei, quatenus haec est *desiderium*, est *bonitas Dei respectiva* seu Deus ut summum bonum nostrum. Nam ad quaestionem, cur Deum intuitive cognoscere et possidere desideremus, recte respondemus: Quia Deus est summum bonum nostrum.

2. Motivum spei, quatenus haec est *erectio fiducialis animi*, est *virtus Dei auxiliatrix* seu Deus ut noster auxiliator. Nam, si quis interrogatur, cur confidat se miserum consecuturum esse Deum excelsissimum, recte respondet: Quia Deus me iuvabit.

---

[1] Theol. mor. vol. 1, n. 306.

Haec virtus Dei auxiliatrix complectitur:

a) omnipotentiam divinam, qua Deus nos iuvare potest;

b) benignitatem vel respectu hominis lapsi misericordiam divinam, qua Deus ad nos iuvandos paratus est;

c) fidelitatem divinam, qua Deus datam promissionem nos iuvandi servat.

Promissionem Dei ad spem theologicam necessariam esse ex eo efficitur, quod sine illa nescimus beatitudinem supernaturalem et media ad eam consequendam necessaria vel utilia a nobis rationabiliter appeti et exspectari posse. Ipsa tamen ab aliis spectatur solummodo ut conditio sine qua non, ab aliis ut partiale motivum spei, eodem modo, quo revelatio divina ab aliis consideratur ut fidei conditio necessaria, ab aliis ut partiale motivum fidei.

Motivum igitur spei adaequatum est bonitas respectiva et virtus auxiliatrix Dei, seu Deus ut summum bonum nostrum et ut auxiliator noster, qui ad subveniendum nobis est potentissimus et paratissimus.

In creaturis spem ponere non licet nisi ut agentibus secundariis sub Deo constitutis.

C. De proprietatibus spei.

Proprietates spei sunt certitudo seu firmitas, honestas, necessitas.

I. Spes, in quantum Deum respicit, est absolute certa ac firma seu excludit omnem diffidentiam et haesitationem; sed, in quantum nos i. e. nostram cooperationem respicit, seclusa revelatione speciali incerta est atque cum timore coniuncta.

Probatur pars prior: 1. *Ex Scriptura*, in qua firmitas spei saepe praedicatur, e. g. Ps. 24, 3: *Universi, qui sustinent te, non confundentur*. Eccli. 2, 11. Rom. 5, 5: *Spes non confundit*. Hebr. 6, 17-19. — 2. *Ex doctrina Ecclesiae*, quae in Concilio Trid. sess. 6. cap. 13. dicit: In Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere. — 3. *Ratione theologica*. Motivum spei sub ratione erectionis animi est virtus Dei auxiliatrix. Sed haec est indefectibilis, cum repugnet Dei omnipotentiam vel misericordiam vel fidelitatem deficere. Ergo pariter motivum spei et consequenter spes ipsa, quatenus virtute Dei auxiliatrice nititur, deficere nequit.

Probatur pars altera: 1. *Ex Scriptura.* Rom. 11, 20: *Tu autem fide stas; noli altum sapere, sed time.* 1. Cor. 10, 12. Phil. 2, 12. — 2. *Ex doctrina Ecclesiae.* Trid. sess. 6. cap. 12: Nemo, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero praedestinatorum... Nam nisi ex speciali revelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit. — Et can. 16: Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, a. s. — 3. *Ratione theologica.* Vita aeterna non absolute nobis promissa est, sed conditionate, dependenter nimirum a cooperatione nostra, quae deficere potest.

Nota. Non obstante timore illo cum spe coniuncto spes simpliciter certa dicenda est. Nam denominatio fit ex eo, quod rei essentiale et principale est, non ex eo, quod rei accidentale et secundarium est. Sed spei, utpote virtuti theologicae, essentiale et principale est Deo inniti, ex cuius parte certitudini nihil deest, accidentale autem et secundarium est esse in subiecto defectibili. Ergo spes simpliciter certa est.

II. Spes honesta est, non solum quatenus est fiducialis erectio animi, quod a nullo negatum est, sed etiam quatenus est desiderium acquirendi beatitudinem aeternam, quod a novatoribus saec. 16. negatum fuit. Nam 1. *S. Scriptura* saepe laudat et commendat opera, quae fiunt intuitu mercedis aeternae. Luc. 16, 9: *Ego vobis dico: facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut* (ἵνα), *cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* — 1. Cor. 9, 25: *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* — Gal. 6, 9. — Col. 3, 23. 24. — 1. Petr. 5, 4. — Apoc. 2, 10.

2. *Ecclesia* illud aperte docet. *a)* Tridentinum dicit sess. 6. can. 31: Si quis dixerit iustificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur, a. s. — *b)* Alexander VIII. damnavit hanc propositionem (10.): Intentio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum mere, ut coelestem obtineat gloriam, non est recta nec Deo placens [1].

III. Virtus spei omnibus viatoribus necessaria est necessitate medii absoluta, quemadmodum et gratia sanctificans, qua-

[1] Denzinger, 1167.

cum infunditur. Actus spei necessarius est necessitate tam medii quam praecepti divini, et naturalis et positivi, tam peccatoribus ad acquirendam iustificationem, quam iustis ad perseverandum et ad obtinendam aeternam salutem. Nam 1. in *s. Scriptura: a)* Fides necessaria praedicatur, quatenus spei subest et spem includit. Hebr. 11, 6: *Sine fide autem impossibile est placere Deo.* De hac autem fide v. 1. dictum est: Est autem fides *sperandarum substantia* rerum. Porro v. 6. legitur: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est et inquirentibus se remunerator sit.* Fides autem remuneratoris certe includit spem remunerationis. — *b)* Spei immediate adscribitur iustificatio et salus aeterna. Rom. 8, 24: *Spe enim salvi facti sumus.* — Hebr. 3, 6:... *quae domus* (Christi) *sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.* — *c)* Spes saepe laudatur atque commendatur. Ps. 4, 6: *Sacrificate sacrificium iustitiae, et sperate in Domino.* — Ps. 61, 9. — 1. Petr. 1, 13: *Propter quod succincti lumbos mentis vestrae, sobrii perfecte sperate in eam, quae offertur vobis, gratiam in revelationem Iesu Christi.*

2. *Ecclesia* necessitatem spei aperte docet. *a)* Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. inter dispositiones ad iustificationem necessarias spem expresse commemorat. Neque apparet, quomodo sine spe obtinendae remissionis peccatorum aut formaliter habita aut in actu caritatis virtualiter inclusa ulla salutaris poenitentia esse possit. — *b)* Innocentius XI. damnavit doctrinam Quietistarum, iuxta quam homo in statu perfectionis nec de inferno nec de paradiso curam habere propriaeque salutis spem expurgare debet[1]. Item Innocentius XII. proscripsit 23 propositiones Fenelonii, quibus amor erga Deum purissimus in eo consistere dicitur, quod anima ab omni amore concupiscentiae seu spei exuatur[2].

§ III. *De virtute caritatis.*

A. De nomine, notione, natura, subiecto caritatis.

I. Vox caritatis significat amorem alicuius, quod carum habetur. In s. Scriptura, vel a ss. Patribus vel ab Ecclesia:

---

[1] Denzinger, 1099.

[2] Denzinger, 1193 et 1194.

1. Ad Deum refertur et significat *a)* naturam divinam, quatenus est amor essentialis. 1. Io. 4, 8: *Deus caritas est; b)* personam Spiritus Sancti, qui amor subsistens seu personalis est. In hymno: Fons vivus, ignis, caritas; *c)* amorem, quo Deus creaturas prosequitur, praesertim supernaturalem illum, quo nos diligit ut filios et amicos. Ierem. 31, 3: *In caritate perpetua dilexi te.*

2. Ad hominem refertur et significat *a)* amorem virtutis et honestatis vel omnem bonam voluntatem; idque praesertim in scriptis s. Augustini; *b)* caritatem theologicam sive actualem sive habitualem.

II. Virtus caritatis est virtus theologica, qua inclinamur ad Deum super omnia diligendum propter se, nos ipsos vero et proximum propter Deum.

III. De natura caritatis haec dicenda sunt:

1. Caritas est amor benevolentiae. Hic consistit in eo, quod volumus bonum amati, quia amato bonum est. Amore igitur benevolentiae et gaudemus de bono, quod persona amata possidet, et optamus ei bonum, quod non possidet. Hoc vero illi non solum inefficaciter, sed etiam efficaciter optamus, i. e. in id intendimus, ut ei obveniat.

Itaque Deum caritate diligimus, si ei volumus bonum suum, quia ipsi bonum est, si proinde gaudemus et de infinita eius perfectione interna et de gloria eius externa, et, cum gloria eius externa augeri possit, si desideramus et studemus, ut haec augeatur.

2. Caritas etiam essentialiter includit affectum, quo amans cum amato unitur seu amato inhaeret. Ex hoc affectu connaturaliter oritur studium obtinendi realem praesentiam amati, si non iam habetur, idque etiamsi ex hac praesentia amanti nullum commodum proveniat, immo potius incommodum. Caritas enim ita comparata est, ut inhaerendo suo obiecto ipsa sibi sufficiat sine respectu proprii commodi. Itaque, si Deum supernaturali caritate diligimus, etiam affectu cum eo unimur et nitimur eum, ut in se est, videre seu reali eius praesentia frui, ad quod nos destinatos esse fide novimus.

IV. Subiectum proximum caritatis et actualis et habitualis est voluntas.

B. De obiecto caritatis.

I. Obiectum caritatis et materiale primarium et formale est ipse Deus, ut infinita bonitas seu perfectio in se spectata. Hanc divinam bonitatem constituunt 1. omnia Dei attributa collective sumpta, quod certum est; 2. singula Dei attributa distributive sumpta, et ea quidem non solum absoluta, sed etiam relativa, quod probabilius est. Nam *a)* quodvis attributum divinum a parte rei est ipse Deus. Ergo, si speciatim diligimus e. g. divinam benignitatem ut perfectionem Dei infinitam et subsistentem, diligimus ipsum Deum. Pariter, si eandem Dei benignitatem diligimus, non quatenus ex ea nobis provenit commodum, sed quatenus per eam Deus in se bonus est, Deum diligimus propter se. — *b)* Actus, quo eo modo divinam benignitatem diligimus, sine dubio est actus virtutis. Sed cuius virtutis actus est, si non est actus theologicae caritatis? — *c)* S. Scriptura Dei bonitatem relativam et amorem erga nos non raro proponit ut motivum amoris nostri erga Deum. 2. Cor. 5, 14. 15: *Caritas Christi urget nos... Pro omnibus mortuus est Christus, ut et, qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* — 1. Io. 4, 19: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.*

Beneficia a Deo sive accepta sive certo speranda possunt esse motivum remotum diligendi Deum, in quantum nobis manifestant divinam bonitatem, quae est motivum proximum diligendi Deum eo fere modo, quo motiva credibilitatis sunt ratio remota veritates divinitus revelatas credendi, auctoritas vero divina est ratio proxima easdem veritates credendi. Quodsi re vera eiusmodi tantum motiva sunt, actus, quo Deus diligitur, actus caritatis est.

II. Deus est obiectum virtutis infusae caritatis sub ratione finis ultimi supernaturalis, seu ut auctor gloriae et consequenter gratiae, quae ad obtinendam gloriam et requiritur et disponit. Eo efficitur, ut caritas theologica seu supernaturalis obiective differat a caritate naturali, quippe qua Deus diligatur ut auctor naturae. Eo etiam efficitur, ut caritas supernaturalis habeat rationem verae amicitiae cum Deo. Per caritatem autem supernaturalem veram amicitiam inter Deum et hominem iustum existere:

1. Praedicatur in *s. Scriptura,* in qua non solum Abraham (Iudith 8, 22; Is. 41, 8; Iac. 2, 23.) et Apostoli (Luc. 12, 4;

Io. 15, 14. 15.), sed etiam omnes ii, qui thesauro Sapientiae usi sunt, amici Dei vocantur. Sap. 7, 14: *Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei.*

2. Suadetur *ratione.* Amicitia est amor benevolentiae efficax, mutuus, manifestus. Aliis verbis: Amor benevolentiae tunc est amor amicitiae, si amantes invicem diligunt idque non solum affective, sed etiam effective, et si de hac mutua dilectione aliquam cognitionem habent. Ab aliquibus ad amicitiam praeterea requiritur aequalitas quaedam inter amantes existens. Si haec perfecta et absoluta est, habetur amicitia aequalitatis, si tantum proportionalis est, habetur amicitia excellentiae seu supereminentiae.

Iam vero: *a)* Per caritatem supernaturalem homo Deum diligit non solum affective, sed etiam effective, quia promovet gloriam Dei externam, saltem per observationem mandatorum. Deum vero eundem hominem effective diligere per se patet. — *b)* Homo mutuae illius dilectionis aliquam cognitionem habet, talem nimirum, qualis statum viae decet. Rom. 8, 16: *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Haec cognitio sine speciali revelatione divina non potest quidem esse certa, tamen generatim est plus minusve probabilis, et haec ad amicitiam sufficit, ut apparet ex amicitia humana. Ex parte vero Dei cognitionem mutuae dilectionis esse certam manifestum est. — *c)* Per supernaturalem caritatem habetur aequalitas quaedam et ea quidem proportionalis inter Deum et hominem iustum, cum hic sit consors divinae naturae. 2. Petr. 1, 4.

Iuxta sententiam probabiliorem iusti sunt amici Dei radicaliter et remote per gratiam sanctificantem, formaliter et proxime per virtutem caritatis

III. Obiectum materiale secundarium, cui bonum volumus, est omnis creatura rationalis, quae supernaturalis beatitudinis capax est. Soli igitur damnati sub ea non comprehenduntur. Communiter dicitur nos caritate diligere nos ipsos et proximum vel proximos. Bonum autem, quod his omnibus volumus, primario est Deus ut finis eorum supernaturalis ultimus, secundario quodcunque bonum creatum, prout ad eum finem refertur.

Obiectum autem caritatis eas tantum creaturas esse, quae supernaturalis beatitudinis sint capaces, ex eo efficitur, quod

caritatis obiectum formale est Deus ut finis noster supernaturalis. Inde enim efficitur, ut alia obiecta a caritate non attingantur, nisi quatenus ad eundem finem ordinata sunt vel ordinari possunt.

Proximum esse obiectum eiusdem caritatis, qua Deum diligimus, s. Scriptura saepius testatur. Sic s. Paulus 1. Cor. c. 13. exponens necessitatem caritatis sine dubio loquitur de caritate theologica, quod praeter alia ex eo patet, quod illam praefert fidei et spei dicendo v. 13: *Nunc autem manent fides, spes, caritas: tria haec; maior autem horum est caritas.* Attamen huic caritati eas qualitates attribuit, quae soli dilectioni proximi conveniunt. Dicit enim vv. 4-7: *Caritas patiens est, benigna est; caritas non aemulatur... non irritatur, non cogitat malum.* Similiter s. Ioannes in prima sua epistola loquitur de caritate, qua translati sumus de morte ad vitam. Eam tamen simpliciter describit ut dilectionem proximi. 3, 14. 15: *Nos scimus, quoniam translati sumus* (= nos translatos esse) *de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte: omnis, qui odit fratrem suum, homicida est.* 4, 7. 8: *Carissimi, diligamus nos invicem, quia caritas ex Deo est. Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est et cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus caritas est.* 4, 12: *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et caritas eius in nobis perfecta est.*

IV. Motivum caritatis, quatenus haec versatur circa creaturas, idem est ac motivum, quatenus haec versatur circa Deum: nimirum bonitas Dei, finis ultimi supernaturalis. Aliis verbis: Caritate theologica diligimus creaturas propter bonitatem Dei in se spectatam, ad quam habent aliquem ordinem, cuius per dona gratiae et gloriae participes sunt vel esse possunt. Diligimus creaturas, quia Deus, summum bonum, earum amicus est vel esse vult, eas naturae suae participes fecit vel facere vult, eas ad se intuitive cognoscendum et amore beatifico diligendum et possidendum destinavit. Et, quia homo supernaturali caritate se et proximum non diligit propter ipsos, sed propter Deum, eos nec diligit super omnia.

Ex altera autem parte caritas, qua diligimus et Deum et proximum, unius eiusdemque speciei est, siquidem unum idemque habet motivum.

C. De excellentia caritatis.

I. Caritas est *excellentissima* omnium virtutum. Est excellentior quam ulla virtus moralis, quia quaelibet virtus moralis versatur circa perfectionem creatam; caritas autem, utpote virtus theologica, versatur circa perfectionem increatam. Est excellentior quam duae aliae virtutes theologicae, sc. fides et spes, quia fides et spes « attingunt quidem Deum, secundum quod ex ipso provenit nobis vel cognitio veri vel adeptio boni; sed caritas attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat ». S. Thomas [1]. — 1. Cor. 13, 13: *Nunc autem manent fides, spes, caritas: tria haec; maior autem horum est caritas.*

II. Caritas non solum inter omnes virtutes excellit, sed etiam est earum *forma* i. e. principium vitale. Nam sine caritate habituali homo, etiamsi possideat habitus fidei et spei, perfecta vita supernaturali non gaudet, unde nec de condigno mereri potest. Caritas autem habitualis, quae, si non est gratia sanctificans ipsa, tamen cum hac inseparabili vinculo unita est, homini eandem vitam confert et omnibus eius virtutibus perfectionem completam tribuit. Has enim virtutes, sicut et ipsum hominem, ordinat ad Deum ut finem ultimum supernaturalem. Nam virtutes morales per se non respiciunt finem ultimum, sed media ad finem. Fides vero et spes versantur quidem circa obiectum, quod est finis ultimus, sc. ipsum Deum, sed non versantur circa Deum sub ratione finis ultimi. Nam Deus non est finis ultimus ut veritas non visa et bonum absens, sed est ultimus finis, ut est in se. Sed Deus, ut est in se, est obiectum solius caritatis.

Quia caritas ceteras virtutes ad finem suum ordinat, et ipsa vocatur ceterarum virtutum finis. Sed caritas vitalitatem suam non solum manifestat per hoc, quod reliquas virtutes ad ultimum suum finem ordinat, sed etiam per hoc, quod hominem ad exercitium aliarum virtutum instigat seu hoc exercitium imperat. Propterea aliarum virtutum mater vel regina vocari solet. Io. 14, 23: *Si quis diligit me, sermonem meum*

[1] 2. 2, q. 23, a. 6, c.

servabit. 1. Cor. 13, 4-7: *Caritas patiens est, benigna est; caritas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa; non quaerit, quae sua sunt; non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

III. In caritate essentialiter consistit *perfectio christiana.* Nam: 1. s. Paulus dicit Coloss. 8, 14: *Super omnia caritatem habete, quod est vinculum perfectionis,* quod sc. omnes virtutes christianas simul iunctas secum fert et conservat, atque hominem Deo coniungit, in quo tota hominis perfectio est, ut interpretatur Leo XII in encycl. Iubil. 1825. — 2. SS. Patres et theologi in hac veritate asserenda unanimes sunt. — 3. Ratio dictat id esse perfectum, quod finem suum consequatur. Sed caritas nos cum ultimo nostro fine intime coniungit.

ARTICULUS III.

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS IN SPECIE.

I. Omnes virtutes morales ad quatuor principales reducuntur, quae cardinales vocantur. Hae virtutes sunt prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia. Cardinales vocantur, quia in iis vita moralis sicut ianua in cardine vertitur. Ratio, cur praecise quatuor sint, desumitur ex earum obiecto et subiecto.

1. Obiectum virtutum moralium est bonum honestum. Sed respectu boni honesti homo debet ordinem rationis *a)* recte considerare et iudicare, quod fit per *prudentiam, b)* recte servare seu exsequi, tam erga alios, quod fit per *iustitiam,* quam erga seipsum: et superando difficultates, quae a bono prosequendo retrahunt, quod fit per *fortitudinem,* et reprimendo passiones, quae ad bonum rationi contrarium impellunt, quod fit per *temperantiam.*

Obiectum virtutum cardinalium brevius etiam sic exhiberi potest: Prudentia versatur circa eligenda, iustitia circa distribuenda, fortitudo circa toleranda, temperantia circa utenda.

2. Subiectum virtutum est voluntas, et aliae facultates, quatenus dominio voluntatis subsunt. Hae facultates sunt intellectus et appetitus sensitivus, tam irascibilis quam concupiscibilis.

Iam vero ad intellectum pertinet prudentia, ad voluntatem iustitia, ad appetitum irascibilem fortitudo, ad appetitum concupiscibilem temperantia.

Hae igitur quatuor virtutes opponuntur quatuor naturae humanae lapsae vulneribus: prudentia ignorantiae intellectus, iustitia malitiae voluntatis, fortitudo infirmitati appetitus irascibilis, temperantia ardori appetitus concupiscibilis.

Prudentia, quia est moderatrix omnium aliarum virtutum moralium, primum locum tenet; iustitia, quoniam bonum societatis respicit, secundum; fortitudo, quae et pro causa publica et pro reliquis virtutibus tuendis pericula sustinet, tertium; temperantia, cum bonum particulare respiciat, infimum.

II. Ad quatuor virtutes *cardinales* omnes aliae virtutes morales reducuntur, sive ut partes integrales, sive ut partes subiectivae, sive ut partes potentiales seu potestativae. Pars *integralis* alicuius virtutis cardinalis est ea virtus, quae requiritur, ut virtus illa cardinalis sit integra, seu quae illam virtutem cardinalem in suo actu adiuvat, ut perfecte operetur; e. g. patientia respectu fortitudinis. Partes virtutis cardinalis *subiectivae* sunt eae virtutes, quae ad illam referuntur ut species ad genus, e. g. sobrietas et castitas respectu temperantiae. Pars alicuius virtutis cardinalis *potentialis* vel potestativa est ea virtus, quae quidem cum illa virtute cardinali cognata est seu aliquatenus rationem eius participat, attamen totam eius perfectionem non attingit seu rationem eius perfectam non habet, v. g. poenitentia respectu iustitiae. Nam haec aliquatenus quidem rationem iustitiae participat, quia inclinat ad restituendum Deo honorem ablatum; attamen perfectam rationem iustitiae non habet, quia non potest perfectam aequalitatem servare inter id, quod ablatum est, et id, quod restituitur.

III. Ratio, propter quam virtutes morales infusae circa obiecta sua materialia versantur, est honestas spectata secundum normam rationis fide illustratae. Fide autem cognoscimus finem nostrum ultimum esse supernaturalem. Quapropter omnes virtutes morales infusae respiciunt rectum usum mediorum ad hunc supernaturalem finem perducentium. Prudentia v. g. infusa ad hoc valet, ut homo recte eligat media, quae ipsum ad finem supernaturalem ultimum conducant.

Inde efficitur non omnia, quae a theologis de virtutibus moralibus dicuntur, etiam valere de iisdem, ut sunt infusae. Si v. g. prudentia dividitur

in monasticam seu privatam et regitivam, putandum non est omnibus hominibus gratia sanctificante ornatis etiam inesse habitum supernaturalem bene regendi aliquam societatem. Nam multi prudentiam supernaturalem habent, qui minime idonei sunt ad alios regendos. Neque putandum est iis omnibus, qui ad hoc idonei sunt, respondentem habitum infusum esse.

De singulis virtutibus cardinalibus agitur in compendiis theologiae moralis.

CAPUT III.

De Donis Spiritus sancti.

ARTICULUS I.

DE DONIS SPIRITUS SANCTI IN COMMUNI.

I. Dona Spiritus sancti possunt considerari ut perfectiones atque complementa virtutum infusaram, a quibus sic differre videntur:

1. Virtutes infusae hominem disponunt ad sequendum dictamen rationis fide illustratae. Dona Spiritus sancti hominem disponunt ad sequendos *speciales motus Spiritus sancti*. Vel sic: virtutes disponunt hominem, ut legem divinam fide apprehensam prompte sequatur. Dona disponunt hominem, ut ipsi Spiritui sancto motori et duci prompte obediat.

S. Thomas[1]: « Dona sunt quidam habitus perficientes hominem ad hoc, quod prompte sequatur instinctum Spiritus sancti ».

Benedictus XIV.[2]: « Dona Sp. s. sunt habitus, quibus homo perficitur ad prompte obediendum Spiritui sancto ».

2. Virtutes infusae hominem expediunt ad facienda opera salutis ordinaria ac necessaria. Dona Sp. s. hominem expediunt ad facienda opera salutaria *extraordinaria* atque supererogatoria, perfectiora atque sublimiora et consequenter magis difficilia.

S. Bonaventura[3]: « Habitus virtutum... licet ordinent sufficienter quantum ad ea, quae sunt rectitudinis et necessitatis, utpote quantum ad illos

---

[1] 1. 2, q. 68, a. 4, c.

[2] De Servorum Dei beatif. l. 3, c. 22, n. 1.

[3] tom. 3, pag. 738, ad 5.

actus primos, in quibus primaria rectitudo consistit; tamen ultra hoc liberalitas benignitatis divinae providit homini et contulit habitus, per quos expediretur non solum ad opera necessaria rectitudinis, sed etiam perfectionis et supererogationis ».

3. Virtutes infusae dant potentiam et inclinationem quandam supernaturaliter agendi. Dona Sp. s. dant *facilitatem* et quandam *delectationem* seu iucunditatem in supernaturaliter agendo. Haec tamen delectatio, cum nec sensibilis sit nec naturales inclinationes oppositas exstinguat, pugnam internam non tollit. Vel sic: Dona Sp. s. ad agendum efficacius movent, quam virtutes infusae. Hinc in usu virtutum homo magis agit, in usu autem donorum magis agitur, quin tamen se mere passive habeat, secundum illud Scripturae verbum: *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*[1]; et: *Spiritus tuus bonus deducit me in terram rectam*[2].

Benedictus XIV. docet[3] virtutem heroicam christianam, quae efficit, ut ea praeditus operetur expedite, prompte et delectabiliter supra communem modum, impossibilem esse sine donis Sp. s.

II. Dona Sp. s. sunt *septem* numero. Ea omnibus hominibus *simul cum gratia sanctificante* infunduntur. Nam 1. in s. Scriptura eadem Messiae attribuuntur. Is. 11, 2. 3: *Requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini.* Sed est doctrina traditionis et ss. Patrum, ut ss. Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Gregorii M., illa dona Christo collata esse ut est caput ecclesiae et per Christum ad singulos iustos descendere.

2. Ecclesia in hymno « Veni Creator Spiritus » Spiritum sanctum alloquitur: « Tu septiformis munere » et orat: « Da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum septenarium ».

3. Est sententia communis theologorum omnes homines gratia sanctificante praeditos septem dona Sp. s. habere.

III. Minus certum est dona Sp. s. esse *habitus*.

1. Aliqui theologi, licet paucissimi, praesertim Vasquez, docent dona non esse habitus, sed motus Sp. s. actuales. Ratio,

---

[1] Rom. 8, 14.
[2] Ps. 142, 10.
[3] De Servorum Dei beatif. l. 3, c. 22, n. 1.

quam Vasquez affert, haec est: Motiones Sp. s., quae fiunt per dona, non sunt necessariae ad actus ordinarios, sed ad extraordinarios tantum, ad quos virtutes non sufficiunt. Ergo non sunt ponendi habitus, qui plerumque otiosi manent, sed sufficit motio actualis. Nihilominus Isaias recte dicit: *requiescet* super eum Spiritus, quia Spiritus sanctus iustis semper adest ad eos movendos, quando opus est, sicut et recte dicimus: Spiritus veritatis requiescit super Ecclesiam eam infallibilem reddendo in proponenda doctrina revelata, quamquam ob hoc non admittitur ullus habitus infusus, sed sola Spiritus sancti assistentia externa.

2. Omnes fere theologi docent dona Sp. s. esse habitus. Quae sententia sic suadetur: *a)* In hoc ordine providentiae intelligitur donum habituale, quoties Spiritus sanctus dicitur ad aliquem venire et apud eum manere; ergo et illud prophetae: *requiescet super eum Spiritus* aptius intelligitur de donis habitualibus. — *b)* « Est regula generalis providentiae divinae, ad omnes actus supernaturales pertinentes ad iustorum sanctificationem infundi proportionales habitus [1] ». Sed homines saepius debent ponere actus ex inspiratione divina; ergo supponendum est non deesse correspondentes habitus. — *c)* In ordine naturali ad perfecte agendum praeter potentias, quae dant posse agere, habitus requiruntur, qui dant facile posse agere. Ergo et in ordine supernaturali habitus admittendi sunt, qui tribuunt facilitatem supernaturaliter agendi. Sed virtutes infusae non tribuunt hanc facilitatem, sed tantum potentiam et quandam inclinationem. Ergo admittendi sunt alii habitus, qui facilitatem tribuunt; qui habitus sunt dona Sp. s.

IV. Controversum est, utrum dona Sp. s. et virtutes infusae *distinguantur* realiter, an tantum virtualiter. Solum virtualiter distinguuntur, si sunt iidem habitus, qui sub diversis respectibus virtutes et dona vocantur, virtutes quidem, quatenus hominem disponunt ad sequendam rationem fide illustratam, dona, quatenus hominem disponunt ad sequendos altiores motus seu instinctus Spiritus sancti. Haec virtualis distinctio non paucis theologis sufficere videtur, cum entia sine ratione sufficienti non sint multiplicanda. Multi alii econtra sibi videntur habere sufficientem rationem statuendi distinctionem realem.

---

[1] Suarez, de grat. l. 6, c. 10, n. 5.

S. Bonaventura dicit[1]: « Plus differt habitus virtutis ab habitibus donorum, quam habitus virtutum ab invicem ».

V. De *augmento* et *amissione* donorum Sp. s. idem tenendum est ac de augmento et amissione infusarum virtutum moralium. Secundum opinionem communiorem dona etiam manent in beatis.

ARTICULUS II.

DE DONIS SPIRITUS SANCTI IN PARTICULARI.

I. Ut ex ipsis nominibus apparet, *quatuor* dona pertinent ad partem *intellectivam*, nimirum intellectus, scientia, sapientia, consilium, *tria* ad partem *appetitivam*, nempe fortitudo, timor, pietas.

II. De natura singulorum donorum non habetur consensus Patrum et theologorum. Ex communiore tamen doctrina eorum haec dici possunt:

1. Donum *intellectus* hominem disponit, ut veritates divinitus revelatas, tam theoreticas quam practicas, sub speciali illuminatione Spiritus sancti ex fontibus revelationis recte et clare percipiat, proinde etiam ipsos revelationis fontes, praesertim s. Scripturam, recte intelligat.

2. Donum *scientiae* hominem disponit, ut sub speciali illuminatione Spiritus sancti res naturales intelligat in ordine ad res supernaturales. Eodem e. g. ex rationibus naturalibus intelligitur veritates revelatas tam theoreticas quam practicas esse credibiles et sanae rationi consentaneas etc., res creatas non esse perfectum bonum nec finem nostrum ultimum, sed media ad hunc finem etc. Eodem dono etiam discernuntur credenda a non credendis.

3. Donum *sapientiae* hominem disponit, ut sub speciali illuminatione Spiritus sancti intelligat supernaturalia in iis ipsis spectata, ut contempletur eorum sublimitatem et concinnitatem, ut consideret, quantopere per mysteria revelata divinae perfectiones commendentur, ut in iis delectetur seu ea gustet.

4. Donum *consilii* hominem disponit, ut sub speciali instinctu Spiritus sancti eligat media apta ad progrediendum in via

[1] tom. 3, pag. 569, fund. 3.

perfectionis et bonum a malo etc. discernat in casibus difficilioribus aut inopinatis.

5. Donum *fortitudinis* hominem disponit, ut sub speciali motu Spiritus sancti superet difficultates, praesertim extraordinarias, quae exercitio virtutum obstant.

6. Donum *timoris* sc. reverentialis hominem disponit, ut sub speciali motu Spiritus sancti reverentiam exhibeat Deo ut supremae Maiestati.

7. Donum *pietatis* hominem disponit, ut sub speciali motu Spiritus sancti foveat affectum filialem erga Deum ut patrem suum.

PARS TERTIA.

DE MERITO.

CAPUT I.

De Natura et Existentia Meriti.

ARTICULUS I.

DE MERITI NATURA.

Meritum accipi potest in concreto et in abstracto. In concreto acceptum consistit in opere, quod dignum est retributione i. e. aut praemio aut poena. In abstracto acceptum consistit in proprietate operis, vi cuius hoc retributione dignum est. Prout retributio est praemium aut poena seu supplicium, meritum est aut meritum praemii aut meritum supplicii. Meritum praemii simpliciter dici solet meritum; meritum supplicii solet vocari demeritum. Meritum, de quo hic agitur, est meritum simpliciter dictum, et quidem illud, quod a *Deo* praemio donatur eoque non naturali, sed *supernaturali*. Ita acceptum:

I. Meritum in concreto consideratum *est* actus salutaris, qui apud Deum supernaturali praemio dignus est, seu qui de se movet Deum ad donum supernaturale retribuendum. Meritum in abstracto consideratum est ipsius actus salutaris dignitas seu valor, vi cuius Deus ad praemium supernaturale concedendum movetur. Itaque actus meritorius:

1. *Ex parte principii* est actus *supernaturalis* i. e. ex gratia factus. Gratia autem, quae a lapsu protoparentum hominibus datur, est fructus meritorum Christi, Salvatoris nostri. Ergo omne meritum cuiuscunque hominis est fructus meritorum Christi et ex iis omnem vim merendi habet. Unde meritum Christi recte vocatur meritum essentiale, meritum nostrum dicitur participatum.

Meritum Christi vocatur quoque meritum excellentiae, meritum nostrum meritum commune.

2. *Ex parte termini* est actus *praemio dignus*. Quae dignitas potest esse diversa, sc. aut ea, qua actui praemium competat ex iustitia, aut ea, qua actui praemium competat ex aequitate vel decentia. Pro hac diversa dignitate:

II. Meritum *distinguitur* duplex: meritum de condigno et meritum de congruo.

Meritum de condigno etiam vocatur meritum condignum vel perfectum vel strictum seu stricte dictum. Meritum de congruo vocatur quoque meritum congruum vel imperfectum vel latum seu late dictum.

1. Meritum *de condigno* est illud, cui praemium competit *ex iustitia*. Quod quidem praemium, eo quod ex iustitia competit, exactius vocatur merces. De hoc merito duo disserenda sunt: sc. quae requirantur, ut praemium a Deo ex iustitia dari possit et debeat, et qualis haec Dei iustitia sit.

a) Ut praemium a Deo ex iustitia dari possit et debeat, *duo requiruntur:* unum ex parte meriti, cui praemium datur, alterum ex parte Dei, a quo praemium datur.

α) Ex parte ~~meriti~~ requiritur *aequalitas* (Gleichwertigkeit) cum praemio. Quae quidem aequalitas non est intelligenda mathematica, sed moralis. Non est ea, quae habetur inter rem venditam et pretium pro re vendita dandum, sed est ea, quae habetur inter semen et fructum ex semine proventurum. Vocari potest aequalitas *virtutis*. Hanc aequalitatem meritum habet ex gratia sanctificante.

Quia inter meritum et praemium non est ea aequalitas, quae est inter rem venditam et pretium pro hac re dandum, s. Paulus ad Romanos[1] scribere potuit: *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* Praeterea haec verba sunt vera, quia non est proportio inter gloriam et passiones ceteraque opera bona materialiter spectata.

β) Ex parte Dei requiritur *positiva ordinatio*, qua statuitur, ut merito praemium ex iustitia competat. Si enim independenter a positiva Dei ordinatione merito creaturae praemium divinitus dandum ex iustitia competeret, Creator esset obligatus suae creaturae, et consequenter is, qui ex se est ipsum esse, dependeret ab eo, quod ex se est nihil.

Positiva haec divina ordinatio non mansit in Deo abscondita, sed nobis est *manifestata*. Et ea quidem manifestata est

---

[1] Rom. 8, 18.

per praemii promissionem nobis factam. Unde solummodo iis meritis praemio aequalibus hoc praemium reapse competit, quibus idem promissum est.

Cum hoc sit in confesso apud omnes, controversum est, utrum ad meritum constituendum per se loquendo seu *absolute* necessaria sit externa Dei promissio, an sufficere possit interna Dei ordinatio.

Plerique *Thomistae* censent internam Dei ordinationem absolute sufficere posse et quidem eam, quae sit inclusa in divina voluntate gratiam sanctificantem dandi ut principium meriti.

Ratio eorum haec est: Deus debitor creaturae nullo modo potest fieri; ergo nec per externam promissionem. Per eam igitur debitor solummodo fit sibi ipsi. Sibi autem debitor fit non minus per internam ordinationem, quam per externam promissionem.

Suarez econtra et plurimi *recentiores* distinguunt inter meritum in actu primo seu aptitudinale (illud sc., quod aptum est, cui merces ex iustitia debeatur), et meritum in actu secundo seu actuale (illud sc., cui merces ex iustitia actualiter debetur), et docent ordinationem Dei internam sufficere quidem, ut habeatur meritum in actu primo, promissionem vero externam requiri, ut habeatur meritum in actu secundo.

Ratio, quae pro hac sententia affertur, est, quia per meritum de condigno homo ipse acquirit ius ad praemium. Sed homo ius acquirere non potest ex mera Dei ordinatione, praesertim sibi ignota, sed solum ex promissione a Deo sibi facta.

b) Iustitia, ex qua merito merces debetur,

α) secundum sententiam multo *probabiliorem* non est commutativa, sed distributiva, servat tamen modum iustitiae commutativae.

Non est iustitia *commutativa.* Nam iustitia commutativa fundatur in stricta obligatione alteri aliquid tribuendi. Sed stricta obligatio in creatore respectu creaturarum esse non potest. *Est* iustitia *distributiva.* Nam illa iustitia, qua superior subditis bona secundum merita distribuit, est iustitia distributiva. Sed ea eaque sola est, quae supremo omnium domino convenit.

Servat tamen modum iustitiae *commutativae.* Nam Deus servat tam exactam proportionem inter uniuscuiusque merita et praemia, quam exacta proportio alias servatur in sola iustitia commutativa.

Huic sententiae etiam s. Thomas favere videtur, qui scribit[1] iustitiam commutativam Deo non competere, distributivam autem ei convenire, et ite-

[1] 1. q. 21, a. 1, c.

rum[1]: « Forma divini iudicii attenditur secundum rationem commutativae iustitiae, prout scilicet recompensantur praemia meritis et supplicia peccatis ».

β) *Suarez* tamen, Bellarmino aliisque multis videtur esse *commutativa* seu rigorosa.

2. Meritum *de congruo* est illud, cui praemium non competit ex iustitia, competit tamen *ex aequitate* vel *decentia*. Hoc meritum aut est de congruo infallibili aut de congruo fallibili.

Meritum de congruo *infallibili promissionem* divinam adiunctam habet; meritum de congruo fallibili eam adiunctam non habet. Merito de congruo fallibili praemium competit ex sola decentia; merito de congruo infallibili praemium non solum ex decentia competit, sed etiam ex divina fidelitate.

Meritum de congruo *fallibili* paulum differt ab *impetratione*, unde cum ea et a s. Augustino et a Concilio Tridentino confunditur. Differentia autem, quae est inter solam impetrationem et meritum de congruo fallibili, consistit in hoc: Si Deus homini ad meram impetrationem bonum supernaturale concedit, ad hoc concedendum non movetur dignitate ipsius impetrationis, sed misericordia sua et meritis Christi, seu bonum illud non concedit propter dignitatem impetrationis, sed propter suam misericordiam et Christi merita. Sin Deus homini bonum supernaturale concedit ad meritum de congruo, ad illud bonum concedendum non solum movetur misericordia sua et meritis Christi, sed etiam *dignitate actus* ab homine eliciti, seu bonum illud concedit non solum propter misericordiam suam et Christi merita, sed etiam propter dignitatem actus. Dignitas autem actus consistit in eo, quod est supernaturalis, i. e. excitante et adiuvante gratia actuali elicitus. Gratia vero actualis aeque ac gratia habitualis hominibus datur propter merita Christi. Quapropter dignitas actus meritorii de congruo non minus est fructus meritorum Christi, quam dignitas praestantior meriti de condigno.

[1] 2. 2, q. 61, a. 4, ad 1.

ARTICULUS II.

DE MERITI EXISTENTIA.

THESIS. **Iustus in hac vita bonis operibus apud Deum vere meretur, et quidem vitam aeternam seu gloriam, augmentum gratiae sanctificantis, augmentum gloriae.**

De fide ex Trid. sess. 6. can. 32: Si quis dixerit hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita, aut ipsum iustificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum, a. s.

Dicitur: vere, non dicitur: de condigno; nam illud, non hoc de fide est.

Opponitur novatoribus saec. 16. docentibus iustificatum ne bona quidem facere posse.

Probatur: I. Quoad gloriam ex Scriptura, in qua vita aeterna vocatur:

1. *Merces.* Matth. 5, 12: *Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis.* — Idem docetur in parabola de operariis in vinea laborantibus, Matth. 20, 1-16, qui mercedem accipiebant prout dominus promiserat. — Mercedi autem respondet meritum.

2. *Corona iustitiae.* 2. Tim. 4, 8: *In reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex; non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum eius.* — *a)* Corona vocatur corona iustitiae i. e. ex iustitia debita. *b)* Dominus, qui coronam reddet, vocatur iustus iudex; ergo eam non reddet ex misericordia, sed ex iustitia. *c)* Corona illa non solum reddetur s. Paulo, sed etiam aliis iustis; quod et liquet ob paritatem rationis et expresse additur. Nam ii, qui vere diligunt adventum Christi, merito haberi possunt iusti. His igitur dabitur corona iustitiae i. e. ex iustitia debita, quam reddet iis Dominus qua iudex iustus.

3. *Bravium.* 1. Cor. 9, 24: *Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bra-*

vium? Sic currite, ut comprehendatis. — Philipp. 3, 14: *Ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu.*

4. *Retributio* (haereditatis) *et remuneratio.* Coloss. 3, 24: *Scientes, quod a Domino accipietis retributionem haereditatis.* — Hebr. 11, 6: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est et inquirentibus se remunerator sit.* — Hebr. 10, 35.

II. Quoad augmentum gloriae ex eo quod gloria beatorum erit 1. *inaequalis* (cf. pag. 106. III.); 2. *operibus proportionata,* Matth. 16, 27: *Et tunc reddet unicuique secundum opera eius.* Luc. 19, 16-26; 1. Cor. 3, 8; 2. Cor. 9, 6.

III. Quoad augmentum gratiae sanctificantis ex eo, quod iustus potest mereri augmentum gloriae. Tanta enim erit in coelo gloria, quanta fuit in exitu vitae sanctificans gratia. Nam haec illius semen est.

IV. Generatim: 1. Ex Araus. II. c. 18: Debetur merces operibus bonis, si fiant.

2. Ratione congruentiae. Convenit homines spe praemii ad bonum faciendum allici.

CAPUT II.

De Conditionibus Meriti.

Conditiones, quae ab homine ad meritum requiruntur, partim spectant ad merentis statum, partim ad meritorium actum. Hinc:

ARTICULUS I.

DE CONDITIONIBUS MERITI REQUISITIS EX PARTE STATUS.

I. Ad *omne* meritum requiritur *status viae.* Nam: 1. Dicitur ab Ecclesiastico 14, 17: *Ante obitum tuum operare iustitiam;* et ab ipso Christo (Io. 9, 4): *Venit nox, quando nemo potest operari.*

2. Sic a Deo congrue ordinatum est, quia *a)* decet animam humanam acquirere perfectionem suam, etiam supernaturalem, dum corpori coniuncta est; — *b)* decet hominem finem suum

obtinere per modum decertantis; — *c)* decet hominem tum mereri, cum et potest demereri.

Proinde:

1. Animae olim in *limbo* patrum detentae non merebantur.

2. *Henoch et Elias* translati secundum opinionem fere communem non iam merentur, cum nec possint demereri. Tempore vero ultimo ad priorem statum reversuri iterum merebuntur.

3. Singularis est opinio a Ripalda probabilis habita, iuxta quam animae tam *beatae* quam *patientes* et sibi et aliis possunt mereri praemia aliqua *accidentalia*.

II. Ad meritum *de condigno* requiritur *status gratiae sanctificantis*. Hoc:

1. Praedicatur in s. *Scriptura* et quidem *a)* ab ipso Christo, qui Io. 15, 4 dicit: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis*. Atqui manemus in Christo per gratiam sanctificantem; *b)* a s. Paulo, qui Rom. 8, 17 scribit: *Si autem filii, et haeredes*. Ergo, si non filii, nec haeredes. Sed filii sumus per gratiam sanctificantem.

2. Patet ex *ratione theologica*. Per meritum de condigno homo vita aeterna dignus est. Per peccatum mortale vita eadem indignus est. Sed homo una eademque re simul dignus et indignus esse non potest. Ergo, ut meritum de condigno esse possit, peccatum mortale removeatur oportet. Peccatum vero mortale non removetur nisi per gratiam sanctificantem.

ARTICULUS II.

DE CONDITIONIBUS MERITI REQUISITIS EX PARTE ACTUS.

Nota. Dicitur: ex parte actus Nam mera omissio meritoria non est, quia per eam homo ad finem supernaturalem non tendit.

Ad omne meritum requiritur

I. *Libertas* et ea quidem non solum a coactione, sed etiam a necessitate.

Hoc est de fide ex damnatione contrariae propositionis Iansenii, quae est eius tertia et sic sonat: Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. Quae propositio declarata est haeretica.

Praeterea rationi consentaneum est, tam ex parte merentis, quam ex parte meriti; *ex parte merentis:* nam eatenus aliquis praemio operis sui percipiendo dignus est, quatenus huius operis est auctor; sed homo ut homo in tantum est auctor sui operis, in quantum hoc libere facit; *ex parte meriti:* nam meritum est bonum praestantissimum; ergo postulat causam perfecte agentem.

Ripalda opinatus est ad merendam gratiam actualem et gloriam accidentalem sufficere libertatem *imperfectam,* eandem sc., quae sufficit ad venialiter peccandum. Sed haec opinio singularis est.

Ceteris paribus opus *praeceptum* magis meritorium est, quam opus supererogatorium, quia illi accedit bonum obedientiae. Sed non raro evenit, ut opus non praeceptum maiore cum fervore fiat, quam opus praeceptum, unde ratione huius fervoris magis meritorium esse potest.

II. *Honestas* actus in individuo spectati, i. e. honestas eiusdem et quoad obiectum et quoad finem et quoad circumstantias. Itaque:

1. Si in aliquo eorum inhonestas *gravis* reperitur, meritum esse nequit.

Sin actui aliqua inhonestas *levis* intercurrit, sic distinguendum est: Haec inhonestas aut ipsam bonitatem actus *inficit,* aut eandem solummodo in actu distincto *comitatur.* Si bonitatem actus inficit, meritum non habetur, ut omnes fere docent contra Ripalda. Ratio est, quia actus simpliciter non est bonus. Sin bonitatem actus solummodo comitatur, meritum habetur. Ratio est, quia nihil obstat, quominus homo simul eliciat duos actus, quorum uno mereatur, altero venialiter demereatur.

2. Actus in individuo indifferentes, si forte sint, meritorii esse non possunt.

III. *Supernaturalitas.* Actus, ut meritorius sit, supernaturalis esse debet non solum ratione *gratiae,* ex qua fit (cf. De necessitate gratiae ad actus salutares, pag. 13. et 17.), sed etiam ratione *motivi,* propter quod fit. Hoc enim debet esse motivum fidei, i. e. motivum, quod fide obiectiva proponitur et fide subiectiva apprehenditur. Neque vero necessarium esse videtur actum, ut meritorius sit, elici vel imperari a caritate. Nam Tridentinum sess. 6. can. 26. docet iustos pro bonis operibus, quae *in Deo* fuerint facta, aeternam retributionem exspectare

et sperare debere; et can. 32. dicit hominem iustificatum bonis operibus *per Dei gratiam factis* vere mereri. Sed opera in Deo et per Dei gratiam fieri possunt, etiamsi non eliciuntur vel imperantur a caritate.

Hac aliisque rationibus ducti *recentiores* communius tenent hominem, simpliciter seu quodcunque supernaturale praemium mereri posse, etiamsi agat ex motivo *spei aliove* motivo supernaturali, quod imperfectius sit, quam motivum caritatis.

Antiqui vero communius docebant et recentiores Thomistae adhuc docent hominem praemium essentiale mereri posse per solos actus *caritatis* sive elicitos sive actualiter vel virtualiter imperatos, praemium vero accidentale mereri posse per alios supernaturales actus.

Imo secundum *aliquos Thomistas* actus caritatis, ut praemium essentiale mereatur, *intensior* esse debet, quam habitus caritatis, qui iam adest.

Et hoc quidem ex systemate Thomistico, iuxta quod actus meritorii gratiam sanctificantem physice augent, haud vitiose conclusum est. Nam in ordine physico forma, quae additur, formam, cui additur, tum solum intensiorem reddit, si illa intensior est, quam haec. Aqua calida e. g. per aquam ipsi affusam non fit calidior, nisi aqua, quae affunditur, calidior est, quam aqua, cui affunditur.

Scholion.

Solus actus *voluntatis per se* seu ratione sui meritorius est, quia ille solus per se liber atque moralis est. Omnes alii actus tam interni, quam externi eatenus tantum liberi atque morales et consequenter meritorii sunt, quatenus ab actu voluntatis pendent. Ideo actus externi formaliter sumpti meritum per se non augent, per accidens vero saepissime augent, in quantum sc. conducere solent ad intensionem et diuturnitatem actus interni.

CAPUT III.

De Obiecto Meriti.

ARTICULUS I.

DE OBIECTO MERITI DE CONDIGNO.

I. Homo iustus de condigno meretur gloriam, augmentum gratiae sanctificantis, augmentum gloriae. Iustum haec *vere* mereri, de fide est ex Trid. sess. 6. can. 32. supra citato; eundem haec praecise *de condigno* mereri theologice certum est, si praescinditur a quaestione, utrum primum gloriae gradum ita mereatur necne. Praeter haec homo nihil aliud de condigno mereri potest.

II. Quaestio disputata est, utrum *primus gradus gloriae*, qui etiam gloria prima vocatur, obiectum meriti de condigno esse possit.

Dicitur: esse possit, quia a nullo contenditur gloriam primam obiectum huius meriti semper esse. Nam multi gloriam primam non obtinent titulo meriti, sed solo titulo haereditatis, sc. 1. infantes baptizati et ante usum rationis acceptum morientes; 2. fideles in infantia baptizati et gratiam baptismalem semper conservantes; 3. fideles gratiam sanctificantem per sacramentum recipientes, saltem, si eo momento, quo gratiam recipiunt, nullum supernaturalem actum eliciunt.

1. *Vega, de Lugo, Ripalda* censent primum gloriae gradum *numquam* esse obiectum meriti de condigno, cum debeatur gratiae sanctificanti ut haereditas.

2. Multo tamen *plures* sentiunt gloriam primam obiectum meriti de condigno *esse posse* idque revera tum esse, cum homo sine actuali sacramenti susceptione per caritatem vel contritionem perfectam iustificetur, vel etiam simul cum susceptione sacramenti actum supernaturalem eliciat.

a) Ratio, quae ab iis afferri solet, est, quia *s. Scriptura, ss. Patres, Concilia* docent propter merita dari *gloriam ipsam*, non tantum gloriae augmentum, et quia *Tridentinum* gloriam et gloriae augmentum diserte *distinguit* et docet tam illam quam hoc meriti obiectum esse.

b) Modus, quo gloria prima obiectum meriti condigni fiat, diversus assignatur:

α) *Bellarminus* censet actum perfectae caritatis vel contritionis gloriam primam de condigno non mereri momento primo, quo producatur, sed *momento* secundo, *quo continuetur*, et hanc quidem continuationem generatim occurrere.

β) *Omnes alii*, in his Thomistae et Suarez, tenent illum actum gloriam primam de condigno mereri eodem *momento, quo producatur*. Quod sic explicare solent: Homo per actum perfectae caritatis vel contritionis de congruo infallibili meretur gratiam sanctificantem primam. Gratia autem sanctificans, quae eodem momento infunditur, quo actus meritorius elicitus est, non solum dignificat personam merentem, sed per eam etiam eius actum. Hunc actum in eius termino attingit, elevat, informat et sic efficit, ut idem actus, qui respectu gratiae sanctificantis primae de congruo tantum meritorius fuit, respectu gloriae primae iam sit meritorius de condigno.

Idem fortasse fit, si homo eodem momento, quo per sacramentum iustificatur, actum salutarem elicit, praesertim eum, quo ad iustificationem proxime se disponit.

III. *Quantitas* praemii, quod merito de condigno competit, ex iis omnibus pendet, ex quibus pendet moralis bonitas actus, qui meritorius est. Haec vero pendet:

1. ex maiore *praestantia obiecti* et eius quidem non solum absolute, sed etiam relative spectati; Marc. 12, 43: *Cum venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans. Et* (Iesus) *convocans discipulos suos ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua haec pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt: haec vero de penuria sua omnia, quae habuit, misit: totum victum suum;*

2. ex maiore *excellentia finis operantis*. Opus, quod fit ex amore benevolentiae, magis meritorium est, quam idem opus, quod fit ex amore concupiscentiae; et illud, quod fit ex amore concupiscentiae, magis meritorium est, quam idem, quod fi ex salutari timore;

3. ex maiore *intensitate ac fervore et continuatione actus;*

4. ex maiore *difficultate*, quae in agendo habetur, si haec difficultas oritur aut ex ipso opere aut ex naturali debilitate animi vel corporis, non vero, si oritur ex ignavia voluntatis.

Suarez opinatur quantitatem mercedis praeterea pendere ab *intensiore gradu gratiae sanctificantis*, quam operans possideat, seu actum meritorium eo maiore praemio dignum esse, quo intensior sit gratia sanctificans merentis. Pro qua opinione has affert rationes: 1. Etiam in humanis opus aestimatione eo dignius est, quo dignior est operans. 2. Dignitas, quam gratia sanctificans personae operanti tribuit, ad meritum de condigno necessaria est. Ergo etiam maior operantis dignitas ad maiorem condignitatem meriti confert.

Plerique hanc opinionem reiiciunt et contra dicunt opus hominis magis sancti forsitan magis dignum esse praemio, sed *non* esse dignum praemio *maiore*. Nam, aiunt, nec rationes, quas Suarez affert, quidquam aliud probant, nec maior indignitas peccatoris auget demeritum in ordine ad maiorem poenam.

ARTICULUS II.

DE OBIECTO MERITI DE CONGRUO.

§ I. *De Obiecto meriti de congruo infallibili.*

Peccator *gratiam sanctificantem primam* de congruo infallibili sibi mereri potest et quidem:

1. per actum caritatis vel contritionis perfectae, quod communiter admittitur, quia Deus promisit se eos dilecturum atque iustificaturum esse, a quibus diligatur. Io. 15, 21. 23: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo... et ego diligam eum... et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus;*

2. ut aliqui explicite docent, etiam per eum actum, qui ad iustificationem per sacramentum obtinendam proxime disponit, cum et hoc divinitus sit promissum. Iuxta hos igitur generatim dici potest: Peccator per proximam dispositionem ad gratiam sanctificantem hanc de congruo infallibili meretur, non autem per dispositionem remotam.

Hoc tradunt Heinrich-Huppert [1] et Noldin [2].

§ II. *De obiecto meriti de congruo fallibili.*

Homo de congruo fallibili mereri potest et sibi ipsi et aliis:

---

[1] n. 1796.

[2] De principiis theologiae moralis, n. 83, c.

I. *Sibi* ipsi *quilibet* homo de congruo fallibili generatim mereri potest omnes gratias *actuales excepta prima* seu gratias actuales, quae secundae dicuntur. Itaque speciatim:

1. *Peccator* sibi de congruo fallibili mereri potest gratias ad iustificationem conducentes excepta prima. Ratio est, quia Deus ex misericordia primam gratiam actualem confert, ut homo ad salutem perveniat. Qua si homo bene utitur, decet sapientiam et bonitatem Dei, ulteriores gratias necessarias non denegare. Si enim has denegaret, Deus ipse sine culpa hominis cursum interrumperet.

2. *Iustus* sibi de congruo fallibili mereri potest: *a)* gratias actuales, quibus in statu gratiae sanctificantis perseveraturus sit seu donum perseverantiae idque ex eadem ratione, ex qua peccator prima gratia actuali praeventus sibi mereri potest gratias actuales ulteriores; *b)* bona temporalia, in quantum conducunt ad vitam aeternam. Nam sub hoc respectu gratiis quodammodo aequiparari possunt. Ludovicus tamen Caspensis docet [1] etiam peccatores bona temporalia sibi de congruo fallibili posse mereri idque vult probare ex Exod. 1, 20.

Iuxta mentem s. Bonaventurae [2], Suarez, Bellarmini aliorumque, quibus alii contradicunt, non est improbabile fieri posse, ut Deus clementer respiciat merita praecedentia, praesertim insignia hominis ex fragilitate lapsi et etiam illorum intuitu huic homini gratiam conversionis largiatur.

II. *Aliis* homo *iustus* eadem de congruo fallibili potest mereri, *quae sibi* eodem modo mereri potest et insuper gratiam actualem *primam*. Nam benignitatem Dei decet ob preces aliaque opera bona amicorum suorum iis benefacere, pro quibus illae preces funduntur vel illa opera bona ipsi offeruntur. — Legitur Matth. 9, 2: *Videns Iesus fidem illorum*, (qui ei offerebant paralyticum) *dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* — Iac. 5, 16: *Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua.* — 1. Io. 5, 16: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem.*

Peccatores aliis gratias de congruo fallibili mereri posse theologi non solent affirmare, imo aliqui, in his s. Bonaventura, expresse negant.

---

[1] Tom. 1, disp. 6, n. 81.

[2] Tom. 2, pag. 691, dub. 2.

Scribit enim Doctor Seraphicus[1]: « Non potest aliquis mereri alii, quin ipse placeat apud Deum ».

Nota. Meritum de congruo, quod operi bono inest, non minuit eiusdem operis meritum de condigno.

Scholion.

Distinguuntur sequentia diversi generis opera:

1. *viva:* ea, quae in statu gratiae sanctificantis facta sunt atque hominem aeterna mercede dignum reddunt;

2. *mortificata:* ea, quae viva fuerunt, sed superveniente peccato mortali hominem aeterna mercede dignum reddere iam non possunt;

3. *rediviva:* ea, quae viva et dein mortificata fuerunt, postea vero hominem denuo iustificatum iterum aeterna mercede dignum reddunt et quidem probabilius eadem mercede, qua ante lapsum dignus erat;

4. *mortifera:* peccata mortalia;

5. *mortua:* opera in statu peccati mortalis facta, quae nec aeterna mercede nec damnatione digna sunt.

---

[1] Tom. 4, pag. 561, n. 6.

TRACTATUS

DE SACRAMENTIS.

PRAENOTANDA DE NOMINE ET NOTIONE SACRAMENTI.

I. *Nomen* sacramenti:

1. *Ex etymo* significat rem sacram vel sacrantem. Sacra dicitur ea res, quae Deo deputata est. Sacrare idem est ac Deo deputare.

2. *Apud scriptores profanos* significabat: *a)* pignus a litigantibus depositum, praesertim apud pontificem, usque dum causa decisa erat; *b)* iuramentum, praecipue militare.

3. *Apud scriptores ecclesiasticos* latinos idem significat, quod apud graecos μυστήριον, itaque: *a)* rem sacram vel occultam; *b)* signum rei sacrae. — Hoc sensu hic accipitur, ita quidem, ut res sacra primario intelligatur sanctificatio hominis.

II. Sacramentum igitur est *signum* idque externum, quod principaliter significat sanctificationem hominis. Signum autem tale esse potest, ut solum aliquid significet, et tale, ut simul etiam aliquid efficiat.

Si solum significat, vocatur signum *speculativum;* si etiam aliquid efficit, vocatur signum practicum. Iam vero sacramentum est signum *practicum*. Nam efficit aliquid et quidem *sanctificationem*. Sanctificatio autem duplex distinguitur: altera *interior seu spiritualis*, altera *exterior seu legalis*. Sanctitas interior consistit in susceptione gratiae sanctificantis; sanctitas exterior consistit in consecratione quadam ad cultum divinum vel in remotione irregularitatis per legem positivam statutae.

Sanctitatem interiorem conferunt sacramenta novae legis; sanctitatem exteriorem conferebant sacramenta veteris legis.

Praeterea sacramenta sunt pars oeconomiae supernaturalis. Sed haec ab ipso Deo instituta est et quidem lege stabili. Ergo etiam sacramenta a Deo et quidem lege stabili instituta sunt.

Hinc sacramentum tam veteris quam novae legis definiri potest: *signum externum a Deo lege stabili institutum ad significandam et conferendam sanctificationem.*

CAPUT PRAEVIUM.

De Sacramentis Statum Legis Christianae Praecedentibus.

Statum legis Christianae seu legis gratiae tres status praecesserunt, scilicet:

1. Status *iustitiae originalis seu innocentiae.*

2. Status *legis naturae.* Qui sic vocatur non ad excludendam obligationem eliciendi actus supernaturales, cum et in ipso actus supernaturales fidei, spei, caritatis, poenitentiae etc. eliciendi fuerint, sed ad excludendam legem scriptam: mosaicam sc. et christianam. Hic status duravit quoad Iudaeos usque ad legem mosaicam, quoad ceteras nationes usque ad legem christianam promulgatam.

3. Status *legis Mosaicae.* Qui fuit pro solis Iudaeis et duravit a promulgatione legis mosaicae usque ad promulgationem legis christianae.

I. Quoad statum iustitiae originalis

duplex quaestio discernenda est: utrum in eodem sacramenta re vera fuerint et, si non, utrum futura fuissent, si status ille perdurasset.

1. *Utrum* in statu innocentiae sacramenta *re vera fuerint* necne, ex divina revelatione disci nequit. Theologis longe plurimis placet sententia, quae id negat. Ratio eorum est, quia *tempus*, quo status innocentiae duravit, *tam breve* fuisse videtur, ut usus sacramentorum vix esse potuerit, et, cum Deus hoc praesciverit, ratio sufficiens non fuit ea instituendi. — Pauci illi theologi, quibus sententia affirmativa probatur, fructum arboris vitae vel etiam coniugium protoparentum pro sacramentis habent.

2. *Utrum*, si status innocentiae *perdurasset*, in eodem sacramenta *fuissent*, multo minus ex revelatione disci potest. Certe in illo statu non fuerunt adeo convenientia, ut sunt in statu naturae lapsae. Nam quia in eodem pars naturae huma-

nae inferior parti superiori erat perfecte subiecta, homines non indigebant adminiculo sensibili, ut ad supersensibilia se extollerent. Nihilominus hominibus ad varia utilia esse poterant: ad exprimendam fidem interiorem, ad promovendam unionem eorum in eodem cultu exteriore, ad colendam humilitatem, ad augendam sanctitatem eamque interiorem, quam per media externa augere illum statum minime dedecebat. Unde improbabile non est in statu innocentiae, si perdurasset, sacramenta futura fuisse. Et hoc quidem re vera ii theologi docent, qui putant Filium Dei incarnaturum fuisse, etiamsi homo non peccasset. Iuxta hos enim saltem tempore adventum Christi subsequente sacramenta aliqua futura fuissent, imprimis eucharistia et ordo; eucharistia et ob maximam Christi caritatem et ob excellentiam illius status, ordo ad ordinandos tam venerabilis sacramenti ministros. Ii vero, qui negant Verbum incarnaturum fuisse, si homo non peccasset, etiam negare solent in statu innocentiae, si perdurasset, sacramenta fuisse futura.

II. In statu legis naturae:

1. *Secundum omnes* aliquod remedium erat, quo infantes citra propriam cooperationem gratiam sanctificantem ac remissionem peccati originalis obtinere poterant. Quod quidem remedium vocari solet remedium legis naturae vel brevius *remedium naturae.* Id exstitisse iure optimo colligitur ex voluntate Dei salvandi omnes homines.

a) Remedium hoc secundum omnes, si excipias b. Albertum M. et fortasse paucos alios, non erat sola fides interna parentum aliorumve in Messiam venturum habita et ad infantes quodammodo directa, sed erat *signum externum*, quod fidem illam internam aliquo modo exprimebat et infantes in coetum fidelium recipiebat, ideoque erat sacramentum. Cum enim sub lege Mosaica et sub lege Christiana peccatum originale puerorum per remedium externum deletum sit vel deleatur, id etiam sub lege naturae factum esse haud immerito censetur. Praeterea hoc ob varias rationes congruum erat: tam respectu eorum, a quibus remedium illud applicabatur, quam respectu infantium, quibus applicabatur, quam respectu peccati originalis, contra quod applicabatur. Hominibus enim nec moris est nec congruit facere applicationem mere internam. Infantes convenienter per idem accipiebant gratiam sanctificantem, per

quod adunabantur coetui fidelium; sed hoc per signum externum factum est et per id solum congrue fit. Peccatum originale contrahitur propagatione carnis. Congruum autem est proportionem esse inter modum, quo morbus contrahitur, et modum, quo morbus expellitur. Ergo peccatum originale apte deletur per remedium corporale seu sensibile.

b) Remedium hoc, ut plurimi censent, *non in specie,* sed tantum *in genere determinatum* fuit. Dummodo per id utcunque fides Redemptoris et receptio infantis in coetum fidelium exprimeretur, ceterum poterat esse vel oratio vel benedictio vel infantis oblatio vel sacrificium pro infante oblatum. Verumtamen a tempore Abrahae pro masculis ex ipso per Isaac et Iacob progenitis ab octavo post nativitatem die remedium legis naturae in specie determinatum et praeceptum erat idque erat *circumcisio.* Ita sentiunt s. Augustinus, s. Gregorius M., Innocentius III., Alexander Halensis, s. Thomas, s. Bonaventura, Scotus, Suarez plurimique alii contra alios, ut Melchiorem Canum, Bellarminum, Vasquez, Tournely. Ceteroquin remedium legis naturae in eo statu in genere tantum determinatum fuisse conveniens fuit ratione cultus tunc minus determinati et ratione defectus vinculi populos copulantis. Nam in statu legis naturae fideles non conveniebant in eodem ritu externo colendi Deum, ergo nec congruum erat eos convenire in eodem ritu sanctificandi parvulos. Praeterea nimis difficile erat notitiam remedii in specie determinati apud omnes populos conservari. Nam hi tunc temporis digrediebantur nec per legem scriptam vel aliud vinculum coadunabantur.

2. Utrum praeter remedium naturae *alia* fuerint *sacramenta incertum* est.

S. *Thomas* id *affirmare videtur,* cum dicat[1]: « Oblationes et decimae erant tam in lege naturae quam in lege Moysi ordinatae non solum in subsidium ministrorum et pauperum, sed etiam in figura: et ideo erant sacramenta ». Unde praesertim Thomistae eandem sententiam vel amplectuntur, ut Gonet[2] et Billuart, vel saltem eidem favent, ut Gotti[3].

---

[1] 3, q. 65, a. 1, ad 7.

[2] Manuale Thom. tom. 6, tract. 2, cap. 3.

[3] tom. 3, tract. 4, q. 1, dub. 4, § 3.

Plerique alii, in his Scotus, Suarez, Vasquez, de Lugo, id *negant.* Ratio eorum est, quia in statu legis naturae ea sola dari solebant, quae ad salutem erant necessaria, et quia pro sententia affirmativa nulla sufficiens auctoritas afferri potest.

III. In statu legis Mosaicae:

1. Certe *erant* aliqua *sacramenta.* Nam

a) Hoc supponunt *Concilia* Florentinum et Tridentinum.

Florentinum docet in decreto pro Armenis[1]: Novae legis septem sunt sacramenta... quae multum a sacramentis differunt antiquae legis. Tridentinum dicit in sess. 7, can. 2: Si quis dixerit ea ipsa novae legis sacramenta a sacramentis antiquae legis non differre, nisi quia caeremoniae sunt aliae, et alii ritus externi, a. s.

b) Idem testantur *ss. Patres* et unanimiter docent *theologi.*

2. Erant sacramenta *quadruplicis generis,* ut a scholasticis communiter tenetur.

a) ad primum genus pertinebant ea remedia, quae ad *peccatum originale in infantibus delendum* iam in statu legis naturae divinitus instituta erant quaeque in hoc statu permanebant et ad idem valebant. Haec iisdem simul conferebant sanctitatem legalem i. e. eos populo Dei aggregabant Deique cultores constituebant.

b) Ad secundum genus pertinebant ea remedia, quae *sanctitatem legalem confirmabant* vel promovebant. Consistebant in comestione eorum, quae ad cultum divinum pertinebant, praesertim agni paschalis et panum propositionis.

c) Ad tertium genus pertinebant ea, quae *immunditias legales,* quibus Iudaei a cultu Dei arcebantur, *auferebant.* Erant variae lustrationes et expiationes.

d) Ad quartum genus pertinebant ea, quibus *sacerdotes,* cultores Dei speciales, *initiabantur.*

IV. In statu legis naturae et legis Mosaicae:

Sacramenta non solum significabant et conferebant sanctificationem exteriorem, sed etiam significabant sanctificationem interiorem. Hanc vero non conferebant. Tamen ad eam indirecte conducebant, et quidem alio modo respectu adultorum, alio modo respectu parvulorum.

---

[1] Denzinger, 590.

1. *Adulti*, qui sacramenta illa pie suscipiebant, intuitu meritorum Christi gratias actuales solebant accipere, quarum auxilio supernaturales actus fidei, spei, perfectae caritatis vel contritionis elicerent, ita ut gratiam sanctificantem aut obtinerent aut in eadem gratia crescerent. Itaque dici potest sacramenta veteris legis adultis gratiam contulisse ex opere operantis.

2. *Infantes*, quibus illud remedium applicabatur, quod pro iis ad delendum peccatum originale valebat, propter fidem veteris ecclesiae, quam habebat in Redemptorem venturum, et propter eiusdem Redemptoris merita accipiebant gratiam sanctificantem et a peccato originali mundabantur. Haec autem in iis fiebant primario propter merita Christi, secundario tantum propter fidem ecclesiae veteris in Christum, quae per illud remedium ad infantem dirigebatur.

Conclusio. Proinde sacramentum veteris legis *definiri potest:* signum externum a Deo lege stabili institutum ad sanctificationem interiorem significandam et exteriorem conferendam; vel fusius: signum externum a Deo lege stabili institutum, sanctificationem exteriorem significans et conferens, interiorem significans quidem, sed non conferens, tamen ad eam aliquo modo conducens.

PARS PRIMA.

DE SACRAMENTIS NOVAE LEGIS IN GENERE.

CAPUT I.

De Natura et Exsistentia Sacramentorum.

ARTICULUS I.

DE SACRAMENTORUM NATURA.

1. Sacramentum novae legis *definiri potest:* signum externum a Christo lege stabili institutum ad significandam et conferendam sanctificationem interiorem. Sanctificatio interior formaliter fit per gratiam sanctificantem, dispositive per gratiam actualem. Hinc loco sanctificationis interioris poni potest gratia; itaque sacramentum novae legis etiam definiri potest: *signum externum a Christo lege stabili institutum ad significandam et conferendam gratiam.*

2. Signum sacramentale est *signum arbitrarium*, non naturale. Nam, quod est signum praecise gratiae et magis, quod est signum gratiae practicum, solum habet ex positiva Christi institutione. Attamen in sacramento inter illud, quod significat, et illud, quod significatur, similitudo quaedam est, unde signum sacramentale signum symbolicum est.

3. Signum sacramentale, cum directe significet gratiam, indirecte *significat eius causam* tam meritoriam quam finalem. Causa gratiae *meritoria* est Iesus Christus et ea quidem causa imprimis est per passionem suam mortiferam, unde et dici potest: causa meritoria gratiae est passio Christi. Causa vero *finalis* seu finis gratiae isque proximus est gloria coelestis. Hinc sacramentum est signum demonstrativum rei praesentis: gratiae; rememorativum rei praeteritae: passionis Christi; praenuntiativum seu prognosticum rei futurae: gloriae coelestis.

4. Signum sacramentale *ex duabus partibus* constat, quarum una in ratione significandi est determinabilis seu complebilis, altera determinans seu complens. Illa pars materia, haec forma dicitur. In decreto pro Armenis edito pars determinabilis res, pars determinans verbum vocatur. Res autem et verbum intelligi possunt aut formaliter aut aequivalenter seu virtualiter. In plerisque sacramentis formaliter intelligi debent, in aliquibus aut res aut verbum aequivalenter intelligatur oportet.

5. *Materia* duplex est: altera *remota*, altera *proxima*. Materia remota est ipsa res, quae adhibetur, seu circa quam actio sacramentalis exercetur. Materia proxima est ipsa huius rei applicatio.

6. Conveniens est rebus earumque applicationi *verba* adiungi, quia illae solae varia significare possunt, per verba autem superaddita ad aliquid speciale significandum determinantur. Applicatio e. g. aquae, quae in baptismo fit, ob aquae humiditatem potest significare animae ablutionem seu emundationem; ob aquae frigiditatem refrigerium animae significare potest. Per verba autem « ego te baptizo » ad significandam emundationem determinatur. Praeterea idem conveniens est Christo sanctificanti et homini sanctificando. Christus enim est Verbum Dei unitum carni: signum sacramentale est verbum hominis adiunctum rei. Homo est compositus ex corpore et anima: signum sacramentale, quatenus res est, tangit corpus, quatenus verbum est, dirigitur ad animam.

Nota. Sacramenta veteris legis non constabant ex verbis, sed solum ex actione quadam externa. Quodsi interdum verba adhibebantur, haec non pertinebant ad sacramentorum illorum essentiam. Minor haec perfectio, quae erat in significatione, congruebat minori perfectioni, quae iis erat in efficacia, et omissio verborum congruebat tempori, quo Verbum divinum inter homines nondum apparuerat.

ARTICULUS II.

DE SACRAMENTORUM EXSISTENTIA.

THESIS. **Sacramentorum exsistentia conveniens est.**

Probatur: Exsistentia sacramentorum congruit:

I. *Christo*, qui ea instituit et per ea operatur, et ei quidem spectato tam in se quam in ordine ad nos.

1. Sicut in Christo divinitas humanitati coniuncta est, ita in sacramentis gratia coniungitur signo externo.

2. Sicut Christus redemptionem operatus est actibus non solum internis, sed etiam externis, ita redemptionis fructus nobis convenienter applicat actibus non solum internis, sed etiam externis et iis quidem, qui ponuntur a sacramentorum ministris, qui Christi vices gerunt.

II. *Ecclesiae,* in qua administrantur, cui convenientia sunt tam respectu sui ipsius quam respectu hominum sive internorum sive externorum.

1. Ecclesia ad imaginem sponsi sui facta ex una quidem parte thesauros invisibiles continet hominibusque communicat, ex altera autem parte est societas visibilis; ergo oportet eam fructus illos communicare modo visibili, actibus sc. externis.

2. Sacramenta sunt vincula, quibus fidelium multitudo in unum corpus coalescit. (cf. Ephes. 4, 16).

3. Sacramenta sunt notae, quibus membra Ecclesiae ab iis, qui non sunt membra, distinguuntur.

III. *Homini* et quidem tam respectu eius naturae quam respectu eius facultatum, intellectus sc. et voluntatis. Nam:

1. Naturae humanae proprium est per sensibilia ad intelligibilia deduci.

2. Sacramenta, quatenus sunt signa symbolica, intellectum hominis inducunt ad intelligenda ea, quae significant, et quatenus sunt signa practica, eum certiorem faciunt de iis, quae conferunt.

3. Sacramentis voluntas superba humiliatur et fastidiosa incitatur. Nam:

a) Homo humiliatur aliis hominibus, imo elementis vilibus se subiiciendo, ut recuperet gratiam, quam amisit superbiendo.

b) Notitia medii, per quod, et momenti, quo gratia datur, hominem incitat, et ut ante sacramentum susceptum ad gratiam acquirendam melius se praeparet, et ut post sacramentum susceptum gratiam acquisitam diligentius conservet.

IV. *Naturae irrationali,* quae in sacramentis concurrit. Nam in his illa natura

1. sublimatur per hoc, quod instrumentum Spiritus S. fit ad producendos effectus supernaturales;

2. assequitur finem suum, qui est naturae rationali inservire ad finem suum supernaturalem assequendum;

3. anticipat redemptionem illam, quam modo aspirat et qua liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei. (cf. Rom. 8, 19. sqq.).

V. *Peccato*, quod per sacramenta deletur. Nam:

1. Anima et corpus hominis peccatum participant, unde convenit, non solum eius animam, sed etiam corpus sanctificari.

2. Peccatum plerumque occasionem sumit a sensibilibus. Largissimam autem Dei bonitatem decet ex illo, quod est occasio ruinae, facere instrumentum salutis et eo, in cuius servitium homo peccando se tradit, uti, ut ex hoc servitio eripiatur.

CAPUT II.

De Numero Sacramentorum.

THESIS. **Septem sunt sacramenta novae legis.** *De fide* ex Trid. sess. 7. de sacramentis in genere, can. 1.: Si quis dixerit sacramenta novae legis non fuisse omnia a Iesu Christo, Domino nostro, instituta, aut esse plura vel pauciora, quam septem, videlicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum, a. s.

Opponitur novatoribus saec. 16.

Probatur: I. Ex Traditione et praescriptione.

1. *Novatoribus concedentibus a saec. 12.* Romano-Catholici septem sacramenta diserte et unanimiter et continuo confessi sunt. Illo enim saeculo s. Otho, episcopus Bambergensis et Apostolus Pomeranorum, in catechesi, quam discessurus fidelibus reliquit (circa annum 1139), Gregorius, episcopus Bergamensis (1133-1146), in opusculo « de veritate corporis Christi », Rolandus, postea Alexander III., in « sententiis » (circa annum 1150), Petrus Lombardus († 1164) in libro 4., distinctione 2., numerum illum ut articulum fidei docent. Hoc vero demonstrat fidem illam apostolicae originis esse. Numquam enim eadem fides apparet ut nova, nullum concilium nullumque decretum alicuius pontificis assignari potest, a quo fuerit introducta, nullum vestigium altercationum et commotionis Ecclesiae detectum est, quae, si illa fides introducta esset, certissime

ortae fuissent, cum agatur de re gravi, practica, publica, quotidiana.

2. Etiam *Graeci schismatici* numerum septenarium sacramentorum profitentur et semper profitebantur. Nam:

a) Quoties actum est de eorum reconciliatione cum Ecclesia latina, numquam apparuit vel minimus dissensus de numero sacramentorum.

b) In libris eorum ritualibus etiam vetustissimis septem sacramenta exhibentur.

c) Ab iis error novatorum positive reiectus est, praesertim a Ieremia, patriarcha Constantinopolitano, saec. 16., et a synodis habitis contra Cyrillum Lucarim, saec. 17.

Iam vero Graeci ab Ecclesia latina seiuncti sunt saec. 11., imo per aliquod tempus iam saec. 9., eamque tanta semper aversione prosequebantur, ut, nisi ante apostasiam hanc doctrinam habuissent, certo certius eam ab illa Ecclesia non accepissent, sicut nec Ecclesia latina eandem a Graecis assumpsisset.

Itaque tam Graeci, quam Latini eandem doctrinam hauserunt ex fonte communi, sc. antiqua Traditione.

Insuper iam multo ante exortum schisma Graeci erga Latinos aemulatione tenebantur; quapropter, nisi ipsi a vetustissimis temporibus septem sacramenta agnovissent et, si vestigium levissimum detexissent illa a Latinis introducta fuisse, id iis tunc temporis absque dubio obiecissent.

3. Ceteri quoque *haeretici Orientales* eandem doctrinam servant et servabant.

Id de Nestorianis et Monophysitis ostendit Assemani. Constat insuper ex ritibus Coptorum, Syrorum, Armenorum, quos collegit Denzinger, nec non ex professionibus fidei eorundem, quae habentur in opere « Perpétuité de la foi ».

Nestoriani septenarium quidem numerum sacramentorum semper retinuerunt; in assignando autem, quae praecise illa septem sacramenta sint, quoad unum alterumve a doctrina Ecclesiae dissentiunt.

Hi vero haeretici iam saec. 5. ab Ecclesia separati sunt nec post separationem illam fidem ab hac ex eadem ratione ac Graeci acceperunt, sicut nec Ecclesia eam accepit ab illis.

Itaque iam saec. 5. tota Ecclesia illam fidem tenuisse censenda est. Si vero saec. 5. Ecclesia hanc fidem professa est,

eadem fides aevo Apostolorum non est recentior, cum Ecclesia tunc praesertim temporis omnem novitatem aversaretur.

4. Praeterea valent *verba Tertulliani*[1]: « Ecquid verisimile est, ut tot ac tantae [ecclesiae] in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus est exitus. Variasse debuerat error doctrinae ecclesiarum. Ceterum, quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum ».

Nota. Ad satisfaciendum difficultatibus haec animadvertantur.

1. Nec s. Scriptura nec ss. Patres loquuntur de numero septenario sacramentorum, quia *non intendunt* doctrinam catholicam in systema redigere.

2. *Vox sacramenti* priscis temporibus non erat satis determinata: illa voce significabantur res variae et dissimiles.

3. *Disciplina arcani* impedimentum erat, quominus de tota re sacramentaria scriberetur.

II. Rationibus congruis.

Modo si numerus septenarius *in abstracto* consideratur, apparet eum cum sacramentis optime congruere. Constat enim ex numero ternario et quaternario cum invicem coniunctis. Numerus ternarius repraesentat Deum, qui est trinus in Personis. Numerus quaternarius repraesentat mundum propter quatuor coeli partes, quatuor spatii dimensiones (in longum, latum, altum, profundum), quatuor anni tempora etc. proindeque etiam repraesentat hominem, qui merito vocatur microcosmos. Itaque coniunctio numeri ternarii et quaternarii repraesentat coniunctionem hominis cum Deo. Haec coniunctio fit per gratiam, et gratia confertur per sacramenta.

Septem autem sacramenta *in concreto* considerata congruunt:

1. *Cum analogia*, quae est inter cursum vitae naturalem et supernaturalem. In utroque distinguendum est inter hominem *singularem* et humanam *societatem*. Iam vero:

In cursu vitae *naturali* homo singularis nascitur, pubescit, i. e. ad statum virilem deducitur, alitur, morbo correptus sanatur et postea ab infirmitatibus ex morbo contractis et post morbum depulsum remanentibus levatur; humana societas propagatione conservatur et regimine legitimo gubernatur.

Similiter in cursu vitae *supernaturali* singularis homo spiritualiter nascitur baptismo, ad statum virilem seu perfectum

[1] Praescr. c. 28.

deducitur confirmatione, alitur eucharistia, ex morbo peccati sanus fit poenitentia, ab infirmitatibus ex morbo peccati contractis et peccato condonato remanentibus levatur extrema unctione; societas fidelium seu ecclesia in germine conservatur matrimonio, regitur ordine, quatenus per eum rectores accipit.

2. *Cum morbis animae,* qui consistunt in peccato triplicis generis, sc. originali, personali gravi, personali levi et in quatuor vulneribus animae ex peccato originali contractis, sc. intellectus ignorantia, voluntatis malitia, quae vocatur, i. e. proclivitate voluntatis ad peccandum, infirmitate afficiente appetitum irascibilem et concupiscentia afficiente appetitum concupiscibilem. Contra hos septem morbos animae plus minusve specialiter diriguntur septem sacramenta et quidem contra peccatum originale baptismus, contra peccatum personale mortale poenitentia, contra peccatum personale veniale extrema unctio, contra ignorantiam ordo, contra malitiam eucharistia, contra infirmitatem confirmatio, contra concupiscentiam matrimonium.

3. *Cum virtutibus et theologicis et moralibus cardinalibus,* ad quas conferendas vel augendas modo plus minusve speciali ordinata sunt. Ad fidem enim dandam ordinatus est baptismus, ad spem augendam extrema unctio (vel iuxta s. Bonaventuram confirmatio), ad caritatem augendam eucharistia, ad prudentiam augendam ordo, ad iustitiam conferendam poenitentia, ad fortitudinem augendam confirmatio (vel iuxta s. Bonaventuram extrema unctio), ad temperantiam augendam matrimonium.

4. *Cum ecclesia militante,* « castrorum acie ordinata » (Cant. 6, 9.). Haec enim indiget sacramentis, quae roborent pugnantes, relevent cadentes, suppleant decedentes. Iam vero roborantur aciem ingredientes per baptismum, in acie stantes per confirmationem, ex acie exeuntes per extremam unctionem. Cadentes relevantur a casu gravi per poenitentiam, a casu levi per eucharistiam. Decedentes supplentur quantum ad obtinendam vitam naturalem per matrimonium, quantum ad communicandam vitam supernaturalem per ordinem.

Scholia. I. *Figurae* septem sacramentorum haberi possunt:

1. *septem columnae* domus a Sapientia aedificatae. Prov. 9, 1: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem;*

2. *septem lucernae* ardentes candelabri aurei, quod positum erat in Sancto tabernaculi foederis et postea templi (Exod. 25, 31-40.), vel quod a Zacharia aspectum fuit in visione (Zach. 4, 2.).

II. Septem sacramenta *dignitate paria non sunt.* Dicit enim Tridentinum sess. 7. de sacramentis in genere, can. 3: Si quis dixerit haec septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius; a. s. Ceteris vero excellunt:

1. in *necessitate* baptismus et poenitentia;

2. in *dignitate* eucharistia. Ad hanc enim cetera sacramenta referri possunt, ut radii ad solem.

CAPUT III.

De Auctore Sacramentorum.

Thesis. **Christus omnia sacramenta immediate instituit.**

Explicatur: 1. Christus ut Deus sacramenta instituit potestate propria, ut homo potestate communicata. Quae quidem potestas Christo homini omnino congrue communicata est, quia ipse ut homo *a)* omnem gratiam per sacramenta dandam meruit et *b)* ecclesiam fundavit, in qua sacramenta sunt partes essentiales.

2. Christus duplici modo sacramenta instituere potuit: immediate seu per se ipsum et mediate seu per alios idque per Apostolos vel Ecclesiam. Christus omnia sacramenta reapse *immediate instituit* neque Apostolis vel Ecclesiae ullum ius dedit nomine suo sacramenta instituendi.

Determinatur: 1. Christum omnia sacramenta *aliquo modo*, sc. aut immediate aut mediate instituisse est *de fide* ex Trid. sess. 7, can. 1: Si quis dixerit sacramenta novae legis non fuisse omnia a Iesu Christo, Domino nostro, instituta... a. s.

2. Christum omnia sacramenta *immediate* instituisse, si non est de fide, ut Bellarminus et Vasquez putant, *saltem certum* est, ut omnes tenent.

Probatur: I. Ex mente Ecclesiae, quae intelligitur ex verbis Concilii Tridentini. Nam:

1. Sess. 7, can. 1. supra citato dicitur *omnia* sacramenta fuisse instituta a Christo. Sed haec verba, si simpliciter intelliguntur, significant omnia sacramenta a Christo *immediate* fuisse instituta. Nam alioquin etiam dici posset sacramentalia aliaque omnia ab Ecclesia introducta a Christo instituta fuisse, quod neque Concilium Tridentinum neque theologi unquam dicunt.

2. Sess. 14. de sacramento *extremae unctionis*, can. 1. docetur extremam unctionem a Christo institutam et a Iacobo Apostolo promulgatam fuisse. Ex his verbis manifestum est extremam unctionem non fuisse institutam a b. Iacobo nomine Christi, sed immediate a Christo ipso. Iam vero, si institutio extremae unctionis Christo immediate adscribitur, etiam institutio aliorum sacramentorum Christo eodem modo adscribenda est. De nullo enim alio sacramento ab aliquibus theologis antiquis tantopere dubitatum est, utrum a Christo immediate institutum fuerit an tantum mediate.

3. Sess. 21, cap. 2. docetur Ecclesiam habere potestatem in dispensatione sacramentorum aliqua statuere vel mutare, sed salva eorum substantia. Si vero Ecclesia sacramenta instituisset, etiam eorum *substantiam* mutare posset.

II. Quodammodo ex Scriptura, in qua narratur Christum *aliqua* sacramenta, sc. baptismum, eucharistiam, poenitentiam *immediate* instituisse, unde ob analogiam idem optimo iure tenetur de ceteris.

III. Ratione congrua. Sacramenta a Christo immediate institui *conveniens* fuit:

1. *Christo.* Christus enim est auctor et caput Ecclesiae. Sacramenta autem sunt eiusdem Ecclesiae partes essentiales. Sed ipsum auctorem et caput alicuius societatis decet eiusdem partes essentiales constituere.

2. *Sacramentis.* Nam sacramenta per hoc, quod ab ipso Christo instituta sunt, maioris sunt dignitatis magisque distinguuntur a sacramentalibus.

3. *Hominibus.* Homines enim sic magis instituuntur ad totam suam spem ponendam in Christo. (cf. 1. Cor. 1, 12 sqq.).

Scholion. De determinatione signi sacramentalis externi.

Ex eo, quod Christus omnia sacramenta immediate instituit, intelligi potest eum etiam materias et formas sacramen-

torum aliquo modo determinasse. Nam immediatus auctor alicuius rei, quae ex materia et forma composita est, is solus proprie dicitur, qui illius rei materiam et formam instituit vel, quod idem est, determinavit. Iam vero:

I. *Forma* nullius sacramenti a Christo determinata est quoad materialem sonum verborum et quoad phrasin grammaticalem, sed forma cuiuslibet sacramenti determinata est *solum quoad sensum* seu significationem substantialem.

II. De *materia* haec statuuntur:

1. Materia *nullius sacramenti* a Christo determinata est usque ad *singula quaeque*. Hoc iam inde patet, quod alii ritus sacramentales observantur in ecclesia latina, alii in graeca, qui utrique habendi sunt validi.

2. Materiae *aliquorum* saltem sacramentorum a Christo determinatae sunt *in specie*. Haec iuxta omnes sunt baptismus et eucharistia, iuxta fere omnes poenitentia, extrema unctio, matrimonium.

3. Utrum materiae *confirmationis et magis ordinis* a Christo in specie an solum in genere determinata sint, controversum est.

In genere materia e. g. ordinis presbyteratus determinata fuisset, si Christus Apostolis haec dixisset: « Ego volo, ut ad ordinandos sacerdotes utamini aliquo ritu visibili, qui collationem respondentis potestatis et gratiae significet. Qualis ritus praecise sit, vos ipsi determinetis ». Quodsi Christus ita egisset, Apostolis liberum fuisset eligere quodpiam signum aptum, v. g. impositionem manuum vel traditionem vasorum sacrorum vel quoddam aliud.

Iam vero longe plurimi et maximi theologi censent Christum etiam materias confirmationis et ordinis *in specie determinasse*. Pro qua sententia haec afferri solet ratio: Si non Christus, sed Ecclesia materias confirmationis et ordinis in specie determinasset, illa has mutare posset. Sed Ecclesia semper tenuit circa substantialia sacramentorum se nullam omnino potestatem habere. Et Tridentinum sess. 21, cap. 2. aperte docet Ecclesiam in dispensatione sacramentorum aliqua statuere vel mutare posse, sed *salva eorum substantia*.

Haec verba illi theologi, qui tenent materias confirmationis et ordinis a Christo in genere, ab Ecclesia in specie determi-

natas fuisse, sic explicant: salva eorum substantia sub ea ratione, sub qua a Christo instituta est.

CAPUT IV.

De Ministro Sacramentorum.

Omnia sacramenta administrantur nomine Iesu Christi. Christus igitur eorum minister *principalis seu primarius* est. Illi vero, qui sacramenta nomine Christi administrant, sunt ministri eorum *secundarii*.

Si simpliciter dicitur: sacramenti minister, semper intelligitur secundarius.

ARTICULUS I.

DE PERSONA MINISTRI.

THESIS I. **Solus homo viator minister ordinarius sacramentorum esse potest.**

De fide ex ordinario Ecclesiae magisterio.

Explicatur. Dicitur: *ordinarius*, quia non negatur Deum, qui est absolutus dominus gratiarum suarum, extraordinario modo angelum vel beatum delegare posse, ut sacramentum aliquod administret.

Probatur rationibus congruis. Solum hominem viatorem sacramenta ordinarie administrare posse congruit:

1. *Christo.* Nam Christus ut homo est causa meritoria omnium gratiarum, quae per sacramenta conferuntur, et minister primarius ipsorum sacramentorum. Ergo convenit etiam ministrum eorum secundarium esse hominem.

2. *Sacramentis.* Sacramenta enim constant ex elemento externo seu corporali, quod significat, et interno seu spirituali, quod significatur. Unde convenit etiam eorum ministrum constare ex corpore et anima.

3. *Materiae sacramentali.* Nam haec est res naturalis. Ideo congruit formam esse locutionem naturalem i. e. vitalem, cuius angeli et animae a corporibus separatae incapaces sunt.

4. *Ecclesiae militanti,* cui sacramenta commissa sunt. Nam eidem potestati sacramenta subtraherentur, si etiam ab angelis atque animabus separatis ordinarie administrari possent.

THESIS II. **Non omnia sacramenta ab omnibus hominibus administrari possunt.**

De fide ex Trid. sess. 7, can. 10: Si quis dixerit Christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, a. s.

Opponitur novatoribus saec. 16.

Explicatur: 1. Sermo est non solum de licita, sed etiam de valida sacramentorum administratione.

2. Plurima sacramenta ab iis solis valide administrari possunt, qui per ordinationem respondentem potestatem acceperunt.

Probatur: I. Ex Traditione. Ss. Patres, praecipue s. Chrysostomus in libris de sacerdotio, magnis encomiis sacerdotium celebrant praecise ideo, quod soli sacerdotes potestatem habeant conficiendi sacramenta.

II. Ratione theologica. Christus in Ecclesia sua ministerium instituit, ut in theologia generali probatum est. Hoc posito atque concesso ratio suadet eidem ministerio etiam sacramenta administranda a Christo fuisse tradita.

ARTICULUS II.

DE PROBITATE ET FIDE MINISTRI.

THESIS. **Ad sacramenta valide administranda non requiritur status gratiae sanctificantis seu sanctitas.**

De fide ex Trid. sess. 7, can. 12: Si quis dixerit ministrum in peccato mortali exsistentem, modo omnia essentialia, quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, a. s. *Opponitur Wicleffitis et Hussitis,* quos praecesserunt Donatistae.

Probatur: I. Ex continua et universali praxi Ecclesiae non iterandi sacramenta a peccatoribus sive occultis sive publicis collata.

II. Ex doctrina ss. Patrum, praesertim s. Augustini, qui Donatistas impugnavit. Ii praeter alia hanc veritatem variis similibus illustrant.

Eiusmodi *similia* sunt: aqua, quae, licet per canalem etiam vilissimae materiae derivetur, tamen irrigat; semen, quod, etiamsi sordidis manibus seritur, tamen fructificat; verbum Dei, quod, quamvis ab improbis ministris annuntietur, tamen est salutare.

III. Rationibus congruis, quae desumuntur:

1. *Ex parte Christi.* Christus est causa principalis gratiarum, quae per sacramenta ut causas instrumentales conferuntur; est etiam minister primarius ipsorum sacramentorum. Ipsum igitur *dedeceret,* si per indignitatem eorum, qui non agunt nisi ut ipsius ministri, a gratiis per sacramenta conferendis posset impediri.

2. *Ex modo agendi Dei solito.* Deus aliis in rebus ob indignitatem non aufert potestatem, quam pro bono publico concessit, v. g. potestatem regendi et docendi. Ergo id neque in hac re praesumendum est.

3. *Ex eventibus,* qui alioquin sequerentur. Si valor sacramentorum a sanctitate ministrorum dependeret, orirentur tot ac tanta mala: anxietates, explorationes etc., ut melius esset sacramenta omnino non esse.

Thesis II. **Ad sacramenta valide administranda non requiritur fides orthodoxa.**

Est *de fide quoad baptismum* ex Trid. sess. 7. de baptismo, can. 4: Si quis dixerit baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, a. s. Est *fidei proximum quoad cetera sacramenta* ob paritatem rationis.

Opponitur rebaptizantibus et Donatistis.

Explicatur: Haeretici tam publici quam occulti, tam formales quam materiales, item increduli ea sacramenta valide administrare possunt, ad quae administranda habent potestatem (ordinis, et quoad sacramentum poenitentiae etiam iurisdictionis, quam haeretici publici non habent nisi quoad moribundos).

Probatur: 1. *Generatim* similiter, ac thesis praecedens.

2. *Speciatim* ex controversia, quam orthodoxe sentientes saeculo tertio habebant cum s. Cypriano. Ex ea liquet sententiam negantem validitatem baptismi ab haereticis collati fuisse et minus antiquam et minus divulgatam, quam affirmantem a s. Stephano, summo pontifice, sustentatam.

ARTICULUS III.

DE INTENTIONE MINISTRI.

THESIS. **Ad sacramenta valide conficienda requiritur aliqua ministri intentio.**

Explicatur: 1. Intentio est *actus voluntatis*, quo aliquid agere vel omittere volumus. Intentio igitur administrandi sacramentum est actus voluntatis, quo quis sacramentum administrare vult.

2. Sacramentum est *signum*. Quodlibet autem signum spectari potest aut materialiter aut formaliter. Materialiter spectatur, si solum consideratur elementum eius externum praescindendo ab eiusdem significatione. Hoc modo nutus e. g. digiti ab eo consideratur, qui eiusdem significationem ignorat. Signum formaliter spectatur, si eius significatio consideratur. Sicut in signo solum elementum externum aut eius significatio mente spectari potest, ita quoque in eo solum elementum externum aut una cum hoc elemento significatio eius voluntate *intendi* potest. Et sicut hoc fieri potest in quolibet signo, ita etiam fieri potest in sacramento. Si solum elementum eius externum seu materiale seu solus ritus externus intenditur, intentio vocari solet *intentio externa*. Si autem una cum ritu externo significatio eius intenditur, intentio dici solet *intentio interna*.

3. Ut per se patet, *intentio externa* habetur a quolibet homine, qui, dum ritum externum peragit, non est privatus usu rationis. *Intentio* autem *interna* pluribus modis haberi potest. Id enim, quod ritu externo sacramentali significatur, est gratia. Gratia vero pertinet ad religionem. Hinc ritus externus sacramentalis intendi potest, praecise quatenus est signum gratiae vel etiam, quatenus est signum ad religionem pertinens seu sacrum, vel, quod idem est, ab auctore religionis institutum, vel a societate religiosa i. e. ecclesia frequentatum. Imo id non solum explicite, sed etiam implicite et reductive fieri potest et ita absque dubio fit, si ille, qui externum ritum sacramentalem peragit, novit eundem ritum ab aliis sacrum haberi et si eum ut talem, qualis ab illis habetur, peragere

vult. Intentio igitur interna a quolibet sacramenti ministro generatim semper habetur, nisi positive excludatur, quod quidem ab homine sano ex sola malitia fieri potest.

Determinatur: 1. *Intentionem externam,* quae dicitur, ad sacramentum valide administrandum esse necessariam est *de fide* contra Lutherum et Calvinum, qui negabant ullam intentionem ex parte ministri requiri. Dicit enim Trid. sess. 7, can. 11: Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, a. s.

2. *Intentionem internam,* quae dicitur, ad sacramentum valide administrandum esse necessariam est *sententia nostra aetate satis communis* contra Catharinum aliosque paucos.

Probatur ad sacramenta valide conficienda requiri intentionem ministri *etiam internam,* quae dicitur:

I. Ex mente Ecclesiae. Nam:

1. Ecclesia praeter positionem materiae et formae etiam *requirit intentionem.* Sed intentio externa, quae dicitur, a quolibet homine habetur, qui, dum mentis compos est, materiam et formam ponit. Ergo praeter intentionem externam insuper requiritur interna, cum *secus verba,* quibus haec postulatur, omnino *supervacanea* atque inania essent.

Ab Ecclesia praeter positionem materiae et formae intentionem requiri patet:

a) Ex professione fidei ab Innocentio III. praescripta Waldensibus ad Ecclesiam reducibus, in qua dicitur: « Ad quod officium (consecrandi eucharistiam) tria sunt, ut credimus, necessaria: scilicet certa persona, id est presbyter... et illa solemnia verba, quae a sanctis Patribus in canone sunt expressa, et *fidelis intentio proferentis* » (D. 370).

b) Ex articulis, de quibus errorum Hussitorum suspecti ex mandato Martini V. interrogandi erant, quorum vigesimus secundus sic sonat: « Utrum credat, quod malus sacerdos cum debita materia et forma et *cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia,* vere conficiat, vere absolvat, vere baptizet, vere conferat alia sacramenta » (D. 566).

c) Ex decreto Concilii Florentini pro Armenis in bulla Eugenii IV. contento, in quo legitur: « Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis

tamquam forma et persona ministri conferentis sacramentum *cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia* » (D. 590).

d) Ex Concilio Tridentino, et quidem α) ex sess. 7, can. 11. supra citato; β) ex sess. 14, cap. 6: « Non debet poenitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut, etiamsi... sacerdoti animus serio agendi *et vere absolvendi* desit, putet tamen se... esse absolutum » (D. 781).

2. *Summi pontifices damnarunt* propositiones, quibus affirmabatur sacramenta non serio collata esse valida.

a) Leo X. damnavit hunc (12.) errorem Lutheri: « Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio, sed ioco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus » (D. 636).

b) Alexander VIII. anno 1690. damnavit hanc (28.) propositionem: « Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo, quod facit Ecclesia » (D. 1185).

II. Rationibus theologicis, quae desumuntur:

1. *Ex parte ministri.* Is, qui sacramentum conficit, agit ut minister Christi. Sed quilibet minister potest agere ut minister et simpliciter ut homo, seu potest agere nomine illius, cuius minister est, et potest agere nomine proprio. Sed, utrum minister agere velit ut minister an simpliciter ut homo, mere pendet ab eius interna intentione.

2. *Ex parte ritus externi.* Ritus externus cum intentione externa factus seu deliberata positio materiae et formae ex se potest esse res naturalis et res sacramentalis, ut iam patet ex eo, quod fieri potest exercitationis gratia. Ut igitur reapse sit res sacramentalis, requiritur intentio interna, quae ritum illum externum ad esse sacramentale determinet. Neque enim valet, quod adversarii dicunt, ritum externum ad esse sacramentale determinari per externa adiuncta, ut locum sacrum etc. Haec enim externa adiuncta omnia possunt abesse et tamen sacramentum valide confici. Imo sacramentum exterius iocose administrari potest, quin per hoc invalidum reddatur.

3. *Ex parte intentionis ministri.* Est axioma communiter receptum sacramenta conferri posse sub conditione mere interna. Est doctrina communiter tradita ex pluribus hostiis

praesentibus unam mere interne determinatam consecrari posse. Est rubrica missalis, quae declarat irritam esse consecrationem, qua quis coram se habens undecim hostias intendat solum consecrare decem, quin determinet, quas decem consecrare velit. Atqui haec omnia manifestant valorem sacramentorum pendere ab interna ministri intentione.

4. *Ex parte intentionis subiecti.* In adultis i. e. in iis, qui rationis sunt compotes, ad valide suscipienda sacramenta requiritur intentio interna. Si quis enim baptismum suscipit et intendit, ne illud valide suscipiat, illud nec valide suscipit.

Iam vero in ministro sacramenti non requiritur intentio minus perfecta, quam in subiecto, sed magis perfecta. Nam, cum in subiecto sufficiat intentio habitualis implicita, in ministro requiritur intentio virtualis. Quomodo igitur fieri potest, ut subiectum per defectum intentionis internae sacramenti susceptionem invalidam reddere possit, minister vero per defectum eiusdem intentionis collationem sacramenti invalidam reddere non possit?

5. *Ex parte inutilitatis sententiae contrariae.* Ratio praecipua, quae nonnullos theologos ad amplectendam Catharini opinionem impulit, fuit, quia per eam fideles magis compertum habeant se sacramenta valide suscepisse. Sed per opinionem illam fidelibus maior securitas re vera non praebetur. Nam, si sacramenti minister est tam malignus, ut sacramentum, quod conficit, invalidum reddere velit, id multis aliis modis efficere potest, corrumpendo v. g. formam, quin praesentes id percipiant.

CAPUT V.

De Efficacia Sacramentorum.

Praenotanda de causis.

I. *Causa est* id, vi cuius aliquid efficitur.

Distinguitur quadruplex: 1. materialis: illud, ex quo aliquid fit; 2. formalis: id, quo aliquid efficitur; 3. finalis: illud, propter quod aliquid fit; 4. efficiens: id, a quo aliquid efficitur, seu id, quod aliquid efficit.

II. *Causa efficiens* iterum dividitur:

1. *in principalem et instrumentalem.* Causa principalis est ea, quae agendo virtute propria aliquid efficit. Causa instrumentalis ea est, quae agendo virtute aliena aliquid efficit;

2. *in physicam et moralem.* Causa physica ea est, quae per motum physicum aliquid efficit. Causa moralis est ea, quae per motum (Anregung) moralem aliquid efficit, i. e. quae causam physicam mediis moralibus, ut imperio, consilio, promissione etc. ad aliquid efficiendum movet.

III. Quadruplex igitur est causa efficiens:

1. *principalis physica:* ea, quae per motum physicum propria virtute allatum aliquid efficit;

2. *principalis moralis:* ea, quae per motum moralem propria virtute allatum aliquid efficit, i. e. ea, quae causam physicam intelligentem ad aliquid efficiendum propria virtute seu auctoritate moraliter movet;

3. *instrumentalis physica:* ea, quae per motum physicum virtute aliena allatum aliquid efficit;

4. *instrumentalis moralis:* ea, quae per motum moralem virtute aliena allatum aliquid efficit, i. e. quae causam physicam intelligentem ad aliquid efficiendum moraliter movet virtute seu auctoritate non propria, sed aliena.

ARTICULUS I.

DE EFFICACIA PRIMARIA SACRAMENTORUM OMNIUM.

Primaria efficacia omnium sacramentorum consistit in *collatione gratiae,* respectu cuius consideranda sunt *modus,* quo sacramenta gratiam conferunt, et *ipsae gratiae,* quas conferunt. Hinc:

§ 1. *De modo, quo sacramenta gratiam conferunt.*

De modo, quo sacramenta gratiam conferunt, aliud certum, aliud controversum est.

Certum est hoc: Omnia sacramenta novae legis re vera sunt *causae* gratiae. Attamen non sunt causae principales sive physicae sive morales, sed tantum *instrumentales.* Nam causa

principalis physica omnis gratiae sive per sacramentum sive absque sacramento dandae est solus Deus seu Christus qua Deus. Causa vero principalis moralis omnis gratiae est Christus qua homo. Ipse enim propria virtute meritis suis Deum ad gratiam dandam movet. Utrumque affirmatur a Trid. sess. 6. cap. 7.

Controversum est, utrum sacramenta sint causae gratiae physicae an morales. Hinc:

THESIS: **Sacramenta ut causae instrumentales non ponentibus obicem gratiam ex opere operato conferunt.**

De fide ex Trid. sess. 7, can. 6: Si quis dixerit sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre... a. s.

Can. 8: Si quis dixerit non dari gratiam per huiusmodi sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus, a. s.

Explicatur: 1. Si in can. dicitur sacramenta gratiam continere, sensus non est illa hanc continere formaliter, sed causaliter et instrumentaliter sc. eo modo, quo causa instrumentalis sive physica sive moralis continet effectum suum.

2. Sacramenta ut eiusmodi causae gratiam conferunt non ponentibus obicem i. e. iis, qui gratiae elargiendae non afferunt impedimentum. Illi autem adulti huiusmodi impedimentum non afferunt, qui habent requisitam dispositionem; ii econtra afferunt, qui dispositionem requisitam non habent. Si carentia necessariae dispositionis culpabilis est, *obex* dicitur *positivus,* sin inculpabilis est, *obex negativus* dici solet. Dispositio autem illa respectu collationis gratiae non habet rationem causae; est tamen in adultis conditio sine qua non.

Ab obice gratiae, qui impedit fructum sacramenti, distinguendus est *obex sacramenti,* qui impedit eius valorem. Obex sacramenti vocatur quoque obex essentialis vel substantialis; obex gratiae econtra obex accidentalis dicitur.

Positio obicis *fictio* dicitur, quae, ut ipse obex, aut essentialis aut accidentalis est. Fictio vocatur, quia ille, qui obicem habet et nihilominus sacramentum suscipit, eo ipso quod hoc suscipit, fingit seu simulat se obicem non habere.

3. Formula « *ex opere operato* », in qua « operato » sensu passivo accipiendum est, significat: praecise et immediate vi ritus sacramentalis, non ex meritis sive conficientis sive suscipientis sacramentum.

Sensus huius formulae non est ille, quem Moehler exhibet, iuxta quem significat: ex opere meritorio Christi; quantumvis ex hoc sacramenta omnem suam efficaciam habeant. Nam praeterea, quod illa huius formulae interpretatio adversatur sensui theologorum communi, si esset recta, formula haec *a)* non designaret aliquid, quod sacramentorum proprium esset. Nam etiam opera nostra meritoria omnem suam virtutem ex meritis Christi habent; *b)* non esset directa contra errores novatorum, qui illud numquam negarunt. Tamen contra eos totus canon, in quo continetur, directus est. Consequenter nec vindicaret doctrinam catholicam, quam vindicare Patres Tridentini intenderunt.

Probatur: Ex Scriptura, traditione, ratione theologica constat *baptismum* ut causam instrumentalem gratiam ex opere operato conferre. Quod autem de baptismo valet, id ob paritatem rationis etiam in *alia* sacramenta cadit. De baptismo probatur:

I. Ex Scriptura. Io. 3, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Particula « ex » significat causalitatem respectu Spiritus Sancti; ergo etiam respectu aquae. Itaque sensus est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua ut causa instrumentali et Spiritu Sancto ut causa principali, non potest introire in regnum Dei.

Act. 2, 37. 38: *His autem auditis compuncti sunt corde et dixerunt ad Petrum et ad reliquos Apostolos: Quid faciemus, viri fratres? Petrus vero ad illos: Poenitentiam (inquit) agite* (μετανοήσατε), *et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum.* Ergo in credentibus et poenitentibus baptismus efficit remissionem peccatorum.

Act. 22, 16. Ananias dixit Saulo: *Et nunc quid moraris? Exurge et baptizare et ablue peccata tua.* — 1. Cor. 6, 11.

Tit. 3, 5: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.* Praepositione « per » aperte designatur causalitas. — Eph. 5, 26; 1. Petr. 3, 21.

His textibus causalitas sacramentorum « declaratur omnibus loquendi formis, praeter quas vix aliae excogitari posse videntur ad exprimendam efficientiam causae instrumentalis », ut ait Franzelin [1].

---

[1] De sacramentis in genere, cap. 3, thes. 6, III.

II. Ex Traditione.

1. *Ex Patribus.* Tertullianus[1]: « Nonne mirandum est lavacro dilui mortem »? — S. Cyrillus Hieros.[2]: « Unda salutaris et vobis sepulcrum et mater effecta est ». — S. Chrysostomus[3]: « Quod est matrix embryoni, hoc est aqua fideli; in aqua enim fingitur et formatur... animas rationales Spiritum Sanctum ferentes aqua producit ». — Eadem comparatione utuntur ss. Gregorius Nyssenus, Ambrosius, Leo: — S. Augustinus[4]: « Et in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum... Unde tanta vis aquae, ut corpus tangat et *cor abluat*, nisi faciente verbo? Mundatio igitur nequaquam fluxo et labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo ». Et[5]: « Non meritis eorum, a quibus ministratur, nec eorum, quibus ministratur, constat baptismus, sed propria sanctitate atque veritate propter eum, a quo institutus est, male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem ».

Ipsi haeresiarchae intellexerunt doctrinam Patrum suae doctrinae repugnare. « Sed », ait Lutherus[6] « hominum sunt dicta sibi ipsi saepius pugnantium pleraque humano sensu extra Scripturas docentium ». Calvinus vero vult omnes istas locutiones esse « dicendi figuras hyperbolicas[7] ».

2. *Ex Symbolis.* In symbolo Apostolorum, forma media inter Gallicanam et Hispanicam, dicitur: Credo... per baptismum sanctum remissionem peccatorum; et forma Hierosolymitana (ex catechesibus s. Cyrilli Hieros.): καὶ εἰς ἓν βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. (D. 8. 13). — In symbolo Nicaeno-Const. dicitur: Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.

III. Ratione theologica. Parvuli mediante baptismate iustificantur. Sed causa iustificationis parvulorum neque eorum dispositio est, cum non adsit, neque fides ac probitas ministri, cum ad validitatem baptismatis non requirantur; ergo *ipsum baptisma.*

---

[1] De bapt. c. 2.
[2] Catech. myst. 2, c. 4.
[3] In Io. hom. 26. vel 25, n. 1.
[4] In Io. tr. 80, n. 3.
[5] Contra Crescon. l. 4, c. 16, n. 19.
[6] Libr. contra Cochlaeum.
[7] Inst. 4, c. 14.

Quaestio. Utrum sacramenta sint causae instrumentales gratiae morales, an physicae.

Exponitur status quaestionis.

1. Sacramenta esse causas gratiae *morales* ita intelligitur: Sacramenta ex ordinatione Christi huius merita Deo repraesentant. Virtute horum meritorum Deum efficaciter movent ad gratiam physice producendam in iis, qui sacramenta suscipiunt et gratiae accipiendae non ponunt obicem. Quod Deum *efficaciter* movent, oritur ex eo, quod Deus libere se obstrinxit vel determinavit, ut sacramenta suscipientibus et gratiae obicem non ponentibus gratiam certe conferret. Itaque sacramenta vere sunt causae morales gratiae. Nam Deum ad gratiam conferendam vere movent. Tamen non sunt causae principales, sed tantum *instrumentales*, quia Deum ad gratiam dandam non movent virtute propria, sed virtute meritorum Christi.

2. Sacramenta esse causas gratiae instrumentales *physicas* ita intelligitur: Sacramentum ut instrumentum divinae omnipotentiae gratiam in anima suscipientis vere et realiter producit, similiter ac e. g. calamus ut hominis instrumentum scriptum producit. Ad gratiam illam producendam, quod vires ipsius naturales omnino superat, a Deo supernaturaliter elevatur. Hoc fieri potest, quia quodlibet ens creatum aptum est, quod ad producendum effectum vires suas naturales superantem divinitus elevetur. Quae aptitudo vocatur *potentia obedientialis activa*. Potest autem ens creatum ad illud elevari interne et externe. *Interne* elevatur, si in se suscipit qualitatem internam, similiter ac ferrum per ignem in se suscipit qualitatem igneam, ita ut iam possit adurere, id quod ex se ipso non potest. *Externe* elevatur, si solum accipit influxum Dei externum, similiter ac e. g. serra influxu manus hominis elevatur ad artificiose scindendum. Iam vero:

a) Aliqui, in his Gonet, sentiunt sacramenta *interne* elevari. Iuxta hos theologos sacramenta divinitus accipiunt qualitatem spiritualem atque supernaturalem, non tamen completam et permanentem, sed incompletam et fluentem.

b) Longe plurimi tenent sacramenta elevari *externe* tantum. Per quid autem praecise externe eleventur controversum est.

α) Iuxta Suarez elevantur *per merum concursum Dei supernaturalem.* Ipse enim admittit potentiam obedientialem activam cuiuslibet ad quodli-

bet. Per hanc potentiam, ut ipse docet, quodlibet ens creatum eo ipso, quod est creatum et consequenter primo agenti subordinatum, mediante concursu divino, efficere potest, quidquid respectu illius non implicat contradictionem, et id quidem efficere potest, quin ullam virtutem in se ipso suscipere debeat. Haec ratio potentiae obedientialis, sicut omnium rerum creatarum, ita etiam sacramentorum propria est. Sacramenta igitur per hoc, quod Deus cum iis supernaturaliter concurrit, fiunt causae instrumentales physicae illorum effectuum, quos Deus ut causa principalis per eorum applicationem operatur.

β) Iuxta alios, qui potentiam illam obedientialem non admittunt, sacramenta elevantur per *motum seu usum Dei*, qui in hac re idem valeat, quod e. g. in secando ligno et acies serrae et motus hominis secantis coniunctim valent. Sed etiam in assignando accuratius modo, quo id fiat, non est consensus. Sic Bellarminus sentire videtur illum motum Dei sacramento dare solum *actum secundum*. Alii econtra, in his Caietanus, de Soto, Ioannes a s. Thoma expresse docent illum divinum motum sacramento dare etiam *actum primum* seu virtutem agendi. Nam, aiunt, etiam instrumento naturali homo, qui eo utitur, agendi virtutem communicat. Serrarius e. g. serrae, quae iam per se habet virtutem secandi, per motionem suam confert virtutem artificiose secandi.

Praeterea recolantur ea, quae in Christologia de physica causalitate humanitatis Christi dicta sunt.

Proponuntur diversae sententiae. I. Sacramentis *moralem tantum* efficaciam aperte tribuunt Scotistae et Nominalistae, Melchior Canus, Vasquez, de Lugo etc., nostra aetate Franzelin, Hurter, Pesch, alii.

In idem saltem inclinarunt Alexander Halensis, s. Bonaventura, Richardus de Mediavilla. Hi enim ea dixerunt, quibuscum efficacia physica constare nequit. Adiecit tamen Doctor Seraphicus[1]: « Utraque harum positionum satis videtur probabilis, haec tamen (iuxta quam sacramentis moralis tantum efficacia competit) mihi videtur ad sustinendum facilior; nescio tamen, quae sit verior, quia, cum loquimur de his, quae sunt miraculi, non multum adhaerendum est rationi ».

II. Sacramentis efficaciam *etiam physicam* adscribunt Thomistae, Vega, Suarez et Bellarminus etc., hisce temporibus Schaetzler, Oswald, Gutberlet, alii.

Dictum est: « *etiam* physicam », quia omnes fere, qui sacramentis efficaciam physicam tribuunt, iis etiam moralem efficaciam concedunt.

---

[1] tom. 4, pag. 24.

Referuntur argumenta, quibus efficacia sacramentorum physica confirmari solet. Sacramenta gratiam physice producere magis congruere dicitur:

1. Cum *effatis s. Scripturae* in thesi praecedenti allatis. Nam praepositiones « ex » et « per » efficaciam exhibent potius physicam, quam moralem, unde et de illa rectius intelliguntur, quam de hac.

2. Cum *dictis ss. Patrum*, quorum aliqua in thesi praecedenti citata sunt. Iis enim aqua baptismalis dicitur facta esse mater, abluere cor, comparatur cum matrice etc. Sed haec et similia dicta efficaciam physicam suadent. Praeterea ss. Patres efficaciam sacramentorum admirantur, ut s. Augustinus, qui in loco supra citato exclamat: « Unde tanta vis aquae, ut corpus tangat et cor abluat »? Sed, si efficacia sacramentorum moralis tantum esset, illi admirationi vix esset locus.

3. Cum *phrasi ab Ecclesia et omnibus theologis recepta:* Deum operari *per* sacramenta. Si enim sacramentis non competeret efficacia physica, sed solummodo moralis, stricte dici non posset: Deus operatur per sacramenta i. e. per ea gratiam producit, sed dici deberet: Sacramenta operantur in Deum, i. e. Deum ad gratiam producendam movent.

4. *Cum humanitate Christi*, quae ob rationes in tractatu de incarnatione allatas melius habetur causa gratiae *non solum moralis*, sed etiam *physica* eaque, ut patet, instrumentalis. Nam efficacia physica, si humanitati Christi competit, etiam sacramentis competere videtur. Unde s. Thomas dicit [1]: « Sacramentum operatur ad gratiam causandam per modum instrumenti. Est autem duplex instrumentum: unum quidem separatum, ut baculus, aliud autem coniunctum, ut manus. Per instrumentum autem coniunctum movetur instrumentum separatum, sicut baculus per manum. Principalis autem causa efficiens gratiae est ipse Deus, ad quem comparatur humanitas Christi sicut instrumentum coniunctum, sacramentum autem sicut instrumentum separatum. Et ideo oportet, quod virtus salutifera a divinitate Christi per eius humanitatem in ipsa sacramenta derivetur ».

Ceterum non convenit inter doctores, utrum s. Thomas moralem tantum an physicam efficaciam sacramentorum docuerit.

[1] 3, q. 62, a. 5, c.

5. *Cum ss. eucharistia.* Huic enim augustissimo sacramento efficacia physica denegari non posse videtur. Nam concipi nequit, quem ad finem ipse Christus intret in hominem et, ut in eum intrare possit, tot ac tanta mirabilia operetur, si solum *propter* Christum ut causam *moralem* et non potius *per* ipsum ut causam *physicam* gratia concedatur.

Si vero ss. eucharistiae efficacia physica tribuitur, eadem etiam aliis sacramentis adscribenda esse videtur, quia secus haec cum illa nimis discordarent.

Referuntur argumenta, quibus efficacia tantummodo moralis sacramentorum confirmari solet, et quidem

I. *Argumenta negativa,* quae spectant ad probandum efficaciam physicam admittere non esse necesse. Efficacia physica sacramentorum neque ex s. Scriptura neque ex scriptis ss. Patrum neque ex decisionibus conciliorum probari potest. Per moralem enim sacramentorum efficaciam omnia illorum dicta salvantur. Nam:

1. Secundum communem usum loquendi causae morali aeque ac physicae *effectus vere et proprie tribuitur.* Sic a duce belli, cuius auspiciis milites urbem munitam ceperunt, urbs capta esse dicitur; per sententiam iudicis, ex qua carnifex reum occidit, reus occisus esse dicitur etc. Sine dubio autem licitum est dicta s. Scripturae, ss. Patrum et Conciliorum secundum usitatum modum loquendi intelligere.

2. Imo in ipsa *s. Scriptura* continentur dicta, quae dictis pro efficacia sacramentorum physica allatis plane similia sunt et tamen aperte efficaciam solummodo moralem significant. Sic 2. Reg. 12, 9 Nathan dixit ad David: *Uriam Hethaeum percussisti gladio... et interfecisti eum gladio filiorum Ammon,* Cf. 2. Reg. 11, 14-17. — Legitur Prov. 12, 9: *Eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam aeternam.* Similiter 2. Cor. 4, 17: *Id enim, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* — Rom. 3, 28: *Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis.* — Rom. 5, 10: *Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius* etc. — Hebr. 2, 14: *Ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum.*

3. Quod speciatim attinet ad *ss. Patres,* hi *a)* causam iustam habent admirandi sacramentorum efficaciam, quamvis haec non sit nisi moralis. Nam sane admirandum est, quod sacramenta tantae sunt dignitatis, ut collationem gratiae a Deo exigant et infallibiliter impetrent; *b)* quoties « non de qualibet vera causalitate, sed de physica efficientia gratiae loquuntur, eam aut complexo integro ex signo visibili et omnipotentia Dei aut soli Deo adscribunt [1] ».

Ita e. g. Hippolytus [2]: « Haec est aqua cum Spiritu Sancto coniuncta... per quam regeneratus homo vivificatur ». S. Augustinus [3]: « Aqua exhibens forinsecus sacramentum gratiae et Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiae... regenerant hominem in uno Christo ».

II. *Argumenta positiva,* quae spectant ad probandum efficaciam solummodo moralem sacramentis competere, desumpta:

1. *Ex parte essentiae sacramentorum.* Modus operandi sequitur modum essendi; sed sacramenta ut sacramenta non sunt entia physica, sed moralia; ergo et illorum modus operandi non physicus, sed moralis est. Sacramenta autem ut sacramenta entia tantummodo moralia esse patet ex eo, quod:

a) Sacramenta ut sacramenta non sunt materia et forma *per se* spectatae, sed sunt materia et forma, prout *ex institutione divina gratiam significant.* Materia autem et forma, licet per se spectatae sint entia physica, tamen, in quantum ex positiva Dei institutione gratiam significant, sunt entia moralia.

Illustratur simili. Moneta spectata per se seu ut merum metallum est quidem ens physicum, sed considerata secundum determinatum valorem, quem ex institutione principis habet, est ens morale. Nam hoc modo considerata est compositum quoddam ex metallo et principis institutione, ex qua certus valor metallo attribuitur. Similiter sacramentum est compositum quoddam ex materia ac forma et significatione, quam materia ac forma ex institutione divina habent.

Confirmatur. « Est de ipso conceptu signi, ut qua signum operari non possit nisi per intentionalem apprehensionem agentis physici rationalis. Ergo idem valet de sacramento, quod qua signum operatur ». Pesch [4].

---

[1] Pesch, tom. 6, n. 161.
[2] Serm. in Theophan. n. 8.
[3] Epist. 98, n. 2.
[4] tom. 6, n. 163.

b) Una essentialis pars signi sacramentalis etiam per se spectata non est ens physicum, sed morale. Et ea quidem pars est forma. Nam forma sacramentorum in nullo alio consistit nisi in *verbis quoad sensum spectatis*. Verba autem quoad sensum spectata seu sensus verborum non est ens physicum, sed morale.

Confirmatur. Forma sacramentorum, nisi sunt verba quoad sensum spectata, sunt verba materialiter sumpta. Sed verba materialiter sumpta nihil sunt nisi aut vibratio organorum loquelae inservientium aut vibratio aëris. Sed vibratio organorum illorum « subiectum sacramenti omnino non attingit physice; ergo in illud physice non operatur, nisi forte admiseris operationem in distans. Ergo totum, quod physice operatur, quando gratia datur, est aliqua undulatio aëris. Ergo in hac undulatione aëris est integra virtus sacramenti, et consequenter ex una parte falsum est totum sacramentum physice causare gratiam, et ex altera parte manifestum est, quantum hoc explicandi modo derogetur dignitati sacramentorum ». Pesch.

2. *Ex parte exsistentiae plurimorum sacramentorum.* Nulla causa effectum physice producit, nisi physice exsistit. Sed sacramenta maximam partem tum producunt gratiam, cum *physice non exsistunt*. Ergo gratiam physice non producunt.

Probatur minor: a) Omnia sacramenta, excepta eucharistia, gratiam iis, qui ipsa digne suscipiunt, eo momento conferunt, quo materia est applicata et forma prolata. Sed quando *forma* re vera prolata est, *physice iam non exsistit*, et quando ultima eius syllaba profertur, physice non amplius exsistunt syllabae praecedentes. Ergo hae saltem in effectum physice influere non possunt; sed aliunde constat sacramentum gratiam producere qua totum et integrum signum. Nec valet dicere priores syllabas tum, cum ultima proferatur, adhuc exsistere ob unionem continuitatis. Nam hanc unionem etiam partes temporis habent, et tamen non exsistit pars praeterita, cum exsistit pars praesens.

b) Aliqua sacramenta cum obice gratiae suscepta *reviviscunt* i. e. gratiam sanctificantem producunt, simulatque obex est remotus, etiamsi hoc acciderit multo post illorum susceptionem. In hac igitur re sacramenta gratiam non producunt physice, cum physice iam nullo modo exsistant, sed moraliter;

ergo et in aliis ac omnibus rebus gratiam moraliter producere censenda sunt. Si enim semel dignitas et efficacia sacramentorum semel per causalitatem moralem sufficienter servatur, quare non semper?

Thomistae *contra hoc* docent: Sacramenta, quae characterem imprimunt, obice remoto gratiam physice producunt mediante charactere, qui physice adest quemque Deus ad gratiam physice causandam tunc elevat. Sacramenta vero, quae characterem non imprimunt, iuxta alios, ut Ioannem a s. Thoma, gratiam physice causant idque mediante determinatione relicta voluntatis, qua homo se antea sacramento respondenti subiecit, iuxta alios, ut Gonet, gratiam moraliter causant. Et hi quidem dicunt rationi omnino consentaneum esse admittere sacramenta, cum physice exsistant, etiam physice operari, et cum moraliter i. e. in acceptatione divina exsistant, etiam moraliter operari, siquidem operari sequatur esse.

c) Matrimonium, si sub conditione possibili atque honesta de futuro contractum est, *fit ratum* et eo ipso sacramentum, quando conditio impletur, etiamsi contrahentes huius impletionis prorsus sint ignari. Quid igitur gratiam physice causat: utrum consensus, qui tum, cum gratia confertur, non datur, sed fortasse iam pluribus annis ante sub conditione quidem datus est, an eiusdem conditionis impletio? *Item* matrimonium contrahi potest *per procuratorem*, ita ut, quando procurator consensum declarat, ipso illo tempore sacramentum conficiatur atque gratia sanctificans secunda una cum iure ad gratias actuales coniugibus conferatur, quantumvis procul ab invicem sint disiuncti et cum actu ne cogitent quidem de matrimonio ineundo. Quomodo causalitas physica esse potest? Si autem matrimonium *interdum* moralem tantum efficaciam habet, eandem *semper* habere merito censetur, et si *uni* sacramento causalitas tantummodo moralis competit, eandem solam et *ceteris* competere optimo iure existimatur.

Scholion. Multi veteres Thomistae, in his Capreolus, docebant sacramenta non immediate producere gratiam sanctificantem, sed *quandam dispositionem* animae, qua mediante gratia produceretur. Haec dispositio iuxta ipsos in tribus sacramentis est character sacramentalis, in aliis ornatus quidam, qui per sacramenta physice producuntur. Sed hic ornatus aut intelligitur physica qualitas, et tunc non sufficienter servatur differentia inter sacramenta imprimentia characterem et non imprimentia; aut intelligitur moralis tantum denominatio in eo

consistens, quod homo est consecratus per ritum, qui gratiam postulat, et tunc quidem verum dicitur, sed non habetur causalitas physica.

§ II. *De gratia, quam sacramenta conferunt.*

I. *Omnia sacramenta* instituta sunt *ad conferendam gratiam sanctificantem* aut primam aut secundam.

1. Ea sacramenta, quae per se ordinata sunt ad conferendam gratiam sanctificantem *primam*, vocantur *sacramenta mortuorum* i. e. vita supernaturali destitutorum; quae sunt baptismus et poenitentia. Ea sacramenta, quae per se ordinata sunt ad conferendam gratiam sanctificantem *secundam*, vocantur *sacramenta vivorum* i. e. vita supernaturali fruentium; quae sunt omnia praeter baptismum et poenitentiam.

2. *Sacramenta mortuorum per accidens* conferre possunt gratiam sanctificantem secundam seu gratiam sanctificantem augere possunt eamque tum augent, cum is, qui illa suscipit, hanc iam possidet. *Extrema unctio* rursus *ex secundaria institutione* conferre potest gratiam sanctificantem primam. Et hoc quidem certum est. *Cetera sacramenta vivorum* gratiam sanctificantem primam *per accidens* conferre possunt. Quod saltem probabile est. Confertur autem gratia sanctificans prima per extremam unctionem certe et per cetera sacramenta vivorum probabiliter *tum*, cum ille, qui est in statu peccati mortalis, citra culpam gravem *ignorat* se in eo statu esse et ante susceptionem sacramenti actum *imperfectae contritionis* elicit.

II. *De mensura*, qua gratia sanctificans vel prima vel secunda per sacramenta confertur, haec sunt tenenda:

1. Per sacramenta *solo numero distincta* infantibus et adultis *aequaliter dispositis* iuxta sententiam fere communem datur gratia aequalis, i. e. eiusdem gradus vel mensurae. Adultis vero *inaequaliter dispositis* certe datur gratia inaequalis i. e. diversi gradus, et is quidem gradus eo maior vel minor est, quo magis vel minus perfecta est ipsa dispositio.

Probatur: a) Ex Tridentino, quod sess. 6, cap. 7. docet unumquemque in iustificatione accipere iustitiam *secundum* propriam cuiusque *dispositionem et cooperationem*.

Neque obstat, quod idem concilium immediate ante illa verba dicit unumquemque in iustificatione accipere iustitiam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partiatur singulis, prout velit. Nam *voluntas haec* intelligenda *est ea*, qua Spiritus Sanctus statuit per singula sacramenta eum gradum gratiae tribuere, qui uniuscuiusque dispositioni respondeat. Si enim verba illa ita non intelligerentur, concilium sibi ipsi contradiceret.

b) Rationibus congruis. α) Sacramenta gratiam conferunt *ex opere operato* seu ut verae causae, quamvis instrumentales tantum. Unde merito *assimilantur causis naturalibus*. Sed causae naturales plus minusve efficiunt, quo plus minusve dispositum est subiectum, in quod agunt. — β) Per hoc, quod mensura gratiae respondet mensurae dispositionis, homines alliciuntur ad diligentius se disponendos. Homines vero ad id allici summopere decet.

2. Per sacramenta *specie distincta aequaliter dispositis* probabilius vel saltem probabiliter diversus gradus gratiae confertur *pro eorum dignitate et iterabilitate*, ita quidem, ut per sacramenta, quae semel tantum suscipi possunt, forsitan conferatur maior gradus gratiae, etiamsi minoris dignitatis sint, quam sacramentum, quod saepe suscipi potest.

Per sacramenta specie distincta *inaequaliter dispositis* diversum gratiae gradum conferri pro diversa dispositione certum est.

III. Omnia sacramenta etiam *gratiam sacramentalem* conferunt. Si enim hanc non conferrent, aliqua superflua essent et solis ritibus differrent. Est autem gratia sacramentalis ipsa gratia sanctificans, quatenus annexum habet ius ad accipiendas gratias actuales fini uniuscuiusque sacramenti respondentes, seu est ipsum ius gratiae sanctificanti annexum ad illas gratias accipiendas. Sic gratia sacramentalis ordinis presbyteratus est ius gratiae sanctificanti secundae annexum ad accipiendas gratias actuales, quae requiruntur ad officia status sacerdotalis rite et fructuose implenda. Cum ius ad gratias actuales accipiendas in sacramenti susceptione detur, *gratiae actuales ipsae* saltem potissimum *postea dantur*, quando iis opus est idque propter sacramentum quondam susceptum. Una cum gratia sanctificante hoc ius amittitur et etiam recuperatur.

Quamvis eiusmodi gratiae iis quoque conferantur, qui nec respondentia sacramenta susceperunt et illis gratiis egent, tamen iuxta legem ordinariam minus copiosae nec tam singulares conferuntur.

Praeterea aliqui theologi non immerito existimant singulis sacramentis *illas virtutes et dona Spiritus Sancti* prae ceteris vel maiora dari vel iam data augeri, quae fini illorum magis conveniant: baptismo fortasse fidem ac religionem, confirmatione fidem ac fortitudinem, eucharistia caritatem, poenitentia iustitiam et virtutem poenitentiae, extrema unctione spem, ordine prudentiam et zelum, matrimonio temperantiam ac fidelitatem.

ARTICULUS II.

DE SECUNDARIA EFFICACIA ALIQUORUM SACRAMENTORUM.

Tria sacramenta, sc. baptismus, confirmatio, ordo, in anima *imprimunt characterem*, qui iuxta Trident. sess. 7, can. 9. est *signum quoddam spirituale et indelebile.* Unde agendum est:

§ I. *De characteris natura.*

I. Character sacramentalis, cum sit signum spirituale animae impressum, non est mera relatio rationis seu denominatio externa, ut Durandus putavit. Nam haec animae imprimi non potest. Neque est modus ab anima indistinctus, ut contra recentiores quosdam satis communiter tenetur. Nam anima humana et character animae impressus a parte rei et independenter a mentis operatione non habent eandem entitatem physicam. Neque est relatio realis sine fundamento absoluto. Nam relatio realis animae imprimi nequit nisi impresso aliquo absoluto, unde resultet. Consequenter *est qualitas*, cum ad aliud praedicamentum rationabiliter referri non possit. Est autem qualitas *stabilis et supernaturalis.*

II. Character *haec duo* potissimum *praestat:*

1. *Hominem refert ad Christum*, quatenus hic in natura humana fungitur triplici munere, sc. regio, prophetico, sacerdotali. Refert autem hominem ita, ut eum designet ad servitium ipsius Christi regis, prophetae, sacerdotis in Ecclesia, corpore eius mystico, idque in triplici diverso gradu. Primus gradus est *famuli seu subditi Christi regis*, cui servire regnare

est. Et is quidem gradus confertur charactere baptismi. Alter gradus est *militis certantis pro fide Christi prophetae*, qui confertur charactere confirmationis. Tertius gradus est *ministri fungentis vice Christi sacerdotis*, isque confertur charactere ordinis. Et quia character hominem eo modo ad Christum refert seu triplicis muneris Christi participem facit, merito vocatur *signum, quo homo Christo configuratur seu conformatur*.

Hoc igitur non ita intelligendum est, ac si homo per characterem similis reddatur *Christi naturae* sive divinae sive humanae. Nam naturae Christi divinae similis redditur per gratiam sanctificantem et naturae Christi humanae, qua homo iam similis est. Sed hominem per characterem Christo configurari seu conformari significat hominem Christo quodammodo similem reddi *secundum triplex eius munus*.

2. *Hominem deputat ad cultum* in Ecclesia Christi *Deo praestandum*. Nam relatio illa ad Christum hominem regem ac prophetam ac sacerdotem esse non potest, quin simul adsit destinatio una cum Christo homine Deum colendi atque glorificandi. Nam cultus ac glorificatio Dei est finis ultimus omnium hominum, etiam Christi hominis eiusque triplicis muneris. Cultus autem Dei duobus modis peragi potest, sc. divina seu sacra vel agendo vel recipiendo. Itaque per characterem homo deputatur ad divina vel agenda vel recipienda.

Si vero homines per characterem deputantur ad cultum Deo praestandum, eo ipso designantur *ad habendam gratiam sanctificantem*. Nam in praesenti ordine ii soli cultores Deo placent, qui gratia sanctificante sunt ornati. Character igitur *specialem connexionem* habet cum gratia sanctificante.

III. *Character est indelebilis*. Eum esse indelebilem *in hac vita* dogma est, eum etiam *in altera vita* indelebilem esse sententia communis est. Nam, cum sit qualitas et stabilis et supernaturalis animae immortali inhaerens, a nullo alio nisi a Deo destrui potest. Deus autem rem ex se incorruptibilem non destruit, *nisi aliqua ratio id postulet*. Sed nulla ratio est, quae postulet destructionem characteris. *Econtra sufficiens ratio habetur*, quae perpetuam characteris conservationem suadeat et ea quidem est maior gloria beatorum et maior ignominia damnatorum. Itaque ii, qui charactere aliquo sacramentali insigniti sunt, tam in hac quam in altera vita ab iis discernuntur, qui eodem charactere insigniti non sunt.

IV. Omnia hactenus exposita comprehendendo character definiri potest: *signum indelebile animae impressum, quo homo Christo conformatur, ad divina deputatur, ab aliis distinguitur.*

Non pauca ad characterem spectantia inter scholasticos sunt controversa. Sic a plurimis habetur habitus, a Scotistis potentia, a quibusdam patibilis qualitas. Iuxta plerosque recentiores immediate est in essentia animae, iuxta Thomistas in intellectu, iuxta Scotistas in voluntate.

Scholion. Character interdum vocatur *res et sacramentum simul.* Haec denominatio oritur ab eo, quod distinguitur sacramentum tantum, res (sacramenti) tantum, res et sacramentum simul. *Sacramentum tantum* vocatur id sacramenti, quod solum significat, nempe ritus externus. *Res tantum* dicitur illud, quod et per ritum externum producitur neque significat, sc. gratia. *Res et sacramentum simul* appellatur id, quod et per ritum externum producitur et significat. Et hoc quidem est in baptismo, confirmatione, ordine character et in eucharistia corpus Christi sacramentaliter praesens. In illis igitur formulis sacramentum idem est atque signum, res idem atque effectus. Signum autem vocatur sacramentum, quia hoc ad genus signi pertinet.

§ II. *De characteris exsistentia.*

THESIS. **Baptismus, confirmatio, ordo animae characterem imprimunt.**

De fide ex Trid. sess. 7, can. 9: Si quis dixerit in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, a. s.

Opponitur Protestantibus.

Probatur ex Traditione.

1. *Generatim.* A temporibus Apostolorum in Ecclesia semper et ubique creditum est tria sacramenta, sc. baptismum et confirmationem et ordinem valide suscepta *iterari non posse.* Cuius rei ss. Patres, praesertim s. Augustinus in controversia cum Donatistis habita rationem reddiderunt. Et haec quidem ratio est, quod per tria illa sacramenta praeter gratiam et independenter ab hominis dispositione *aliquid indelebile confe-*

ratur, quod hominem in perpetuum obliget Iesu Christo. Quam doctrinam a ss. Patribus acceptam scholastici speculative excoluerunt.

2. *Speciatim.* Baptismus ratione alicuius sui effectus seu aliquis baptismi effectus *vocatur* in constitutionibus Apostolicis [1] sigillum infragile, a s. Basilio [2] sigillum, quod nullo conatu frangi potest, a s. Cyrillo Hieros. [3] signaculum indelebile, a s. Ephraem signum Spiritus Sancti simile sigillo annuli in cera impressi. Ab aliis idem sacramentum ratione eiusdem effectus *comparatur* signaculo militum vel ovium gregalium vel monetarum. Iam vero nullus alius baptismi effectus assignari potest, cui illae denominationes vel proprietates conveniant, nisi baptismalis character.

Ex Scriptura afferri solent aliqui textus, qui ad summum argumentum probabile continent, iique sunt:

2. Cor. 1, 21. 22: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus; qui et signavit* (σφραγισάμενος) *nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Quae verba ab aliquibus ita explicantur: Unctio, qua Deus *unxit nos*, est gratia creata; *pignus Spiritus*, quod dedit in cordibus nostris, est ipse Spiritus Sanctus, qui est gratia increata; illud, quo *signavit* nos, est tertium quoddam, a gratia tam creata, quam increata distinctum, et quidem σφράγισμα i. e. sigillum seu signum impressum et hoc est character sacramentalis. — Ab aliis vero aliter explicantur; a Cornely e. g. sic [4]: « Vocationem igitur et praeparationem ad munus apostolicum vel potius muneris apostolici collationem eamque Spiritus S. communicationem, quae ad illud rite obeundum requiritur, intelligit... Obsignationem apostolicam ergo collatione charismatum Spiritus S. factam esse rectissime dicemus ».

Eph. 1, 13: *Credentes signati estis* (ἐσφραγίσθητε) *Spiritu promissionis Sancto.* — Eph. 4, 30: *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis* (ἐσφραγίσθητε) *in diem redemptionis.* — Hos textus aliqui ss. Patres, in his s. Ambrosius [5] et s. Chrysostomus [6], quamplurimi theologi et ipse catechismus Romanus de charactere sacramentali explicarunt. Imo dubitandum non est ipsam appellationem characteris ex iisdem locis desumptam fuisse.

---

[1] l. 3, c. 16.
[2] Hom. in bapt. n. 5.
[3] Catech. 17.
[4] Cursus Script. S. Comment. in 2. Cor. pag. 48 et 49.
[5] De Sp. S. l. 1, c. 6, n. 78.
[6] Hom. 2. in ep. ad Eph. n. 1.

CAPUT VI.

De Subiecto Sacramentorum.

THESIS. I. **Subiectum capax recipiendi sacramenta cum effectu est solus homo viator; non tamen omnis homo est subiectum capax omnium sacramentorum.**

Explicatur et probatur I. pars. 1. *Creatura irrationalis* sacramentum non potest sacramentaliter suscipere, quia, licet signum sacramentale in se recipere possit, nullum tamen huius *effectum* obtinere potest. Effectus autem ad sacramentum *essentialiter* pertinet, cum sacramentum sit signum efficax.

2. *Angelus et anima separata* sacramentum suscipere non possunt, tum quia signum externum *non est aptum medium* ad sanctificandas creaturas corporis expertes, tum quia sacramenta a Christo tradita sunt *ecclesiae militanti*, ad quam angeli et animae separatae non pertinent, tum quia hi sunt *extra statum viae* et consequenter iustitiae sive acquirendae sive augendae incapaces.

Eucharistia vocatur *panis angelorum*, qua appellatione in vetere testamento (Ps. 77, 25 et Sap. 16, 20) manna notabatur, quia idem Christus, qui est cibus hominum viatorum per sacramentum, cibus angelorum est per visionem beatificam.

Verba s. Pauli 1. Cor. 15, 29: *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis* (ὑπὲρ νεκρῶν), *si omnino mortui non resurgunt?* non sunt intelligenda cum Bambaud et Schmoeger eo sensu, quod primis fidei temporibus ex speciali Christi institutione per baptismum a vivis pro defunctis susceptum integri huius sacramenti effectus animabus defunctorum fuerint applicati, simili modo, quo iisdem indulgentiae applicantur. Sed potius interpretanda sunt aut de vano et superstitioso conamine id praestandi aut de ablutione pro catechumeno defuncto suscepta in eum tantum finem, ut testimonio sit hunc in fide Christi defunctum ac proinde suffragiis fidelium dignum esse, aut alio modo, e. g. sic: ὑπὲρ νεκρῶν in communionem mortuorum et communem spem resurrectionis.

Explicatur et probatur II. pars. 1. *Baptismi* capax est omnis homo nondum baptizatus. Matth. 28, 19. Marc. 16, 15. 16. Cetera sacramenta valide recipi nequeunt nisi a baptizato.

2. *Confirmationis et eucharistiae* capax est quilibet homo baptizatus, *ordinis* quilibet mas baptizatus. Ita Benedictus XIV. in bulla: « Eo quovis tempore ».

3. *Poenitentia et extrema unctio,* cum instituta sint ad delenda peccata personalia, ab eo recipi nequeunt, qui ea peccata numquam commisit.

4. *Matrimonium,* quia est contractus, ab iis iniri nequit, qui inhabiles sunt aut ad contractum faciendum aut ad huius contractus obiectum praestandum.

THESIS II. **Ad validam sacramentorum susceptionem in adultis requiritur intentio; non requiritur, si poenitentiam excipias, probitas vel fides.**

Explicatur et probatur I. pars. 1. In iis, *qui usum rationis numquam habuerunt, nulla intentio* requiritur. Nam, si haec requireretur, nullum sacramentum valide suscipere possent. Sed hoc adversatur constanti atque universali doctrinae et praxi Ecclesiae. Decet quoque eos, qui sine propria voluntate in peccato sunt, etiam sine propria voluntate a peccato liberari posse.

2. In iis, qui *usum rationis aut habent aut aliquando habuerunt,* ad sacramenta valide suscipienda *aliqua intentio* requiritur. Unde non sufficit « voluntas neutralis », qua quis susceptioni sacramenti tantummodo non adversatur, ut Caietanus voluit, sed requiritur *positiva* voluntas suscipiendi sacramentum, *eaque seria.* Requiritur tamen in sacramenti subiecto generatim minor voluntatis concursus, quam in sacramenti ministro, siquidem voluntas subiecti non, ut voluntas ministri, influit in sacramenti confectionem, sed requiritur solum, ut acceptatio doni divini sit libera. Libera autem acceptatio continetur in voluntate non solum actuali et virtuali, sed etiam habituali, i. e. aliquando habita et non retractata, etiamsi haec sit implicita tantum, i. e. ea quae contineatur in voluntate faciendi vel suscipiendi omnia, quae ad salutem sunt necessaria vel vivendi et moriendi more catholico.

Quodsi in aliquo sacramento actus eorum, qui illud suscipiunt, habent rationem vel materiae et formae, ut in matrimonio, vel materiae tantum, ut iuxta plurimos in poenitentia, *intentio habitualis* in iis *non est sufficiens.* Nam tunc voluntas eorum in confectionem sacramenti influit.

3. *In adultis* ad sacramenta valide suscipienda aliquam intentionem requiri praeter alia patet *ex Tridentino,* quod sess. 6, cap. 7. docet iustificationem fieri per *voluntariam* susceptionem gratiae et donorum, et *ex communi doctrina theo-*

logorum et ex eo, quod summopere *decet* homines usum rationis habentes non sanctificari sine ipsorum voluntate et consensu.

Explicatur et probatur II. pars. 1. Ad sacramenta *licite et cum fructu* recipienda in adultis fidem et probitatem seu dispositionem requiri manifestum est. In quo haec dispositio respectu sacramentorum sive mortuorum sive vivorum consistat, explicatur in compendiis moralibus.

2. Ad sacramentum *poenitentiae valide* suscipiendum fidem et probitatem seu dispositionem requiri ex eo efficitur, quod illud sacramentum requirit actus poenitentis aut ut materiam sacramenti, ut plurimi tenent, aut saltem ut conditionem sine qua non.

3. Ad *cetera* sacramenta *valide* suscipienda *fidem et probitatem non requiri*

probatur: a) Ex definitionibus multorum *conciliorum et pontificum* docentium haereticos valide baptizari, confirmari, ordinari. Sic concilium Nicaenum I. can. 8. statuit, ne Cathari conversi iterum baptizarentur, neve eorum sacerdotes iterum ordinarentur. Supponit igitur illud concilium sacramentum susceptum sine vera fide et consequenter sine ulla supernaturali dispositione validum esse.

b) Ex testimonio *s. Augustini,* qui scribit [1]: « Si inter baptizatos aliquis existat, qui se fateatur malam, cum baptizaretur, habuisse conscientiam... denuo baptizandum esse censebitis? Nequaquam hoc dicturus, nequaquam facturus es ». Baptismi ergo puritas a puritate vel immunditia conscientiae sive dantis sive accipientis prorsus distincta est.

Thesis III. **Aliqua sacramenta valide quidem, sed propter obicem gratiae infructuose suscepta obice remoto reviviscunt.**

Explicatur et probatur. 1. Si quis sacramentum valide quidem suscipit, sed caret dispositione, quae requiritur ad gratiam sanctificantem per sacramentum accipiendam, hanc gratiam eo tempore, quo sacramentum suscipit, certe non acquirit. Sin vero tempore insequenti illam dispositionem habebit, eodem tempore vi sacramenti antea suscepti gratia sanctificans una

---

[1] Contra litt. Petil. l. 2, c. 35, n. 82.

cum respondente gratia sacramentali dari poterit. Quae si datur, sacramentum *reviviscere* dicitur. Id fieri potest, quia, licet sacramentum ipsum eo tempore physice non iam exsistat, exsistit tamen ex sacramento valide suscepto *titulus quidam iuris* ad gratiam recipiendam, cum primum dispositio necessaria adest seu obex gratiae removetur. Qui quidem titulus respectu eorum sacramentorum, quae characterem imprimunt, ipso charactere nititur vel continetur.

2. Ex sacramentis ita *reviviscere possunt:*

a) Certe baptismus. Si enim baptismus reviviscere non posset, ii homines, qui hoc sacramentum cum obice gratiae et consequenter infructuose receperunt, remissionem *gravium peccatorum ante baptismum commissorum* obtinere non possent. Nam peccata ante baptismum commissa non possunt deleri per sacramentum poenitentiae, sacramentum baptismi bis suscipi nequit, caritas vel contritio perfecta vim delendi peccata ante baptismum commissa solummodo habet, quatenus in ea continetur desiderium seu votum saltem implicitum suscipiendi sacramentum baptismi; sed hoc desiderium in eo, qui iam baptizatus est, rationabiliter ac licite esse nequit, cum non liceat id desiderare, quod non licet recipere.

Hinc theologi communiter reviviscentiam baptismi admittunt et iam s. Augustinus scribit [1]: « In illo, qui fictus accesserat, fit, ut non denuo baptizetur, sed ipsa pia correctione et veraci confessione purgetur, quod non posset sine baptismo, ut, quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit ».

b) Probabilius confirmatio et ordo. Haec enim sacramenta ex una parte conferunt gratiam sacramentalem sibi omnino propriam, ex altera vero parte iterari non possunt. Ergo, si non reviviscerent, homines, qui ea indigne susceperunt, per totam vitam *carere deberent gratiis statui ipsorum convenientibus* iisque ordinariis, id quod cum ordine divinae providentiae vix conciliari posse videtur.

Confirmationem et ordinem reviviscere posse iuxta Noldin valde probabile est, iuxta Egger communiter affirmatur, iuxta Gury uti certum admittitur.

c) Probabiliter extrema unctio perdurante eo morbo periculoso, in quo suscepta est, et sacramentum *matrimonii*

[1] De bapt. contra Donat. l. 1, c. 12, n. 18.

permanente eodem coniugio. Nam et haec duo sacramenta gratiam sacramentalem sibi propriam conferunt nec durante eodem morbo periculoso eodemve coniugio iterari possunt. Ratio autem, cur reviviscentia extremae unctionis et matrimonii non aeque probabilis est ac reviviscentia confirmationis et ordinis, in eo potissimum sita est, quod haec sacramenta characterem imprimunt, in quo virtualiter perseverant, illa non imprimunt.

Quia probabile est extremam unctionem posse reviviscere, haec numquam danda est sub conditione: *si es dispositus*. Nam, si hoc fit, invalida est, si subiectum est indispositum, et id, quod invalidum est, reviviscere nequit.

Eucharistia, quae quotidie suscipi potest, reviviscere posse *non videtur*. Lehmkuhl dicit id a nullo admitti, Egger asserit id communius negari, Noldin ait non adeo probabile esse hoc etiam sacramentum remoto obice reviviscere. Aliqui graves theologi, in his Suarez, de Lugo, s. Alphonsus [1], censent hominem, qui cum peccato mortali accedat ad s. communionem et deinde, priusquam species consumptae sint, imperfectam contritionem eliciat, vi eucharistiae susceptae gratiam sanctificantem accipere.

Poenitentiae reviviscentia ab eo dependet, utrum ipsa possit esse valida et simul infructuosa seu informis necne. Et hoc dependet a quaestione controversa, utrum ad valide suscipiendam poenitentiam sufficiat dolor supernaturalis de peccato ex motivo, quod huic peccato speciale sit, an requiratur dolor ex motivo, quod omnibus peccatis gravibus commune sit. Si enim dolor ex motivo speciali seu particulari sufficit, fieri potest, ut quis reus e. g. incastae delectationis morosae et indignae communionis, illius sine gravi culpa immemor et de hac sola ob turpitudinem ipsi specialem dolens eamque confitens, sacramentum poenitentiae recipiat *hinc valide*, cum omnia adsint, quae ad valorem sacramenti requiruntur, *illinc infructuose*, cum et delectatio illa morosa ob defectum doloris eam includentis remitti nequeat et, si unum peccatum mortale non remittitur, nullum remittatur. Iam vero ii, qui censent id fieri posse, etiam tenent in eo casu poenitentiam posse reviviscere.

Quoad dispositionem, quae requiritur, *ut* sacramenta informia postea *reviviscant*, distinguendum est inter sacramenta vivorum et mortuorum. In *sacramentis vivorum*, excepta unctione extrema, requiritur aut contritio perfecta aut contritio imperfecta seu attritio cum absolutione. In *sacramentis mortuorum* et in extrema unctione sufficit attritio, nisi vel sacrilegium in susceptione vel grave peccatum post susceptionem commissum est. Si enim unum alterumve commissum est, idem requiritur, quod in sacramentis vivorum.

[1] l. 6, n. 87, et n. 444.

PARS SECUNDA.

DE BAPTISMO.

Praenotanda de nominibus et notione baptismi.

I. *Nomen* baptismi seu baptismatis, derivatum a verbo « βαπτίζειν », quod significat immergere vel abluere, *in s. Scriptura* accipitur sensu proprio et metaphorico.

1. *Sensu proprio* acceptum significat lotionem sive profanam sive sacram et eam quidem sive exterius sacrantem sive interius sanctificantem.

Lotio profana significari videtur, cum dicitur 2. Esdr. 4, 23: *Ego* (Nehemias) *autem et fratres mei et pueri mei... non deponebamus vestimenta nostra* (in aedificando muro circa Ierusalem); *unusquisque tantum nudabatur ad baptismum.* — Lotio sacra exterius sacrans significatur, cum dicitur Hebr. 9, 10 Iudaeos Deo serviisse variis baptismatibus et iustitiis carnis. — Lotio sacra interius sanctificans significatur, cum dicitur Rom. 6, 4: *Consepulti enim sumus cum illo* (Christo) *per baptismum in mortem* (peccati).

2. *Sensu metaphorico* acceptum significat copiam sive malorum sive gratiarum.

Copia malorum significatur Marc. 10, 38, ubi Christus dixit Iacobo et Ioanni, filiis Zebedaei: *Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* — Copia gratiarum significatur Act. 1, 5, ubi Christus post resurrectionem suam dixit Apostolis: *Quia Ioannes quidem baptizavit aqua; vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies.*

II. Baptismus interpretatus lotio sacra interius sanctificans est *sacramentum*, de quo hic agitur. Hoc a catechismo Romano *breviter definitur:* sacramentum regenerationis per aquam in verbo. *Explicatius autem atque accuratius definitur:* sacramentum novae legis, quo per ablutionem exteriorem corporis sub invocatione Ss. Trinitatis homo supernaturaliter regeneratur.

III. Sacramentum baptismi in s. Scriptura vel a ss. Patribus *appellatur:*

1. *Ex parte materiae:* lavacrum aquae et tinctio.

Eph. 5, 25. 26: *Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae.*

2. *Ex parte formae:* sacramentum Trinitatis.

3. *Ex parte effectuum:* lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti; illuminatio (ratione fidei infusae, — praesertim apud Graecos et quidem passim); sigillum vel signaculum (ratione characteris impressi).

Tit. 3, 5: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.*

CAPUT I.

De Exsistentia Baptismi.

THESIS. **Baptismus est verum novae legis sacramentum.**

Probatur: I. Ex Scriptura.

Io. 3, 5: *Respondit Iesus* (Nicodemo): *Amen, amen dico tibi: nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto* (πνεύματος), *non potest introire in regnum Dei.* — Matth. 28, 18. 19: *Et accedens Iesus locutus est eis* (undecim discipulis): *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* — Marc. 16, 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.*

Ex his locis colligitur in baptismo omnia adesse, quae ad sacramentum constituendum requiruntur, sc. *signum externum, collationem gratiae* per hoc signum factam, *institutionem Christi* et eam quidem in perpetuum valituram. Nam:

1. Verbis aquae et baptizandi exprimitur *signum externum.* Haec enim verba *proprie* intelligenda esse praeter alia patet ex eo, quod Apostoli postea homines aqua naturali abluebant, qui hoc ritu a peccatis mundarentur et in Ecclesiam reciperentur.

Act. 8, 36. 38: *Et dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam, et ait eunuchus* (Philippo diacono): *Ecce aqua; quid prohibet me baptizari? Et iussit stare currum, et descenderunt uterque in aquam: Philippus et eunuchus, et baptizavit eum.* — Act. 10, 47: *Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi* (Cornelius eiusque cognati et amici), *qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut et nos?*

2. Signo illo externo confertur *gratia* et ea quidem gratum faciens, praesertim gratia sanctificans. Nam Christus dixit Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* E contrario dixit undecim discipulis: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Ergo per baptismum ut causam instrumentalem (et per Spiritum Sanctum ut causam principalem) salus obtinetur, i. e. vita supernaturalis, quae est in hac vita gratia sanctificans et in altera vita gloria coelestis.

Nota. Πνεῦμα intelligendum est *Spiritus Sanctus.* Nam nasci ex Spiritu numquam in Scriptura alium sensum habet, nisi nasci ex Spiritu Sancto, ut patet e. g. ex Tit. 3, 5 supra cit.

3. Baptismus *a Christo institutus* est idque lege stabili seu ita, ut *in perpetuum* valeat. Baptismum a Christo institutum esse apparet immediate ex verbis Christi undecim discipulis dictis; eundem lege stabili esse institutum ex eo colligitur, quod ex una parte iuxta verba Christi nemo sine baptismo salvatur, et ex altera parte iuxta voluntatem Christi omnes homines usque ad finem mundi salvandi sunt.

II. Ex Traditione. *Ss. Patres* de baptismo non solum obiter locuti sunt, sed integros tractatus imo interdum libros scripserunt, ut Tertullianus, ss. Ambrosius, Augustinus, Basilius, Cyrillus Hieros. — Doctrina duodecim Apostolorum (Διδαχὴ τῶν δώδεκα ἀποστόλων, verisimiliter exeunte saeculo primo imo probabiliter iam paulo post medium eiusdem saeculi exorta, anno 1873 a Bryennio metropolita Nicomedensi reperta) c. 7. haec habet: (« Quod baptismum attinet, baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti in aqua viventi (i. e. fluente). Nisi autem habeas aquam viventem, in alia aqua baptiza; nisi potes in frigida, (baptiza) in calida. Si neutram habes (ad immergendum), effunde in caput ter aquam in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Scholion I. De tempore, quo sacramentum baptismi institutum est.

Sacramentum baptismi verisimiliter institutum est *ante passionem Christi,* tempore, quod exacte determinari non potest. Nam:

1. Discipuli Christi iam ante eius passionem *baptismum administrabant,* ut apparet ex Io. 4, 1-3, ubi legitur: *Ut ergo*

cognovit Iesus, quia audierunt Pharisaei, quod Iesus plures discipulos facit et baptizat, quam Ioannes, (quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius), reliquit Iudaeam. Sed hic baptismus a discipulis Christi nomine ipsius administratus non fuit baptismus sive Ioannis Baptistae, sive Christi mere caeremonialis; ergo fuit baptismus Christi sacramentalis.

Illum non fuisse *baptismum Ioannis* patet ex querela discipulorum eius et ex responso ipsius Ioannis. Eum fuisse baptismum mere *caeremonialem* gratis fingitur. Insuper instituere baptismum caeremonialem Christum vix decebat. Et, si institutus fuisset, multi homines ter fuissent baptizati, sc. baptismo Ioannis, baptismo Christi caeremoniali, baptismo Christi sacramentali, id quod superabundare videtur.

Io. 3, 25 sqq.: *Et venerunt ad Ioannem et dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum. Respondit Ioannes et dixit: Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de coelo. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: Non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum... Illum oportet crescere, me autem minui.* — Potestas igitur baptizandi Christo non a Ioanne, sed de coelo data est. Secus Ioannes per hoc, quod Christus ipsius baptismo baptizasset, non minutus, sed exaltatus fuisset.

2. Apostoli ante passionem Christi *ss. eucharistiam susceperunt,* quod a tribus synopticis expresse narratur. Praeterea eodem tempore instituti sunt sacerdotes. Nam Tridentinum sess. 22, de sacrificio Missae can. 2. ait: Si quis dixerit illis verbis: hoc facite in meam commemorationem Christum non instituisse Apostolos sacerdotes... a. s. Quis autem credere potest ipsum Christum ss. corpus suum porrexisse non baptizatis et consequenter illius sacramentaliter suscipiendi incapacibus eundemque Christum nondum baptizatos instituisse sacerdotes?

Scholion II. De iis, quos Christus per seipsum baptizasse censetur.

Generatim quidem Christus manu sua *non baptizavit,* ut patet ex verbis s. Ioannis: *quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius.* Hoc tamen non impedit, quominus *paucos* per se ipsum baptizasse existimari possit. Sic s. Augustinus putat Christum propria manu omnes Apostolos baptizasse, alii solum s. Petrum vel etiam matrem suam.

Scholion III. De figuris baptismi Christiani.

Praecipuae figurae sacramenti baptismi fuerunt:

1. *Transitus* populi Israel *per mare rubrum* (Exod. 14.), quo liberatus est ex servitute Aegyptiaca. — Sic per baptismum liberamur ex servitute daemoniaca.

2. *Transitus* populi Israel *per Iordanem* (Ios. 3, 14-17), quo ingressus est terram Chanaan. — Similiter per baptismum ingredimur Ecclesiam.

3. *Lotio Naaman Syri in Iordane* (4. Reg. 5, 14), qua mundatus est a lepra. — Sic baptismo mundamur a lepra peccati.

4. *Lotiones legales Iudaeorum*, quibus auferebantur eorum immunditiae legales. — Per baptismum auferuntur immunditiae peccatorum.

5. *Circumcisio*, quae indirecte conducebat ad acquirendam gratiam sanctificantem. — Baptismus gratiam sanctificantem directe confert.

6. *Baptismus Ioannis Baptistae*, quod erat signum poenitentiae de peccatis atque spei in Messiam venturum et, ut s. Thomas ait [1], *quoddam sacramentale* disponens ad baptismum Christi.

Baptismus Ioannis vel maxime baptismum Christianum manifestavit, cum ipse Christus a Ioanne baptizatus est (Matth. 3, 13-17.). Tunc enim illius non solum materiam, sed etiam formam designavit eiusque effectus declaravit. *Forma* enim designata est per hoc, quod Sanctissima Trinitas se ipsam manifestavit: Pater se manifestavit voce de coelo dicente: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Nam Persona divina, quae Christum appellavit suum Filium, non potest esse nisi Persona Patris. Filius incarnatus oculis visus est. Spiritus Sanctus specie columbae apparuit. *Effectus* autem sacramenti baptismi declaratus est voce dicente: *Hic est Filius meus dilectus* et aperto coelo. Nam per baptismum efficimur filii Dei adoptivi, sicut Christus est Filius Dei naturalis, et haeredes gloriae coelestis.

CAPUT II.

De Materia et Forma Baptismi.

THESIS I. **Materia remota baptismi est aqua naturalis.**

De fide ex Trid. sess. 7, de bapt. can. 2: Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi,

[1] 3, q. 38, a. 1. ad 1.

atque ideo verba illa Domini nostri Iesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto ad metaphoram aliquam detorserit, a. s.

Opponitur nonnullis haereticis veteribus, praesertim Manichaeis, qui ad sanctificandos homines aqua uti nolebant, *et variis haereticis modernis,* qui opinantur aquam de necessitate baptismi non esse.

Thesis haec in compendiis theologiae moralis uberius explicari solet, in thesi praecedenti firmata est argumentis satis gravibus, quibus addi potest perpetua et *universalis praxis* omnium fere Christianorum, quae elucet ex libris ritualibus. Unde hic solummodo:

Probatur rationibus congruis, quarum prima desumitur *ex parte necessitatis,* ceterae *ex parte effectuum* baptismi.

Aqua est materia baptismi *apta.* Nam:

1. Aqua *est obvia et communis,* unde apte electa est materia sacramenti omnibus et maxime necessarii.

2. Aqua *emundat corpus* sordibus: baptismus emundat animam peccatis.

3. Aqua *refrigerat calorem:* baptismus mitigat concupiscentiam.

4. Aqua quadamtenus *transmittit lucem:* baptismus infundit fidem.

5. In aqua *homo vivere nequit,* unde baptismus, potissimum, si fit per immersionem, apte repraesentat sepulturam hominis veteris i. e. peccatoris.

Col. 2, 12: Consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis.

Thesis II. **Materia proxima baptismi est ablutio aquae, quae non solum per immersionem, sed etiam per infusionem vel aspersionem fieri potest.**

Thesis *quoad 1. partem de fide* est, *quoad 2. partem saltem ad fidem pertinet,* quatenus enuntiat Ecclesiae Romanae de baptismo doctrinam, quae iuxta Trid. sess. 7, can. 3. vera habenda est.

2. Pars thesis *opponitur Graecis schismaticis.*

Explicatur: 1. Ut habeatur ablutio, requiritur *contactus physicus* aquae cum corpore et is quidem *successivus,* i. e. contactus, qui fit per motionem aquae super corpus. Si igitur

baptismus confertur per aspersionem, haec tanta esse debet, ut aqua super baptizandum *fluat.*

Trina ablutio de necessitate sacramenti non est. Nam *a)* numerus ablutionum se habet per modum accidentis. *b)* Gregorius M. approbavit praxim ecclesiae Hispanicae una immersione utendi.

2. Usque ad saeculum 13. baptismus in tota Ecclesia fieri solebat *per immersionem,* qui modus baptizandi saltem multo perfectius, quam duo alii modi, significat sepulturam et resurrectionem spiritualem. Postea tamen in Ecclesia occidentali hic modus baptizandi magis magisque in desuetudinem abiit, quamquam ne nunc quidem absolute illicitus est, ut apparet ex rituali Romano.

3. *Ratio,* cur in Ecclesia latina *immersio abolevit* et infusio in consuetudinem venit, est, quia immersio saepe magnam habet difficultatem, imo interdum nullo pacto fieri potest. Quae quidem difficultas vel etiam impossibilitas oriri potest ex defectu sufficientis copiae aquae, ex asperitate frigoris, ex infirmitate baptizandi, ex multitudine baptizandorum etc.

Probatur I. pars. Materiam proximam baptismi esse ablutionem aquae luculenter patet ex Matth. 28, 19: *baptizantes eos;* ex Eph. 5, 26: *mundans lavacro aquae;* Tit. 3, 5: *per lavacrum regenerationis* etc.

Probatur II. pars. Baptismum non solum per immersionem, sed etiam per infusionem et aspersionem *valide* fieri posse ex eo colligitur, quod *iam primis Ecclesiae temporibus* interdum, praesertim aegrotis hoc modo conferebatur et ab Ecclesia validus habebatur. Si autem ita collatus interdum validus est, semper validus est.

Baptismus aegrotorum absque immersione factus antiquitus tam notus erat, ut proprio nomine appellaretur *baptismus clinicorum,* cuius validitatem Conc. Neocaes. a. 314 declaravit. — Cf. ea, quae in thesi I. citata sunt ex « Doctrina duodecim Apostolorum ». — S. Cyprianus scripsit Magno [1]: « Nec quemquam movere debet, quod aspergi vel perfundi videntur aegri, cum gratiam dominicam consequuntur, quando Scriptura s. per Ezechielem prophetam loquatur et dicat: Et aspergam super vos aquam mundam... (Ezech. 36, 25). Unde apparet aspersionem quoque aquae instar salutaris lavacri obtinere ». Imo vix est verisimile tria millia circiter hominum Hierosolymis uno die per immersionem baptizatos fuisse, (Act. 2, 41) et probabile est cu-

[1] Ep. 69, n. 12.

stodem carceris cum tota familia sua (Act. 16, 33) fuisse baptizatum per infusionem vel aspersionem.

Baptismum aliter ac per immersionem ab Ecclesia *licite* fieri posse ex eo apparet, quod nulla lex divina contraria exstat.

THESIS III. **In forma baptismi essentialis est distincta expressio Dei unius et trini.**

Certum est ex Trid. sess. 7. de bapt. can. 4. supra citato (Art. II. thes. II.). *Opponitur aliquot veteribus haereticis*, ut Gnosticis, Montanistis, Sabellianis, qui in forma baptismi pro nomine ss. Trinitatis alia verba ponebant, — *Luthero et Calvino*, qui docebant baptismum validum esse, modo ne in nomine hominis, sed in nomine Domini tradatur, — *Petro Lombardo* paucisque aliis theologis, qui putabant validum esse baptismum collatum verbis: ego te baptizo in nomine Iesu vel Christi.

Probatur: I. Ex Scriptura. Matth. 28, 19: *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* « Quorum verborum obvius et maxime naturalis sensus est, ut haec verba sint forma baptismi. Cur enim Christus expresse tres Personas nominat, si solum voluit dicere: Baptizate in nomine i. e. auctoritate Dei vel in nomine meo »? Pesch.

Praeterea Pelagius II., Romanus pontifex, exeunte saec. 6. ad Gaudentium scripsit: « Evangelicum... praeceptum... nos admonet in nomine Trinitatis... sanctum baptisma unicuique tribuere, dicente Domino discipulis suis: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

« Insuper Ecclesia... universa in doctrina et praxi verba Christi semper ita intellexit, ut distincta expressio Trinitatis sit essentialis forma baptismi. Ergo, quamvis ex solo textu evangelico non tam clare appareat, num Christus verba: « in nomine Patris »... formam baptismi esse voluerit, tamen hoc est certum ex mente Ecclesiae ». Pesch.

II. Ex Traditione et mente Ecclesiae.

1. *Ex ss. Patribus.* Auctor Doctrinae duodecim Apostolorum (c. 7.) scribit: « Baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». — Tertullianus (de baptismo n. 13): « Lex tingendi imposita est et forma praescripta. Ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Et adv. Praxeam cap. 26: « Ter, ad singula nomina in Personas singulas tingimur ». — S. Ambrosius de myst. cap. 5, n. 14:

« Venit sacerdos, precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen, praesentiam Filii et Spiritus Sancti; utitur verbis coelestibus. Coelestia verba quae? Christi sunt, quod baptizemus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

2. *Ex praxi Ecclesiae.* Ecclesia, quotiescunque agebatur de baptismo haereticorum vel approbando vel reiiciendo, ante omnia quaerere solebat, utrum forma evangelica fuisset servata necne; et si constabat eam servatam non fuisse, declarabat baptismum fuisse nullum et consequenter esse repetendum.

Ita e. g. Concilium Arelatense I. anno 314. habitum can. 8. de baptismo haereticorum haec statuit: « Placuit, ut, si aliquis de haeresi venerit, interrogent eum symbolum, et si perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu S. esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum S Quodsi interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur ». (D. 16). — Concilium Nicaenum I. can. 19. Paulianistas iussit rebaptizari, non vero Novatianos, cuius rei rationem reddit Innocentius I., quia Novatiani in nomine Patris et Filii et Spiritus S. baptizabant, Paulianistae minime. (D. 20 et 63).

III. Ratione congrua. Baptismus est sacramentum fidei et ianua Ecclesiae; ergo *convenit* eum conferri cum expressa invocatione Ss. Trinitatis, cuius professio est compendium totius fidei.

Scholion. Ex Act. 2, 38; 8, 12. 16; 10, 48 constat aetate Apostolica homines *in nomine Iesu* fuisse baptizatos. Hoc non significat tunc temporis solum nomen Iesu in forma baptismi adhibitum fuisse, sed baptismum collatum fuisse *auctoritate a Christo accepta* seu homines fuisse baptizatos baptismo a Christo instituto. Errasse igitur videntur coryphaei scholasticorum (Albertus M., Alexander Hal., s. Thomas, s. Bonaventura), qui putarunt aetate Apostolica ex dispensatione divina baptismum validum fuisse, si in eius forma loco nominis Patris et Filii et Spiritus Sancti solum nomen Iesu expressum fuisset, idque a Deo sic ordinatum fuisse, ut nomini Iesu apud Iudaeos maior reverentia conciliaretur.

Difficultas quaedam oritur ex aliquo textu s. Ambrosii et responsione Nicolai I., qui a Bulgaris interrogatus erat de valore baptismi a Iudaeo quodam collati.

Verba s. Ambrosii sunt haec[1]: « Plenum est (baptisma), si Patrem et Filium et Spiritum Sanctum fatearis. Si unum neges, totum subrues. Et

[1] De Spir. S. l. 1, c. 3, n. 42.

quemadmodum, *si unum in sermone comprehendas,* aut Patrem aut Filium aut Spiritum Sanctum, fide autem nec Patrem nec Filium nec Spiritum Sanctum abneges, plenum est fidei sacramentum; ita, quamvis et Patrem et Filium et Spiritum Sanctum dicas et aut Patris aut Filii aut Spiritus Sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium». — At his verbis *non agitur de forma baptismi,* sed de fide ac fidei professione suscipientis baptismum. Sensus eorum est hic: Is, qui recte profitetur unam Personam divinam, fructum baptismi suscipere potest, cum in una Persona aliae contineantur. E contrario is, qui omnes quidem Personas ore profitetur, sed haeretice de una sentit, iustificari non potest. — *Hunc esse sensum* illius textus *colligitur* ex istis verbis, quae in eo continentur: 1. *Si unum in sermone comprehendas, aut Patrem aut Filium aut Spiritum Sanctum,... plenum est fidei sacramentum.* Numquam autem assertum est in solo nomine Patris aut Spiritus Sancti baptismum valide conferri posse. 2. *Quamvis et Patrem et Filium et Spiritum Sanctum dicas et aut Patris aut Filii aut Spiritus Sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium.* Sed hoc verum non est de ministro, qui formam sacramentalem profert, sed de subiecto, quod sacramentum suscipit. Nam qui non recte credit, potest valide baptizare, sed non potest baptismo iustificari. Ergo verba illa de forma baptismi intelligenda non sunt, praesertim, cum s. Ambrosius alibi pro valore baptismi diserte requirat distinctam expressionem Ss. Trinitatis.

Verba Nicolai I. haec sunt: «A quodam Iudaeo, nescitis utrum Christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos esse asseritis et, quid de iis agendum sit, consulitis. Hi profecto si in nomine Sanctae Trinitatis *vel tantum in Christi nomine,* sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius), constat eos non esse denuo baptizandos. Sed primum, utrum Christianus an paganus ipse Iudaeus exstiterit, vel si postmodum fuerit factus Christianus, investigandum est, quamvis non praetereundum esse credamus, quid beatus de baptismo dicat Augustinus: Iam satis, inquit, ostendimus ad baptismum, qui verbis evangelicis consecratur, non pertinere cuiusquam dantis vel accipientis errorem, sive de Patre sive de Filio sive de Spiritu Sancto aliter sentiat, quam doctrina coelestis insinuat»... — Horum verborum «verus sensus videtur esse hic: Utrum baptismus a Iudaeo collatus valeat necne, pendet ex intentione Iudaei baptizantis. Si enim vere voluit baptizare i. e. non suo nomine, sed nomine Ss. Trinitatis vel saltem Christi illam actionem ponere, valide baptizavit. Ut autem cognoscatis, quae fuerit Iudaei mens, debetis inquirere, utrum ipse conversus fuerit ad religionem Christianam. Quodsi ita sit, certe habuit intentionem nomine Christi baptizandi. Sed licet rectam fidem non habuerit, potuit tamen in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti valide baptizare, ut s. Augustinus testatur. — Haec sane explicatio magis quam ulla alia naturali sensui verborum satisfacit et pontificem ab omni macula erroris immunem relinquit. Etiam eo commendatur, quod pontifex non erat interrogatus de forma baptismi sed de persona ministri; unde recte respondit ex parte ministri omnia pendere ex eius intentione; baptismum autem conferri debere per distinctam expressionem Trinitatis supponit, quia provocat ad Augustini doctrinam baptismum valere, si

conferatur evangelicis verbis (Matth. 28, 19), licet minister de Patre vel de Filio vel de Spiritu Sancto aliquid falsi sentiat. Ceterum verissimum est illa verba « vel tantum in nomine Iesu » non esse definitionem ex cathedra, immo totum responsum ita compositum est, ut nulla indicia prae se ferat alicuius definitionis ex cathedra; quare in eo a vero aberrare per se pontifex potuit, sed eum re vera errasse ostendi nequit ». Pesch [1].

CAPUT III.

De Ministro Baptismi.

THESIS. **Quilibet homo valide baptizare potest.**

De fide ex ordinario magisterio Ecclesiae et ex Concilio Lateranensi IV. Cap. 1: Sacramentum vero baptismi tam parvulis quam adultis in forma Ecclesiae a quocumque rite collatum proficit ad salutem. (D. 357).

Probatur: I. Ex Traditione et mente Ecclesiae. 1. *Ex ss. Patribus.* Tertullianus [2]: « Baptismus aeque Dei census *ab omnibus* exerceri potest ». — S. Hieronymus [3]: « Si necessitas cogit, scimus etiam licere *laicis* (baptizare) ». — S. Augustinus [4]: « Etsi laicus aliquis pereunti dederit (baptismum) necessitate compulsus..., nescio an pie quisquam dixerit esse repetendum... Sed etsi nulla necessitate usurpetur et *a quolibet* cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicite datum ». 2. *Ex praxi Ecclesiae.* In regionibus missionum ob inopiam sacerdotum catechistae *laici* baptizare solent.

II. Ratione congrua. Baptismus ad salutem *maxime necessarius* est; unde convenit ei ministrum assignari, qui in omni casu facile haberi possit, sicut ei etiam materia valde communis assignata est.

Scholion. Neminem *a se ipso* baptizari posse apud omnes in confesso est et manifestum ex eo, quod inter baptizantem et baptizatum debet esse discrimen, ut ex verbis Christi colligitur: Baptizate omnes gentes etc. Ita Innocentius III [5].

---

[1] tom. 6, n. 388.
[2] De bapt. c. 17.
[3] Dial. adv. Lucif. n. 9.
[4] Contra epist. Parm. l. 2, c. 13, n. 29.
[5] L. 3. decret. tit. 42, c. 4.

CAPUT IV.

De Effectibus Baptismi.

Baptismus, cum *ab infantibus* nondum baptizatis semper valide et fructuose suscipiatur, *ab adultis* aut valide quidem, sed infructuose seu indigne, aut valide simul et fructuose seu digne suscipi potest.

Ad baptismum *valide* suscipiendum ex parte subiecti adulti solummodo requiritur *intentio* i. e. liber consensus, saltem aliquando habitus nec retractatus; sufficit simpliciter voluntarius, etiamsi sit secundum quid involuntarius i. e. vi aut metu extortus, fortasse etiam generalis voluntas faciendi omnia ad salutem necessaria, ut Bosco et Coninck docent contra Suarez et de Lugo. Ad baptismum *digne* suscipiendum in adultis *praeterea* requiruntur *actus saltem impliciti fidei ac spei* et *actus explicitus attritionis* de peccatis commissis.

Baptismus alium effectum habet, modo valide suscipiatur, alios, si etiam digne suscipitur. Hinc:

A. De effectu baptismi valide suscepti. Per omnem baptismum valide susceptum *imprimitur character* baptismalis. Hoc charactere homo fit Christianus, i. e. in hac vita:

1. Dominio *Christi* regis subiectus ut *famulus*. Hic autem famulatus non tam similis est ei, quem servus praestat domino, quam ei, quem filius praestat patri.

2. Cum Christo homine *ad cultum* Deo praestandum et gloriam Dei promovendam speciali modo *deputatus* atque consecratus.

3. *Ecclesiae*, in qua sola cultus Dei secundum institutionem divinam peragitur, *subiectus* [1].

4. *Habilis ad alia sacramenta* valide suscipienda.

B. De effectibus baptismi etiam digne suscepti. Per baptismum digne susceptum, praeterquam quod character imprimitur, etiam:

I. *Infunditur gratia sanctificans*, per se *prima*, una cum donis annexis, quae certe sunt tres virtutes theologicae, probabilius etiam virtutes infusae morales et dona Spiritus Sancti.

---

[1] Cf. Minges, Comp. theol. gen. pag. 115; Scheeben-Atzberger, Bd. 4. S. 316.

Per accidens dari potest gratia sanctificans *secunda* una cum augmento donorum annexorum eaque tum datur, cum ille, qui baptizatur, iam iustificatus est.

II. *Remittuntur omnia peccata sufficienter retractata* in tantum, in quantum remitti possunt, i. e. non solum quoad culpam, sed etiam quoad omnem poenam.

1. Hoc uberius *explicatur: a)* Si infunditur gratia sanctificans *prima*, remittuntur omnia *peccata mortalia*, quibus anima maculata est, tam originale quam personalia, tam quoad culpam quam quoad poenam, non solum aeternam, sed etiam temporalem eamque totam. Sin infunditur gratia sanctificans *secunda*, condonatur omnis *poena temporalis*, quae pro peccatis ante baptismum deletis adhuc residua est.

Omnia peccata *mortalia* remittuntur, quia personalia omnia retractata sunt, cum secus susceptio baptismi esset indigna et consequenter nullum eorum remitteretur. Peccatum autem *originale*, quia voluntate physice propria commissum non est, neque eadem voluntate retractari debet.

b) Remittuntur quoque ea omnia peccata *venialia*, quae *retractata* sunt, pariter tam quoad culpam quam quoad totam poenam.

c) Ea vero peccata venialia, quae ante susceptionem baptismi *retractata non* sunt, nec remittuntur eo tempore, quo baptismus suscipitur. Nam nullum peccatum personale remittitur, priusquam retractatum est. Si vero illa peccata postea aliquando retractantur, eodem momento virtute baptismi antea suscepti quoad totam poenam temporalem remittuntur. Retractantur autem, si non in vita, ab anima in statu gratiae sanctificantis decedente iuxta sententiam meliorem statim post separationem a corpore. Tunc igitur etiam tota poena temporalis, quae pro peccatis illis luenda est, virtute eiusdem baptismi statim condonatur. Ita fit, ut nemo baptizatus pro iis peccatis, quae ante susceptum baptismum commisit, in purgatorio pati debeat.

2. Per baptismum una cum culpa *totam poenam temporalem remitti probatur:*

a) Ex persuasione continua Ecclesiae, quae ex eo intelligitur, quod baptizatis pro peccatis ante baptismum commissis numquam imponebantur opera satisfactoria, cum haec econtra pro peccatis post baptismum commissis semper imponerentur.

b) Ex decreto Concilii Florentini pro Armenis: « Huius sacramenti (baptismi) effectus est remissio omnis culpae originalis et actualis, *omnis quoque poenae*, quae pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis praeteritis iniungenda est satisfactio, sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum coelorum et Dei visionem perveniunt ». (D. 591).

c) Ex doctrina ss. Patrum. Tertullianus de baptismo (c. 5) scribit: « Exempto... reatu eximitur et poena ». — S. Athanasius[1]: « Baptismus vocatur lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus, gratia autem, qua remittuntur poenae, quae peccatis debentnr ». — S. Augustinus de baptizatis scribit[2]: « Si continuo consequatur ab hac vita migratio, non erit omnino, quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus, quae tenebant ».

d) Quodammodo ex Scriptura. Rom. 8, 1: *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu.* Quae verba Trid. sess. 5, c. 5. ita explicat: « Nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem... ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur ». — Tit. 3, 5: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Per baptismum igitur ita mundamur, ac si denuo geniti essemus; ergo nihil antiquae immunditiae remanet: nec reatus culpae nec reatus poenae.

e) Ratione congrua. Conveniens est primam condonationem esse liberaliorem et efficaciam passionis Christi primo sacramento plenius communicari.

In baptismo igitur *reconciliatio* cum Deo non fit per misericordiam coniunctam cum iustitia, ut fit sacramento poenitentiae, sed *per solam misericordiam.* Per baptismum satisfactio et merita Christi perfectissime applicantur.

III. *Datur ius ad gratias actuales*, quibus adiuti vitam Christianam agere possimus.

Scholion. In baptizatis *manent:* 1. *concupiscentia*, quam qui legitime impugnaverit, coronabitur; 2. aliae *miseriae* multae. Hae tamen in baptizatis non habent rationem poenae pro peccato sive originali sive personali per baptismum remisso debitae, sed illis manent, ut Christo passo conformentur et prae-

---

[1] De myster. c. 3.

[2] De pecc. mer. et rem. l. 2, c. 28.

mium earum in coelo percipiant. Omnia illa mala, quae ex lapsu Adae ortum ducunt et in baptizatis manent, in his vocantur *poenalitates*. Eadem in resurrectione mortuorum virtute baptismi olim recepti auferentur.

CAPUT V.

De Necessitate Baptismi.

THESIS **I. Sacramentum baptismi omnibus hominibus necessarium est.**

De fide ex Trid. sess. 7, can. 5: Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, a. s.

Opponitur Pelagianis aliisque, praesertim modernis.

Explicatur: 1. Sacramentum baptismi omnibus hominibus necessarium est *necessitate medii* et ea quidem *lata seu hypothetica*, i. e. ita, ut aliquo alio suppleri possit. Potest autem suppleri et *baptismo flaminis* et *baptismo sanguinis*, in quorum comparatione sacramentum baptismi vocari solet *baptismus fluminis*.

2. Susceptio baptismi pro iis, in quorum potestate est, etiam necessaria est necessitate *praecepti*. Nam *a)* eadem obligatione, qua homines tenentur ad vitam aeternam sibi procurandam, tenentur quoque ad media adhibenda, sine quibus illa obtineri nequit. — *b)* Christus Apostolis mandatum dedit (Matth. 28, 19) omnes homines docendi et baptizandi, cui mandato in his respondet obligatio doctrinam Apostolorum et baptismum suscipiendi. Hinc omnes adulti, quibus institutio baptismi divinitus facta satis nota est, stricte obligati sunt, ut baptismum digne suscipiant.

Probatur: **I. Ex Scriptura.** Io. 3, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* « Introire in regnum Dei » est fieri haeredem gloriae coelestis sive in re sive secundum ius (per hoc, quod homo intrat in Ecclesiam Christi militantem, per quam perducitur ad triumphantem; Matth. 5, 20; 7, 21; 18, 3; Marc. 9, 46; Luc. 10, 9. 11; Col. 1, 13 etc.). Ergo sensus verborum Christi est: Qui baptizatus non fuerit, haeres vitae aeternae non erit. Consequenter sacramentum baptismi ad salutem obtinendam

necessarium est. Utrum autem necessarium sit necessitate medii an praecepti tantum, ex solis Christi verbis non quidem cum certitudine, sed tamen cum aliqua probabilitate coniici potest. Nam cum Christus de susceptione eucharistiae, quae necessitate praecepti tantum necessaria est, dicat Io. 6, 54: *Nisi manducaveritis* (sc. vos, qui haec verba intelligitis) *carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis*, de baptismo dicit: Nisi *quis* etc., unde hoc concludere fas est: Ergo nullus homo, sive verba Christi scit sive nescit, sive proin ea culpabiliter sive inculpabiliter negligit, absque baptismo suscepto in regnum Dei introire potest. Sed illud, quod ita necessarium est, necessarium est *necessitate medii*.

II. Ex Traditione. 1. *Ex ss. Patribus.* Tertullianus [1]: « Praescribitur nemini sine baptismo competere salutem ex illa maxime pronuntiatione Domini, qui ait: Nisi natus quis ex aqua fuerit, non habet vitam aeternam ». — S. Basilius [2]: « Tu, nisi per aquam (baptismi) transieris, ab amara diaboli tyrannide non separaberis ». — S. Augustinus [3]: « Noli credere nec dicere nec docere infantes, antequam baptizentur, morte praeventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus ». — Plures ss. Patres haereticos peccatum originale negantes ideoque baptismum infantium negligentes vocabant impios et in parvulos crudeles i. e. impia haeresi infantes aeterna beatitudine privantes.

2. *Ex praxi antiqua Ecclesiae.* Quamvis primis Ecclesiae temporibus ad baptismum solemniter administrandum certi dies constituti fuerint, tamen periculose aegrotantibus baptismus *statim* conferri solebat. Item in casu necessitatis cuilibet homini semper fas erat baptizare. Utraque praxi demonstratur baptismum ad salutem necessarium fuisse habitum.

III. Ratione theologica. Sicut generatio naturalis medium necessarium est ad vitam naturalem obtinendam, ita *generatio supernaturalis* medium necessarium est ad obtinendam vitam supernaturalem. Atqui baptismus est sacramentum supernaturalis generationis (Tit. 3, 5); ergo est medium necessarium ad vitam supernaturalem obtinendam.

---

[1] De bapt. c. 12.

[2] Hom. in s. bapt. n. 2.

[3] De anim. l. 3, c. 9.

Nota. Legitur 1. Cor. 7, 14: *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt.* Haec sanctitas est sanctitas quaedam *inchoata*, quatenus filii unius parentis christiani iam de iure ad Ecclesiam pertinent et ad sanctitatem vocati sunt.

Scholion I. Baptismus testante Tridentino sess. 6, cap. 4. *simul cum promulgatione legis evangelicae necessarius esse coepit.* Quae quidem promulgatio coepta est die Pentecostes et deinde pro variis gentibus variis temporibus facta esse communiter censetur.

Iuxta multos promulgatio illa facta est quoad Palaestinam intra decem circiter annos, quoad imperium Romanum intra quadraginta fere annos. Pesch dicit [1] secundum communem theologorum sententiam *iam per multa saecula promulgationem sufficienter factam esse pro toto orbe terrarum.*

Haine econtra admittit [2] etiam nunc esse gentes, quibus evangelium nondum sit promulgatum, quae proinde circa salutis media adhuc in eadem conditione versentur, in qua versabantur universae gentes ante adventum Christi.

Scholion II. Ut plurimi scholastici tenent, praeceptum baptismum suscipiendi *etiam beatam Virginem obligavit,* quae per illud accepit characterem et augmentum gratiae sanctificantis.

Thesis. II. **Sacramentum baptismi in adultis quoad principalem effectum suppleri potest voto eiusdem seu baptismo flaminis.**

Certum est ex Trid. sess. 6, cap. 4: Quae quidem translatio (in statum gratiae) post evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis *aut eius voto* fieri non potest; et ex damnatione propositionis 31. Baii, quae sic sonat: Caritas perfecta et sincera, quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum (D. 911).

Explicatur: 1. Votum baptismi seu baptismus flaminis consistit in *supernaturali actu perfectae caritatis vel contritionis* elicito a non baptizato. Hic actus necessario supponit supernaturalem actum fidei et includit supernaturalem spem et seriam voluntatem faciendi omnia, quae Deus facienda im-

[1] tom. 6, n. 417.

[2] Theol. mor. tom. 2, de bapt. c. 1, q. 3.

ponit, consequenter etiam suscipiendi sacramentum baptismi. Ergo, si homo non baptizatus necessitatem sacramenti baptismi aut ignorat aut de ea actu non cogitat, votum illud suscipiendi *nec potest nec debet esse explicitum.* A Deo autem cognoscitur votum illud in voluntate hominis implicite quidem, sed tamen serio adesse et propter illud ipsum gratia sanctificans infunditur.

Nam Tridentinum sess. 14, cap. 4. de sacramento poenitentiae et contritione haec dicit: « Docet praeterea (sancta Synodus), etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam ». Quae verba ob paritatem rationis etiam ad sacramentum baptismi applicanda sunt.

2. Supernaturalis actus caritatis vel contritionis perfectae a non baptizato elicitus vocatur *votum baptismi,* quia praecise propter hoc votum, quamvis in illo actu implicite tantum contineatur, iustificatio obtinetur; vocatur *baptismus flaminis* i. e. spiritus, quia collatio gratiae Spiritui Sancto appropriatur et metaphorice vocatur baptismus.

Matth. 3, 11: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni.* — Act. 1, 5: *Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies.*

3. Baptismo flaminis *obtinetur principalis effectus* baptismi fluminis digne suscepti, sc. gratia sanctificans prima cum donis annexis. Per infusionem eius remittuntur omnia peccata mortalia personalia; peccatum autem originale remittitur tantummodo prima vice, unde etiam actus perfectae caritatis vel contritionis tum solum stricte baptismus flaminis vocari potest, cum a non baptizato *prima vice* elicitur. Illa autem peccata remittuntur quoad culpam et poenam aeternam. Praeterea condonantur ea peccata venialia, quae sufficienter retractata sunt, tam quoad culpam quam quoad aliquam saltem poenam temporalem.

4. *Alii effectus,* qui baptismo fluminis proprii sunt, baptismo flaminis aut non semper aut numquam obtinentur.

a) Non semper, imo, ut videtur, haud saepe voto baptismi remittitur *tota poena temporalis* luenda pro peccatis personalibus sive mortalibus sive venialibus, quia actus perfectae cari-

tatis vel contritionis non semper, imo vix dubie raro, tam intensus est, ut aequivaleat poenis alioquin sustinendis. Si vero aliquando tam intensus est, per eum etiam tota poena temporalis condonatur.

b) Numquam per baptismum flaminis *imprimitur character* baptismalis; consequenter homo per illum non fit membrum corporis Ecclesiae nec redditur capax ad sacramenta suscipienda nec obligatus ad praecepta Ecclesiae observanda. Numquam insuper datur ius ad gratias actuales suo tempore obtinendas.

5. Effectus, quos votum baptismi habet, *non solum* obtinentur *in casu necessitatis*, i. e. cum sacramentum in re suscipi non potest, sed *etiam alias*. Si quando dicitur baptismum fluminis baptismo flaminis in casu necessitatis suppleri, hoc ita intelligi debet: Homo, quamvis voto baptismi sit iustificatus, tamen manet obligatus ad sacramentum baptismi re ipsa suscipiendum. Quod si gravi sua culpa re non suscipit, gratiam sanctificationem amittit et, si in eo statu moritur, non salvatur.

Probatur: I. Ex Scriptura, quae eos, qui Deum diligant, *a Deo etiam diligi* testatur. Prov. 8, 17 Sapientia dicit: *Ego diligentes me diligo.* — Io. 14, 21: *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum.* 23: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus!* — Luc. 10, 27. 28.

Confirmatur eo, quod Cornelius cum tota familia sua iam ante sacramentum baptismi susceptum accepit Spiritum Sanctum.

II. Ex Traditione. S. Ambrosius in oratione funebri de Valentiniano II. imperatore, qui catechumenus interfectus fuit, « Quod si martyres », inquit, « suo abluuntur sanguine, et hunc sua *pietas* abluit *et voluntas* ». — S. Augustinus scribit [1]: « Invenio non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex baptismo deerat, posse supplere, sed etiam *fidem conversionemque cordis* ».

THESIS III. **Baptismus fluminis et in adultis et in infantibus suppleri potest baptismo sanguinis.**

Est *sententia communis.*

---

[1] De bapt. c. Donat. l. 4, c. 22.

Explicatur: 1. Baptismus sanguinis *est martyrium* toleratum a non baptizato. Martyrium est perpessio cruciatus lethalis pro fide Christi vel aliqua virtute Christiana.

Ad martyrium haec *tria requiruntur: a)* ut is cruciatus infligatur, ex quo *mors naturaliter oriatur*, licet haec vel non statim eveniat vel miraculo impediatur; — *b)* ut cruciatus infligatur *ex odio fidei Christi vel alicuius virtutis Christianae;* — *c)* ut idem cruciatus ab adulto pro fide Christi vel aliqua virtute Christiana *voluntate saltem habituali acceptetur* et sine resistentia deliberata toleretur.

2. *Ut* per martyrium *iustificatio obtingat*, in infantibus nulla, ut patet, in adultis iuxta communem doctrinam theologorum eadem dispositio requiritur, quae necessaria est ad baptismum fluminis digne suscipiendum sc. attritio. Unde martyrium dicitur iustificare *quasi ex opere operato.*

Fortasse voluntas pro Christo moriendi sufficientem retractationem peccatorum includit, cum ille, qui pro Deo vitam contemnit, a fortiori aliis bonis temporalibus renuntiet. Quidquid autem requiritur, Deus procurabit, ut in martyre non desit.

S. Thomas dicit[1]: « Passio pro Christo suscepta obtinet vim baptismi et ideo purgat ab omni culpa veniali et mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhaerentem ».

3. Baptismo sanguinis plus *efficitur*, quam baptismo flaminis; non omne id, quod baptismo fluminis. Nam baptismo sanguinis: *a)* non solum illi, qui eousque fuit in statu peccati mortalis, gratia sanctificans infunditur atque peccata mortalia remittuntur quod culpam et poenam aeternam, et cuilibet ea peccata venialia, quae retractata sunt, remittuntur quoad culpam et partem poenae, sed etiam omnia peccata retractata condonantur *quoad totam poenam temporalem.* Imo tota poena temporalis luenda pro iis peccatis venialibus, quae tempore martyrii retractata nondum sunt, condonatur, quamprimum illa retractantur, quod saltem fit statim post separationem animae a corpore. Unde evenit, ut nullus martyr in purgatorium mittatur. Quoad hos igitur effectus baptismus sanguinis par est baptismo fluminis.

b) Character baptismalis *non imprimitur*, unde homo per baptismum sanguinis nec fit membrum corporis Ecclesiae.

---

[1] 3, q. 87, a. 1, ad 2.

Probatur: I. Ex scriptura. Matth. 10, 39: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* — Luc. 9, 24: *Qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam.*

II. Ex Traditione et mente Ecclesiae. 1. *Ex ss. Patribus.* Tertulianus[1]: « Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet... Hic est baptismus, qui lavacrum et non acceptum repraesentat et perditum reddit ». — S. Cyrillus Hieros.[2]: « Si quis baptisma non recipiat, salutem non habet, solis martyribus exceptis, qui etiam sine aqua regnum recipiunt ». — S. Chrysostomus[3]: « Sicut ii, qui baptizantur, aquis, ita ii, qui martyrium patiuntur, abluuntur proprio sanguine ». — S. Augustinus[4]: « Quicumque etiam non recepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum in iis valet ad dimittenda peccata, quantum, si abluerentur fonte baptismatis ».

2. *Ex praxi Ecclesiae*, quae tam adultos quam infantes ante baptismum susceptum propter fidem interfectos semper *coluit* neque unquam pro iis oravit.

III. Ratione congrua. Martyrium maxime *arduum* est et hominem redemptum Christo redemptori configurat, unde conveniens est per illud omnem culpam et poenam remitti.

Scholion. Ecclesia praeter baptismum sanguinis nihil aliud admittit, quo in infantibus baptismus fluminis suppleri possit. Itaque *singulares vel absonae sunt opiniones*, iuxta quas:

1. Infantes in casu necessitatis iustificari possunt *orationibus parentum* idque *a)* aut secundum legem Dei ordinariam, ergo *semper*, quod opinatus est Caietanus; quae opinio saltem est temeraria; — *b)* aut ex speciali privilegio, ergo *interdum* tantum, quod senserunt Durandus et Gerson.

2. Infantes non baptizati, antequam de vita decedunt, *rationis compotes* fiunt et accipiunt gratiam actualem, qua actum perfectae caritatis elicere possint, quam opinionem pro non inacceptabili habuit Klee.

---

[1] De bapt. c. 16.
[2] Catech. 3, n. 10.
[3] Hom. in mart. Lucian. n. 2.
[4] De civ. Dei l. 13, c. 7.

CAPUT VI.

De Subiecto Baptismi.

THESIS. **Infantes baptismum valide et fructuose accipere possunt.**

De fide ex pluribus definitionibus Ecclesiae, ut Concilii Lateranensis IV. contra Albigenses (D. 357), Viennensis (D. 410), Tridentini sess. 5. (D. 672 et 673) et sess. 7. de bapt. can. 13.

Dicit Lat. IV.: Sacramentum vero baptismi... tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesiae a quocunque rite collatum proficit ad salutem. Trid. sess. 5, can. 4: Si quis pavulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti... a. s.

Opponitur Waldensibus et praesertim Anabaptistis.

Explicatur: Dicitur in thesi infantes baptismum accipere *posse*, non dicitur debere. Nam non est lex divina — si periculum mortis excipias — ut infantes, antequam ad usum rationis pervenerint, baptizentur. Est tamen *lex ecclesiastica* partim usu, partim etiam specialibus praeceptis statuta.

Probatur: I. Ex Scriptura, in qua ex una parte docetur neminem sine baptismo suscepto posse introire in regnum Dei, et ex altera parte asseritur infantes in idem regnum introire posse; unde concludendum est infantes baptismi valide et fructuose suscipiendi esse capaces. — Io. 3, 5: *Amen, amen dico tibi: nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* — Marc. 10, 14: *Sinite parvulos venire ad me et ne prohibueritis eos: talium enim est regnum Dei.*

Argumentum probabile habetur Act. 16, 15. 33. et 1. Cor. 1, 16., ubi narratur integras familias baptizatas esse, in quibus fortasse fuit et aliquis infans.

II. Ex Traditione et mente Ecclesiae: 1. *Ex ss. Patribus.* S. Irenaeus dicit[1]: « Omnes venit per semetipsum salvare (Christus), omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, *infantes et parvulos* et pueros et iuvenes et seniores ».

[1] l. 2, c. 22, n. 4.

— Origenes[1]: «Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit *etiam parvulis* baptismum dare». — S. Cyprianus nomine Concilii Carthaginiensis anno 253. habiti scribit[2] ad Fidum episcopum, qui putabat infantes non esse baptizandos ante diem octavam: «In hoc, quod tu putabas esse faciendum, nemo consentit; sed universi potius iudicavimus *nulli hominum nato* misericordiam Dei et gratiam denegandam». — De hac s. Cypriani sententia scribit S. Augustinus[3]: «Beatus Cyprianus non aliquod decretum condens novum, sed Ecclesiae fidem firmissimam servans ad corrigendum eos, qui putabant ante octavum diem nativitatis non esse parvulum baptizandum... *Mox* natum rite baptizari posse cum suis episcopis censuit».

2. *Ex Concilio* Milevitano II. vel potius aliquo alio Africano can. 2: «Placuit, ut, quicunque *parvulos* recentes ab utero matrum baptizandos negat... a. s. (D. 65).

Nota. Canones 27, qui Concilio Milevitano adscribi solent, ab eodem editi non sunt, sed constituunt collectionem ex pluribus synodis Africanis factam. Cf. Kirchenlexicon, tom. 1, pag. 322.

3. *Ex omnibus ritualibus* Ecclesiae occidentalis et orientalis, in quibus ritus paedobaptismi habetur. — Etiam *ex aliquibus inscriptionibus* in catacombis repertis antiqua praxis paedobaptismi apparet.

Reperta est e. g. haec: «Florentinus filio suo Aproniano... qui vixit annum unum et menses novem, dies quinque... ut fidelis de saeculo recessit».

III. **Rationibus theologicis,** quae desumuntur:

1. *Ex parte universalis voluntatis Dei salutiferae,* secundum quam etiam infantes salutem consequi possunt. Sed infantes excepto casu martyrii salutem consequi possunt solummodo per baptismum fluminis; ergo eiusdem sunt capaces.

2. *Ex parte relationis,* quae est *inter Adam et Christum* (1. Cor. 15, 45). Infantes ab Ada sine personali cooperatione peccatum originale contrahunt; ergo etiam a Christo sine propria cooperatione gratiam et liberationem peccati originalis accipere possunt. Secus verum non esset illud S. Pauli (Rom. 5,

[1] In ep. ad Rom. l. 5, n. 9.
[2] Epist. 64, n. 2.
[3] Epist. 166. ad Hier. n. 23.

15): « *Sed non sicut delictum, ita et donum; si enim unius delicto multi* (οἱ πολλοὶ) *mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures* (εἰς τοὺς πολλοὺς) *abundavit.*

3. *Ex parte relationis,* quae est *inter legem veterem et novam.* Sub vetere lege infantes per remedium legis naturae vel per circumcisionem populo Dei seu ecclesiae veteri aggregabantur; ergo etiam sub lege nova Ecclesiae Christianae aggregari possunt. Sed Ecclesiae Christianae homines non aggregantur nisi per sacramentum baptismi. Insuper remedium legis naturae et circumcisio, quae erant figurae baptismi (Col. 2, 11), infantibus proderant ad acquirendam iustificationem; ergo *a fortiori* per baptismum infantes iustificationem obtinere possunt.

Scholion I. *Expedit infantes baptizari,* 1. quia permulti, antequam usum rationis nanciscuntur, e vita decedunt; 2. ne ob defectum gratiae sacramentalis magis in malum proclives inordinatis passionibus indulgeant et, ut iis liberius indulgere possint, baptismum aut respuant aut nimium diu differant; 3. ut a prima aetate in statu gratiae vivant, sibi merita acquirant, iugo Christi portando assuescant, quia, ut dicitur Thren. 3, 27, *bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua.*

Scholion II. *Iis, qui infantes baptizati sunt,* postquam adoleverunt, *non competit ius* aut ratas habendi aut respuendi obligationes per baptismum ipsis impositas, ut voluerunt Erasmus Roterodamensis et quidam alii. Nam Tridentinum sess. 7, de bapt. can. 8 definivit: « Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctae Ecclesiae praeceptis, quae vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, a. s. ». — Et can. 14: « Si quis dixerit huiusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; et, ubi se nolle responderint, suo arbitrio esse relinquendos... a. s. ». — *Ratio,* cur hominibus illud ius non competat est, quia iis omnibus a Deo *obligatio* imposita est *baptismum suscipiendi,* legi Christianae se submittendi, ad Ecclesiam pertinendi. Etiam ante adventum Christi infantes *vi circumcisionis* obnoxii reddeban-

tur universae legi Mosaicae observandae. Etiam ex iure civili, imo et naturali homines *vi nativitatis* ad observandas leges patriae tenentur et stare debent iis pactis, quae eorum tutores in ipsorum utilitatem inierunt. Nec usquam gentium homines adulti interrogari solent, utrum illas leges illaque pacta rata habere velint an nolint.

PARS TERTIA.

DE CONFIRMATIONE.

Praenotanda de notione et nominibus confirmationis.

I. Confirmatio *definitur:* sacramentum novae legis, quo per chrismatis unctionem et manus impositionem sub certa verborum forma baptizatus roboratur ad fidem firmiter tenendam et intrepide profitendam.

II. Hoc sacramentum *vocatur:*

1. *Ex parte materiae remotae* sacramentum chrismatis, chrisma, chrisma salutis;

2. ex parte *materiae proximae* sacramentum unctionis, unctio, impositio manus vel manuum;

3. ex parte *effectus primarii* confirmatio et sacramentum Spiritus Sancti;

4. ex parte *effectus secundarii et ritus externi* signaculum dominicum et sigillum, quod vocatur et quia per ipsum in anima character imprimitur et quia in fronte signum crucis formatur;

5. ex parte *effectuum et relationis ad baptismum* perfectio, consummatio, sacramentum plenitudinis.

III. Confirmatio *adumbrata* fuisse censetur impositione manuum a Christo parvulis impertita (Matth. 19, 13-15); luculenter *manifestata* est adventu Spiritus Sancti facto supra Apostolos die Pentecostes.

CAPUT I.

De Exsistentia Confirmationis.

THESIS. **Confirmatio est verum novae legis sacramentum.**

Probatur: I. Ex Scriptura. Act. 8, 14-17: *Cum autem audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis, quod recepisset*

Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.

Tria illa habentur, quae ad sacramentum novae legis requiruntur:

1. *Signum externum* idque a signo baptismali distinctum, sc. impositio manuum: « Tunc imponebant manus super illos ».

2. *Collatio gratiae:* « Et accipiebant Spiritum Sanctum ». *Duplex effectus* Spiritus Sancti distinguendus est: alter ordinarius et perpetuus, alter extraordinarius et temporalis. Effectus *ordinarius* consistit in gratia gratum faciente, *extraordinarius* in gratiis gratis datis. *Ambo effectus nomine Spiritus Sancti significantur.* Quod probari debet. Si enim solae gratiae gratis datae seu charismata nomine Spiritus Sancti significarentur, non haberetur sacramentum, id quod demonstrandum est.

Nomine autem Spiritus Sancti in loco allato non solum charismata, sed etiam gratiam gratum facientem significari ex his colligitur:

a) Charismata omnibus fidelibus non dantur neque unquam dabantur; sed Spiritus Sanctus omnibus fidelibus datur. — *Charismata omnibus* fidelibus *nunquam* fuisse data colligitur ex 1. Cor. 12, 29: *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetae? numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes intrepretantur?* — *Spiritum Sanctum* econtra *omnibus* dari fidelibus, eruitur ex Io. 7, 38. 39: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura* (quoad sensum: Is. 58, 11; Eccli. 24, 40-47). *flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes* (οἱ πιστεύοντες) *in eum. Nondum enim erat Spiritus* (πνεῦμα ἅγιον) *datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* — *Sensus* verborum Christi est: Credentes tale ac tantum bonum supernaturale accipient, ut non ipsis tantum sufficiat, sed in alios quoque redundet. — Ex eo, quod dicitur οἱ πιστεύοντες, concludi potest Spiritum Sanctum

a Christo promissum esse fidelibus *omnibus*. Praeterea aqua viva vix significare potest sola charismata, ut ex natura rei et ex proxime dicendis patet.

b) Charismata etiam *in peccatoribus* occurrunt; sed numquam dicitur, nusquam Scripturae legitur peccatores habere Spiritum Sanctum. — Charismata etiam in peccatoribus occurrere colligi potest ex verbis Christi Matth. 7, 22. 23: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus et in nomine tuo daemonia eiecimus et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia numquam novi vos; discedite a me, qui operamini iniquitatem.*

c) Apostoli die Pentecostes sine sacramento eundem Spiritum Sanctum accepisse merito censentur, quem ceteri accipiunt per sacramentum confirmationis. Sed Apostoli Spiritu Sancto interne roborati sunt in fide firmiter tenenda et intrepide profitenda, ut apparet ex eorum agendi ratione, quae erat alia ante, alia post Spiritus Sancti adventum. — Matth. 26, 56. 69-74; Io. 20, 19; Act. 2, 14-40; 3, 12-26; 4, 8-13. 19-22; 5, 21-42.

d) Probari non potest sola charismata in s. Scriptura usquam vocari Spiritum Sanctum neque ea Spiritum Sanctum rationabiliter vocari posse, cum homo Spiritum Sanctum per sola charismata ne inchoative quidem possideat.

3. *Institutio Christi* non quidem in Scriptura expresse nuntiatur, attamen *supponi debet*. Nam non Apostolis, sed soli Christo potestas fuit instituendi signa, quae infallibiliter gratiam conferant. Illam autem institutionem a Christo ita factam esse, ut valeat pro semper, hoc modo suadetur: Christus (Io. 7, 38. 39) Spiritum Sanctum *promisit fidelibus omnibus*. Quod promissum ut impleretur, summopere *congruum* fuit Ecclesiae assignari *modum* visibilem, quo Spiritus Sanctus usque ad finem mundi omnibus fidelibus communicaretur. Hoc enim suadetur et analogia aliorum, quae Christus in Ecclesia sua instituit et natura hominum, qui Spiritum Sanctum accepturi erant.

Praeter 8, 14-17 citari potest Act. 19, 5. 6: *His auditis baptizati sunt* (discipuli Ephesii) *in nomine Domini Iesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, et loquebantur linguis et prophetabant.* — Hebr. 6, 1. 2: *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermo-*

nem ad perfectiora feramur, non rursum iacientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis et fidei ad Deum, baptismatum doctrinae, impositionis quoque manuum ac resurrectionis mortuorum et iudicii aeterni.

II. Ex Traditione. 1. *Ex ss. Patribus,* qui loquuntur

a) de *oleo divino,* quo Christiani perfunduntur (Theophilus) vel de oleo, quo caro ungitur, ut anima consecretur etc. (Tertull.);

b) de *chrismate,* quo baptizatus ungi debet, ut gratiam Christi in se habere possit (Cypr.);

c) de *unguento,* quo dum inungitur corpus, anima sancto et vivifico Spiritu vivificatur (Cyrill. Hieros., qui integram catechesim, sc. tertiam mystag., de hoc sacramento habet);

d) de *unctione,* quae in Christianis carnaliter currit, sed spiritualiter proficit, sicut et ipsius baptismi carnalis est usus et spiritualis effectus (Tertull.);

e) de *impositione manus* vel manuum, quae per benedictionem advocat et invitat Spiritum Sanctum (Tertull.), qua a praepositis Ecclesiae facta baptizati Spiritum Sanctum consequuntur et signaculo dominico consummantur (Cypr.);

f) de *potestate Spiritum Sanctum dandi,* quae erat praerogativa solorum Apostolorum quaeque a solis coryphaeis i. e. episcopis exercetur (Chrysost.);

g) de *spirituali signaculo,* quod baptismum sequitur (Ambros.).

a) S. Theophilus (ad Autol. c. 1. n. 12.): « Certe nulla alia ex re Christianorum nomen traximus, quam quod *divino oleo* perfundimur ». — *Tertullianus* (de resurr. c. 8.): Caro abluitur, ut anima emaculetur, caro *ungitur,* ut anima consecretur, caro signatur, ut et anima muniatur, caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur, caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur ». — *b) S. Cyprianus* (ep. 70, n. 2): « Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus est, ut accepto *chrismate* i. e. unctione esse unctus Deo et habere in se gratiam Christi possit ». — *c) S. Cyrillus* Hieros. (catech. 3. mystag.): « Vobis, postquam ex sacrorum laticum (= liquorum) piscina ascendistis, datum est chrisma, illius antitypum, quo unctus est Christus... oleo enim sive unguento corporali Christus ab hominibus unctus non est, sed Pater eum totius mundi servatorem praestituens Spiritu Sancto unxit... Vos vero *unguento* uncti estis, Christi participes et consortes effecti. Ceterum vide, ne nudum et vile hoc suspiceris unguentum esse. Nam sicut panis eucharistiae post invocationem Spiritus Sancti non est communis panis, sed corpus Christi, ita et sanctum istud unguentum non amplius nudum neque, si quis ita appellare malit,

commune unguentum est post invocationem, sed Christi donarium et Spiritus Sancti, praesentia divinitatis eius efficiens factum. Quod quidem symbolice fronti aliisque sensibus tuis illinitur. Ac dum unguento visibili inungitur corpus, sancto et vivifico Spiritu anima vivificatur ». — *d) Tertullianus* in libro de baptismo, postquam dixit in baptismo remitti quidem peccata, sed nondum dari S. Spiritum, ita pergit (c. 7): « Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta *unctione* de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant, qua Aaron a Moyse unctus est. Unde Christus dicitur a chrismate, quod est unctio, quae Domino nomen accommodavit, facta spiritualis, quia Spiritu unctus est a Deo Patre... Sic et in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit, quomodo et ipsius baptismi carnalis usus, quod in aqua mergimur; spiritualis effectus, quod delictis liberamur ». — *e) Idem* ib. (c. 8.): Dehinc *manus imponitur,* per benedictionem advocans et invitans Spiritum Sanctum ». — *S. Cyprianus* (ep. 73. n. 9): Samaritani « quia legitimum et ecclesiasticum baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat; sed tantummodo, quod deerat, id a Petro et Ioanne factum est, ut oratione pro iis habita et manu imposita invocaretur et infunderetur super eos Spiritus Sanctus; quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in ecclesia baptizantur, praepositis ecclesiae afferantur, et per nostram orationem et *manuum impositionem* Spiritum Sanctum consequantur et signaculo dominico consummentur ». — *f) S. Chrysostomus* (in Act. Ap., hom. 18, n. 3): « Philippus unus ex septem erat, secundus a Stephano; ideo, cum baptizabat, *Spiritum Sanctum* baptizatis *non dabat,* neque enim potestatem habebat. Hoc quippe donum duodecim illorum tantum erat. Igitur haec erat Apostolorum praerogativa. Unde et coryphaeos (i. e. episcopos) et non alios hoc facere videmus ». — *g)* Vulg. *Ambrosius* (de sacram. l. 3, c. 2): « Sequitur (baptismum) *spirituale signaculum,* quod audistis hodie legi, quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur ».

2. *Ex Conciliis. a)* Concil. *Eliberitanum* (a. 305) can. 38: « Peregre navigantes, aut si ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem baptizare in necessitate, ita ut, si supervixerit, ad episcopum eum perducat, ut per *manus impositionem* perfici possit ».

b) Concil. *Laodicenum* (c. a. 370) can. 48: « Oportet eos, qui illuminantur, post baptisma *inungi supercoelesti chrismate* ».

c) Concil. *Hispal. IV.* (a. 619) can. 7. loquens de iis, quae non pertinent ad officium presbyterorum ait: « Siquidem non licere iis (noverint) ecclesiam vel altaria consecrare nec per *impositionem manus* fidelibus baptizatis vel conversis de haeresi Paracletum Spiritum tradere nec chrisma conficere nec chrismate baptizatorum frontem signare ».

3. Ex decisionibus *summorum Pontificum.* Innocentius I. (402-414, ep. 25. ad Decentium Eugubinum cap. 3.): « De *consignandis infantibus* manifestum est non ab alio quam episcopo fieri licere... Nam presbyteris... cum baptizant, *chrismate* baptizatos *ungere* licet... non tamen *frontem* ex eodem *oleo signare,* quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum. Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar quam ad consultationem respondere ». (D. 60).

4. *Ex praescriptione et consensu ecclesiarum orientalium,* quae omnes Nestorianis exceptis hoc sacramentum agnoscunt, licet in ipso ritu adhibendo saepe erraverint.

Scholion. Confirmatio 1. probabiliter *a Christo promissa et explicata* est nocte coenae, 2. probabilius ab ipso *instituta* est post resurrectionem, cum per dies quadraginta apparebat Apostolis et cum iis loquebatur de regno Dei (Act. 1, 3), 3. verisimiliter a Christo ipso *administrata non* est, quia iuxta Io. 7, 39; 16, 5. 7. Spiritus Sanctus datus non est ante Christi resurrectionem et ascensionem.

Io. 16, 5. 7: *Et nunc vado ad eum, qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis?... Sed... expedit vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.*

CAPUT II.

De Materia et Forma Confirmationis.

Thesis I. **Materia remota Confirmationis est chrisma ab episcopo benedictum.**

Explicatur: *Chrisma est* mixtum quoddam ex oleo olivarum et balsamo.

Determinatur et probatur per partes.

I. *Requiri oleum* et id quidem *olivarum,* quod solum simpliciter oleum dicitur, *certum* est, et quidem:

1. *ex praxi Ecclesiae,* tum occidentalis tum orientalis,

2. *ex declaratione Concilii Florentini et Tridentini.* Dicit Florentinum: « Secundum sacramentum est confirmatio, cuius materia est chrisma, confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, quod odorem significat bonae famae, per episcopum benedicto » (D. 592). — Tridentinum de confirm.

can. 2: « Si quis dixerit iniurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, a. s. (D. 753).

II. *Requiri balsamum* non quidem certum, tamen *multo probabilius* est. Nam:

1. *Nomen chrismatis,* licet quamlibet rem ungendo aptam significare possit, tamen ex usu ecclesiastico semper significare videtur oleum balsamo admixtum.

2. Aliqui *veteres scriptores* loquuntur de balsamo ut requisito ad sacrum chrisma; in his scriptor epistolae, quae communiter attribuitur Fabiano Papae, qui usum balsami refert ad institutionem Christi, « sicut a sanctis Apostolis », inquit, « praedecessores nostri acceperunt ».

Similiter auctor sermonis de unctione chrismatis, qui olim habebatur inter opera s. Cypriani: « Hodie (die coenae Domini) in ecclesia ad populum acquisitionis sanctificandum, in participatione dignitatis et nominis, sacrum chrisma conficitur, in quo *mixtum oleo balsamum* regiae et sacerdotalis gloriae exprimit unitatem, quibus dignitatibus initiandis divinitus est unctio instituta ».

III. *Requiri* ad validitatem *chrisma ab episcopo benedictum probabilius* est. Quod his rationibus suaderi vel probari potest:

1. Consecrationem episcopalem chrismatis iam *indicant ss. Patres et Concilia:* s. Basilius (de Spiritu S. c. 27.), s. Cyrillus Hier. (Catech. myst. c. 3, n. 3.), s. Gelasius papa (ep. 9, c. 6.), s. Leo M. (serm. 66, c. 2.); item Conc. Tolet. I. (c. 20.), Conc. Carthag. II. (c. 3.), Conc. Hispal. II. (c. 7.).

2. Eandem *supponit Innocentius I.* in ep. 25. ad Decentium Eugubinum.

Ibi scribit: « Nam presbyteris sive extra episcopum sive praesente episcopo, cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet; *sed quod ab episcopo fuerit consecratum,* non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum » (D. 60).

3. *Conc. Flor.* in decreto pro Armenis simpliciter *docet* materiam confirmationis esse chrisma ab episcopo benedictum (D. 592).

Illud tamen decretum non continet definitionem dogmaticam de ministro et materia ac forma sacramentorum, sed instructionem tantummodo practicam, unde sufficientem vim probationis non habet, sicut nec ea, quae n. 1. et 2. dicta sunt.

4. *Paulus V.* in congregatione generali s. Inquisitionis coram se habita declaravit sententiam, quae tenet sacramentum extremae unctionis oleo benedictione episcopali non consecrato valide ministrari posse esse temerariam et errori proximam (D. 1494). Ergo idem a pari valet de materia confirmationis, quia non minus pro hac benedictio episcopi semper postulabatur, quam pro illa. Imo de materia confirmationis valet *a fortiori*. Nam *a)* minister ordinarius extremae unctionis est sacerdos, confirmationis episcopus; unde magis conveniens est illius materiam benedici posse a sacerdote, quam huius. — *b)* Apud Graecos oleum extremae unctionis benedicitur a presbyteris, chrisma confirmationis tantummodo ab episcopis.

Nota. *Presbytero* facultatem benedicendi chrisma *dari posse* ab episcopo improbabile est, a summo Pontifice probabile est, cum aliqua exempla huius facultatis olim datae occurrant.

Suadetur rationibus congruis.

I. *Quoad oleum.* 1. Oleum *pingue et diffluum est.* Propterea significat plenitudinem operationis Spiritus Sancti, quae confirmatione communicatur.

2. Oleum *nutrit:* confirmatio auget gratiam sanctificantem.

3. Oleum *fovet lumen:* confirmatio firmat fidem.

4. Oleum *roborat artusque mollit,* quapropter pugiles ante pugnam corpora oleo ungebant: confirmatio roborat ad fidem intrepide profitendam.

5. Oleum *nitidum est;* unde apte significat nitorem conscientiae, qui requiritur ad reddendam professionem fidei Deo placentem.

II. *Quoad balsamum.* 1. Balsamum *odoriferum est.* Itaque significat odorem bonae famae, quae requiritur ad reddendam professionem fidei hominibus placentem et salutiferam.

2. Balsamum *corpus conservat,* ne putrefiat: confirmatio hominem conservat, ne perdat fidem.

III. *Quoad benedictionem episcopi. Convenit* elementum ex se naturale *fieri aliquo modo sacrum,* priusquam ad sanctificandos homines adhibeatur. Et quia Christus ipse usu suo oleum et balsamum non consecravit, sicut consecravit aquam (contactu corporis sui cum baptizabatur a Ioanne, Matth. 3, 15.) et panem (Matth. 26, 26.), ideo episcopus eam consecrat, qui in ecclesia quodammodo personam Christi gerit.

THESIS II. **Materia confirmationis proxima est chrismatio una cum impositione manus.**

Est *sententia nunc communissima.*

Explicatur et probatur.

I. *Chrismatio* est materia confirmationis proxima, quia chrisma est materia eius remota. Ut valida sit, (iuxta sententiam nunc communem vel fere communem) fieri debet:

1. *In fronte.* Hoc *a) necessarium* esse colligitur α) ex omnibus ritualibus tam latinis quam orientalibus; β) ex pluribus decretis summorum Pontificum, ut Innocentii I. (D. 60) et Gregorii M. (l. 4, ep. 9.), quibus sacerdotibus licentia dabatur alias quidem unctiones adhibendi, non tamen unctionem chrismatis *in fronte* baptizati, quae solis episcopis reservabatur; γ) ex eo, quod interdum confirmatio ab ungenda fronte denominabatur, v. g. a Tertulliano [1] signaculum *frontium.* — Idem *b) congruum* esse eo suadetur, quod frons est pars corporis maxime aperta, professio autem fidei aperta atque intrepida esse debet.

2. *In forma crucis.* Hoc *a) necessarium* est, quia α) in omnibus ritualibus praescribitur; β) alias forma latina « signo te signo crucis » non verificaretur, imo nec graeca: « signaculum doni Spiritus Sancti », quae ex usu eundem sensum includit ac forma latina, cum Christiani nihil sine cruce signare consueverint; γ) ipsa confirmatio a forma crucis denominatur *signaculum dominicum.* — Idem *b) congruum* est, quia mysterium crucis seu redemptionis una cum mysterio Ss. Trinitatis in forma latina expresso epitome est totius religionis Christianae. Propterea significat professionem fidei esse debere integram. Insuper, cum Christus crucifixus Judaeis quidem sit scandalum, gentibus autem stultitia (1. Cor. 1, 23.), signum crucis fronti impressum significat fidelem paratum esse debere ad insectationes et ludibria pro fide Christiana toleranda.

II. Etiam *impositio manus* pertinet ad materiam proximam confirmationis. Quae quidem:

1. *In chrismatione frontis semper adest,* dummodo immediate fiat manu episcopi, i. e. non adhibito aliquo instrumento. Probatur eo, quod *a)* Innocentius III. in decretal. l. 1. dicit: « Per frontis chrismationem manus impositio designatur »;

---

[1] Contra Marc. l. 3, c. 22.

— *b)* Graeci praeter chrismationem nullam impositionem manus adhibere dicuntur. Hinc illi, qui docent solam chrismationem esse materiam essentialem, ut s. Thomas et Bellarminus, reapse a sententia communi non recedunt.

2. *Necessaria est ad valorem sacramenti.* Nam in s. Scriptura et a ss. Patribus constanter affirmatur confirmationem administrari per impositionem manus vel manuum, et huic simpliciter adscribitur effectus sacramenti; imo a ss. Patribus ipsum confirmationis sacramentum non raro vocatur *impositio manus.*

Nota. Nullibi tamen asseritur confirmationem administrari per *solam* impositionem manus. Nec probabilis est opinio Alexandri Halensis, iuxta quam confirmatio primis Ecclesiae temporibus per solam impositionem manuum conferri solebat.

3. *Congrua est,* quia apte significat collationem gratiae et tutelam Spiritus Sancti.

Scholion. *Improbabiles* sunt *opiniones,* iuxta quas materia proxima confirmationis consistit:

1. In *sola impositione* manuum, ut opinatus est Aureolus.

2. Aut in sola impositione manuum aut in sola chrismatione aut in utraque simul, *prout ab Ecclesia determinatur,* quod sensit Richardus Tapper.

THESIS III. **In forma confirmationis essentialis est expressio saltem uberioris gratiae Spiritus Sancti.**

Explicatur et probatur: 1. *Forma in Ecclesia latina* adhibita est haec: « Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». — *Forma in Ecclesia graeca* usitata est: Σφραγὶς δωρεᾶς ἁγίου πνεύματος, i. e. signaculum doni Spiritus Sancti; quibus verbis ex sensu supplendum est « datur » vel simile quid.

2. *Ex aliis formis,* quas collegit Martène, plurimae secundum sensum plane conveniunt cum ea forma, quae in Ecclesia latina in usu est, aliquot tamen ab ea plus minusve discrepant. Quae si omnes supponuntur validae, unice essentialia sunt haec verba: « Confirmo te » vel aequivalentia, quae *uberiorem Spiritus Sancti gratiam significant.*

3. Quia vero ex una parte certum non est omnes illas formas esse validas et ex altera parte in plurimis earum, sicut et in forma latina atque graeca, etiam consignatio exprimitur,

valde probabile est *expressionem consignationis* ad valorem non minus requiri, quam expressionem uberioris gratiae Spiritus Sancti. Id *certum tamen non* est, cum verba « signo te » vel aequivalentia significent characterem, quem nec formae aliorum sacramentorum imprimentium characterem significant. Unde concludere licet eum nec forma confirmationis necessario significandum esse.

4. *Formam graecam pariter et latinam validam esse* patet ex eo, quod fieri nequit, ut Ecclesia formam praescribat, quacum valor sacramenti non possit subsistere. Forma autem latina in decreto Concilii Florentini pro Armenis ad verbum proponitur, et forma graeca iam exhibetur a Conc. Constantinop. I, can. 7. et Trullano can. 95.

CAPUT III.

De Ministro Confirmationis.

THESIS I. **Minister confirmationis ordinarius est solus episcopus.**

De fide ex Trid. sess. 7, de confirm. can. 3: Si quis dixerit sanctae confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, a. s.

Opponitur Photianis, Waldensibus, Wicleffitis, Hussitis etc.

Explicatur: Minister confirmationis *ordinarius* est is, qui illam *vi ordinationis* seu muneris valide administrare potest, qui proinde ad illam valide administrandam delegatione non indiget.

Probatur ex Scriptura et Traditione: *In Scriptura* et quidem Act. 8, 17. et 19, 6. legitur *solos Apostolos* confirmationem administrasse; et eos quidem id fecisse non ut sacerdotes, sed *ut episcopos*, et consequenter solos episcopos vi muneris sui idem facere posse discitur *ex antiqua et constanti traditione*, ut ex testimoniis s. Cypriani, s. Chrysostomi, Innocentii I., Conc. Eliberitani et Hispalensis IV. iam supra citatis.

THESIS II. **Extraordinarius confirmationis minister quivis presbyter esse potest.**

Certum est ex continua praxi Ecclesiae et ex decreto Concilii Florentini pro Armenis (D. 592).

Opponitur quibusdam catholicis, praesertim Hugoni Victorino, Durando, Estio.

Explicatur: 1. Minister confirmationis *extraordinarius* is dicitur, qui illam non vi ordinationis seu muneris, sed solummodo *vi delegationis* valide administrare potest. Qui, si delegationem suam excedit sive quoad tempus sive quoad locum sive quoad aliquid aliud, confirmationem invalide administrat, cum econtra episcopus, qui extra limites suae dioecesis confirmationem administrat, eam valide administret.

2. Primis Ecclesiae temporibus ipsi episcopi baptismum et continuo post eum confirmationem conferre solebant. Sed, cum numerus baptizandorum augeretur et recens nati regulariter coepissent baptizari, episcopi munus baptizandi presbyteris committebant. Eodem tempore in Ecclesia graeca presbyteri facultatem etiam confirmandi acceperunt sive approbante sive saltem non contradicente summo Pontifice, in Ecclesia autem latina non acceperunt. Itaque in Ecclesia *graeca delegatio est generalis* seu quilibet presbyter est minister confirmationis extraordinarius. In Ecclesia vero *latina* delegatio *generalis non est,* specialis tamen saepe data est et datur.

3. Utrum ex iure divino *delegatio a solo summo Pontifice an etiam a quolibet episcopo* dari possit, incertum est. Certum tamen est summum Pontificem eam sibi et reservare posse et nunc reapse reservare.

4. *Quomodo* presbyteri facultatem confirmandi per delegationem accipere possint, sic potest explicari: Per confirmationem homo baptizatus fit miles Christi. Aliquem facere militem *per se* competit exercitus ducibus. Duces in exercitu Christi sunt episcopi et quidem ex dignitate, quae iis per ordinem episcopatus permanenter collata est. Iam vero eadem dignitas quantum ad milites Christi per confirmationem faciendos a Romano Pontifice, exercitus Christiani duce summo, *transeunter* confertur presbytero, qui eandem vi ordinis presbyteratus radicaliter et incomplete iam possidet, non vero actualiter et complete. Itaque id, quod presbytero, ut confirmare possit, datur, est dignitas ducalis, quae ad confirmationem valide conferendam requiritur, quae ipsi tamen non datur intrinsecus per or-

dinationem, sed *extrinsecus per delegationem* vi potestatis iurisdictionis factam.

Probatur ex Traditione et mente Ecclesiae. 1. *Ex praxi Ecclesiae graecae,* in qua iam longe ante schisma Photianum presbyteri immediate post collatum baptismum confirmationem administrare solebant. Neque unquam a Latinis valor huius confirmationis in dubium vocatus est.

2. *Ex Conciliis.* 1. Concilia Flor. et Trid. (sess. 7, de conf. can. 3.) docent episcopum esse ministrum *ordinarium* confirmationis; ergo supponunt etiam extraordinarium eius ministrum esse posse. — 2. Concilium Flor. expresse addit: « Legitur tamen aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa *simplicem sacerdotem* chrismate per episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum » (D. 592).

3. *Ex modo agendi Romanorum Pontificum.* Potestas confirmandi data est a Gregorio M. sacerdotibus Calaritanis in ~~Sicilia,~~ a Nicolao IV. etc. nonnullis FF. Minoribus, a Gregorio XIII. etc. aliquibus missionariis S. I., a Benedicto XIV. Custodi terrae sanctae; nostra aetate concedi solet praefectis apostolicis aliisque missionariis.

CAPUT IV.

De Effectibus Confirmationis.

Per confirmationem:

I. Modo *valide* suscipiatur, *imprimitur character.* Qui quidem probabilius non est modus tantum characteri baptismali superadditus, sed character *specialis* a charactere baptismali realiter distinctus. Charactere confirmationis homo, qui per baptismum iam est subditus Christi, formaliter fit *Christi miles* et in perpetuum deputatur ad fidem Christi profitendam et adversus eius hostes propugnandam.

II. Si etiam *digne* suscipitur:

1. Gratia sanctificans et consequenter etiam dona annexa *augentur.*

2. Datur *ius ad gratias actuales* suo tempore accipiendas, quibus fidem firmiter teneamus et intrepide profiteamur.

CAPUT V.

De Subiecto Confirmationis.

THESIS. **Subiectum confirmationis est omnis homo baptizatus.**

Explicatur: Nulla aetate, nulla conditione homines ab hoc sacramento excluduntur; et illis, quibus, ut infantibus moribundis et perpetuo amentibus, non prodest quidem ad pugnam, prodest tamen ad maiorem gloriam.

Probatur: I. Ex Scriptura. In Actibus Apostolorum *nihil aliud* ante confirmationem legimus *requiri nisi baptismum.*

II. Ex Traditione et mente Ecclesiae. 1. Etiam ab Ecclesia ad confirmationem valide suscipiendam *nihil praeter baptismum* unquam *postulatum est.*

2. *In ecclesia graeca infantes* semper confirmantur statim post baptismum. — In *Pontificali Romano* legitur: « *Infantes* per patrinos ante pontificem confirmare volentem teneantur in brachiis dextris ».

III. Ratione congrua, speciatim *respectu infantium.* « Anima, ad quam pertinet et spiritualis nativitas et spiritualis aetatis perfectio, immortalis est et potest sicut tempore senectutis spiritualem nativitatem consequi, ita tempore pueritiae vel iuventutis consequi perfectam aetatem, quia huiusmodi corporales aetates animae non praeiudicant ». S. Thomas [1].

Scholion. I. Ad quaestionem, *utrum conveniens sit infantibus* confirmationem administrare, catechismus Romanus respondet [2] id *minus expedire.* Maior est enim reverentia sacramento debita et utilitas subiecti, si confirmatio suscipitur cum propria dispositione.

Scholion II. *A lapa,* quae iuxta plurimos mutuata est ex ritu, quo medio aevo equites creabantur, iuxta alios ortum ducit ex mutatione osculi pacis, confirmatum admonet, ut recordetur se nunc in militiam Christi admissum esse et paratum esse debere ad ignominiam aliaque mala pro Christo ferenda. *Verba addita* « Pax tecum » docent militiam Christi cum vera pace consistere.

---

[1] 3, q. 72, a. 8. [2] p. 2, c. 3, n. 18.

PARS QUARTA.

DE EUCHARISTIA.

CAPUT I.

De Reali Christi in Eucharistia Praesentia.

ARTICULUS I.

DE VERITATE REALIS PRAESENTIAE.

Doctrina catholica.

Christus cum corpore et sanguine, anima et divinitate vere et substantialiter in ss. eucharistiae sacramento praesens est.

Trid. sess. 13, can. 1: Si quis negaverit in sanctissimae eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo vel figura aut virtute, a. s.

Errores contrarii.

1. Iam saec. 1. *Doketae,* qui negabant Christum habuisse verum corpus, consequenter negabant *verum corpus* Christi in eucharistia adesse.

2. Saec. 11. *Berengarius* physicam praesentiam corporis Christi videtur negasse et admisisse solummodo *dynamicam* quandam, qua homo cum fide suscipiens panem et vinum particeps fiat ipsius Christi.

Berengarius dicebat se adhaerere doctrinae Ioannis Scoti Erigenae (saec. 9.); sed quae haec doctrina fuerit, ob eius obscuritatem cum certitudine erui non potest. Simul tamen cum Berengarii doctrina liber Scoti Erigenae pluries damnatus est.

Mabillon suspicatur et Lessing, qui Berengarii librum «De sacra cena» reperit, acriter defendit illum non negasse realem praesentiam, sed solam transsubstantiationem.

3. Saec. 12. *Petrus de Bruis* docuit Christum quidem in ultima coena discipulis verum suum corpus et sanguinem dedisse, sed *sacerdotes potestatem consecrandi non habere.*

4. Saec. 12. et 13. *Albigenses realem praesentiam* negarunt.

5. Saec. 14. *Wiclif* renovavit errorem Berengarii.

Plurimis Wiclif ipsam realem praesentiam negasse videtur. Fortasse tamen solummodo negavit transsubstantiationem.

6. Saec. 16. *realem* Christi in eucharistia praesentiam negarunt *Zwinglius* et *Calvinus.*

In eo consenserunt, quod docuerunt eucharistiam esse tantummodo *symbolum* corporis Christi, non ipsum corpus; in eo autem dissenserunt, quod Zwinglius tenuit ab homine eucharistiam sumente nihil nisi illud *symbolum recipi,* Calvinus vero statuit ab eodem simul *recipi virtutem,* quae a corpore Christi in coelo exsistente in ipsum descendat.

Probatur realis Christi in eucharistia praesentia.

Realis Christi in eucharistia praesentia luculenter probari potest ex Scriptura et ex traditione Ecclesiae. Quantum ad Scripturam, sufficit eam probare ex verbis promissionis, quae referuntur in evangelio s. Ioannis, et ex verbis institutionis, quae in tribus aliis evangeliis citantur.

Probatus realis praesentia ex Scriptura:

A. Ex promissione eucharistiae. Io. 6, 48-70.

I. *Ex sermone Christi,* ex quo realis praesentia directe et indirecte deducitur.

1. *Directe,* et quatenus sermo Christi in se spectatur et quatenus cum aliis ipsius verbis comparatur.

a) Ex sermone Christi *in se spectato,* qui clarus est et emphaticus. Christus enim:

α) Dicit *se esse panem,* ex quo manducetur vel qui manducetur, et id quidem ter asserit.

v. 50: *Hic est panis de coelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* — v. 52: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* — v. 59: *Hic est panis, qui de coelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.*

β) Dicit *se manducari.*

v. 58: *Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me.*

γ) Dicit *panem*, quem ipse daturus sit, *esse suam carnem.*

v. 52: *Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

δ) Dicit *carnem suam vere esse cibum* et *sanguinem suum vere esse potum.*

v. 56: *Caro enim mea vere* (ἀληθῶς) *est cibus, et sanguis meus vere est potus.*

Sed si caro Christi, ut adversarii volunt, sola fide ederetur, non vere, sed *metaphorice* esset cibus.

ε) Dicit *carnem suam manducari* et *sanguinem suum bibi* idque ter affirmat.

v. 54: *Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* — v. 55: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.* — v. 57: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.*

Sed spiritualis Christi perceptio distinctione facienda inter manducandum et bibendum non eget, cum uno modo fiat.

ζ) Dicit *carnem suam esse manducandam* et *sanguinem suum esse bibendum* sub poena mortis spiritualis, et id quidem dicit solemni cum assertione.

v. 54: *Amen, amen dico vobis* etc. (supra).

Sed quilibet legifer prudens legem exprimit verbis intelligibilibus.

Nota. Itaque in decem versibus (50-59.) quater distinguitur inter carnem et sanguinem (54-57.), quater adhibetur vox manducandi (50. 52. 58. 59.), ter distinguitur inter manducandum et bibendum (54. 55. 57.), semel inter cibum et potum (56.).

b) Ex sermone Christi collato cum aliis, quae Christus dixit et quidem:

α) *proxime antehac* (Io. 6, 32-47.), ubi locutus est de se ut cibo metaphorice intellecto. Ex quo non licet concludere etiam ea, quae postea dixit quaeque referuntur vv. 48-70., metaphorice intelligenda esse, ut apparet ex comparatione inter verba utriusque partis instituta. Christus enim locutus est:

1° *in parte priore* (32-47.) de se ut *pane* vero de coelo (32.) vel ut pane Dei (33.) vel ut pane vitae (35.), *in altera* (48-70.) de *carne* sua et de *sanguine* suo (54-57.); — 2° *in priore* de pane, qui tempore tunc praesente iam *detur* (32.), *in altera* de pane, qui *dandus sit* tempore futuro (52.); — 3° *in priore* de pane, qui detur *a Patre* (32.), *in altera* de pane, qui dandus sit *a Christo* ipso (52.); — 4° *in priore* de se, *ad quem sit veniendum*, in quem sit credendum (35.), *in altera* de carne sua, *quae sit manducanda* et de sanguine suo, *qui sit bibendus* (54. 55. 57.), vel de carne sua, *quae vere sit cibus*, et de sanguine suo, *qui vere sit potus* (56.).

Nota. Christus, postquam panes miraculo multiplicavit, (Io. 6, 5-13.) Iudaeos admonuit, ut cibum permanentem in vitam aeternam sibi compararent (27: ἐργάζεσθε). Qui quidem cibus ipse Christus est, sed sub duplici diversa ratione spectatus, sc. ut cibus improprie acceptus (32-47.) et ut cibus proprie intellectus (48-70.).

β) *posthac:* in eucharistia instituenda (Matth. 26, 26.):

Io. 6, 52.	Matth. 26, 26.
Panis, quem ego dabo,	Accepit panem... deditque discipulis suis et ait: Accipite et comedite:
caro mea est.	hoc est corpus meum.

Adversarii, quia perspicuitate verborum coguntur, *in promissione* carnem sensu proprio accipiunt, sed manducare sensu improprio. E contrario *in institutione* ex eadem ratione accipere et comedere proprie intelligunt, sed corpus improprie. Tamen in aperto est et in promissione et in institutione de eadem re sermonem esse, neque unquam eventus promissioni aptius respondit. Ergo in promissione non minus, quam in institutione vox manducandi, sicut et nomen carnis *proprie* intelligi debet.

2. *Indirecte.* Si sermo Christi non proprie, sed improprie seu metaphorice intelligeretur,

a) Christus *prius*, sc. vv. 32-47. *clare, deinde* vero, sc. vv. 48-70. *obscure* locutus esset, id quod ineptum est. Nam contingere quidem solet, ut is, qui prius aliquid obscure docuit, id postea explicet et aperte proponat; sed nequaquam est prudentis id, quod prius clare proposuit, postea involvere metaphoris tam obscuris et inauditis, ut intelligi iam non possit.

b) Manducare, quod Christus expostulat, non *significaret credere,* ut adversarii volunt, sed significaret *insectari calumniis, iniuriis, persecutionibus.* Illud non significare credere ex eo evincitur, quod ne unum quidem eiusmodi significationis exemplum occurrit et, si id significaret, nos credentes v. g. gehennam dici possemus gehennam manducantes, id quod absurdum est. Verbum autem manducandi, si metaphorice acciperetur, nihil significare posse nisi calumniis vel iniuriis vel persecutionibus etc. afficere manifestum est ex eo, quod illud verbum in tota Scriptura et in omnibus linguis orientalibus alium sensum metaphoricum non habet.

Iob 19, 22: *Quare persequimini me sicut Deus et carnibus meis saturamini?* — Ps. 26, 2: *Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas.* — Mich. 3, 3. Gal. 5, 15: *Quod si invicem mordetis et comeditis, videte, ne ab invicem consumamini.* — Iac. 5, 3.

Ergo, si verba Christi metaphorice intelligerentur, hunc sensum haberent: Qui me calumiis vel iniuriis vel persecutionibus vexat, non morietur (50.), vivet in aeternum (52. 59.), habet vitam aeternam (55.), in me manet et ego in illo (57.), vivet propter me, sicut ego vivo propter Patrem (58.). E contrario, si me ita non vexaveritis, non habebitis vitam in vobis (54.).

c) Si verbum manducandi metaphorice sumptum significaret credere, *obiectum fidei esset caro et sanguis Christi.* Itaque sensus verborum Christi esset: Nisi credideritis Filium hominis habere carnem et sanguinem, non habebitis vitam in vobis (54.). Econtra, qui credit me habere carnem et sanguinem, habet vitam aeternam et ego resuscitabo eum in novissimo die (55.), item ipse in me manet et ego in illo (57.). Sed Iudaeos invitare ad credendum Christum habere carnem et sanguinem plane *superfluum* erat; id inculcare solemni cum assertione (*Amen, amen dico vobis,* 54.) et sub poena spiritualis atque aeternae mortis (*nisi manducaveritis carnem* etc., *non habebitis vitam in vobis.* 54.) *ridiculum* erat; id involvere obscurissimis metaphoris, quae a nullo audiendium intelligebantur, a nullo intelligi poterant, et per hoc multis esse offensioni, *vesanum* erat.

II. *Ex modo intelligendi auditorum,* qui fuerunt:

1. *Iudaei.* Hi verba Christi de *vera carnis manducatione* intellexerunt. Nam *litigabant... ad invicem dicentes: Quomodo*

potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? (53.). Christus autem modum intelligendi eorum neque reprobavit neque correxit, sed *approbavit* et ea, quae dixerat, solemni cum assertione inculcavit dicendo: *Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* (54.). Quis autem credere potest Christum iisdem hominibus, qui ab ipso tanta benignitate miraculo cibati fuerant, qui, ut ipsum quaererent, mare Tiberiadis transfretaverant (24.), tantum scandalum obiecisse, quod uno verbo auferre poterat?

2. *Discipuli.* Etiam hi verba Christi *sensu proprio* intellexerunt. Nam legitur: *Multi ergo audientes ex discipulis eius dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* (61.) *Sciens autem Iesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat?* (62.) *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius?* (63.) *Spiritus est, qui vivificat; caro non prodest quidquam; verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* (64.).

Haec verba Christi *diversimode explicantur.*

Ab adversariis sic intelliguntur: Christus dicere voluit manducationem carnis suae intelligendam esse spiritualem i. e. metaphoricam neque realem esse posse, cum ipse ascensurus sit in coelum.

A catholicis duobus modis diversis intelliguntur:

A longe plurimis sic explicantur: Christus *scandalum discipulorum mollire voluit* et habuit in animo eos revocare a sensu falso et crudo, quo putabant carnem ipsius esse modo aliarum carnium minutim consecandam et manducandam. Contra hunc percipiendi modum docuit carnem suam manducandam esse spiritualiter i. e. sacramentaliter (non vero metaphorice) et rationem, ob quam caro sua vivificet, esse spiritum (64.) i. e. divinitatem carni coniunctam, cum caro a divinitate seiuncta virtutem vivificandi non habeat. — Per verba v. 63: *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius?* discipulos monere voluit, ut cogitationes suas a carne mortali abstraherent et cogitarent corpus in coelum ascensurum ideoque gloriosum atque spirituale (cf. 1. Cor. 15, 44.) simulque per admirabilem ascensionem, quae resurrectionem supponit et connaturaliter sequitur, probare voluit se id efficere posse, quod discipuli credere noluerunt.

Ab aliquibus, inter quos eminet Maldonatus, sic explicantur: Christus *scandalum discipulorum augere voluit.* Iuxta hanc explicationem sensus v. 63. est hic: Si nunc, cum me praesentem cernitis, non creditis carnem meam a vobis manducari posse, quomodo id credetis, cum me in coelum ascenden-

tem videritis? In v. 64. caro significat homines carnaliter sentientes, spiritus significat spiritum Dei, ita ut sensus sit: Spiritus (τὸ πνεῦμα) Dei dat fidem et intellectum rerum divinarum. Homo carnaliter sentiens res divinas percipere non potest. Verba autem mea sunt spiritus (πνεῦμα) et vita, i. e. agunt de rebus divinis et vitam animae conferentibus. — Hanc explicationem posse esse rectam ex eo colligitur, quod in Scriptura spiritu saepe significatur Spiritus Dei et carne homo carnaliter sentiens vel natura corrupta seu infirma, imo, ut censet Maldonatus, semper, si spiritus et caro invicem opponuntur. Cf. Gen. 6, 3; Rom. 8, 6. 7. 13; Rom. 9, 8; 1. Cor. 2, 14; 15, 50: *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt.*

Verba ista *intelligi non possunt iuxta interpretationem adversariorum*, qui opinantur Christum iisdem dicere voluisse manducationem carnis suae *metaphorice* intelligendam esse. Nam praeter alia obstat v. 67., in quo legitur: *Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro; et iam non cum illo ambulabant.* Ex quo haec *duo apparent:*

a) Multi illi *discipuli* verba Christi eo sensu, quo adversarii, sc. *metaphorico non intellexerunt.* Nam secus a Christo non defecissent.

b) Christus hos discipulos suos a se deficere *non prohibuit.* Ille igitur, qui Luc. 19, 10. de se ipso dicit: *Venit... Filius hominis quaerere et salvum facere, quod perierat,* eos a se deficere sivit, qui sermonem ipsius non ex mala voluntate, sed ex natura locutionis proprie intellexerant, et insuper interrogavit duodecim Apostolos (v. 68.): *Numquid et vos vultis abire?* Ergo maluit permittere, ut ipsi Apostoli a se deficerent, quam verba sua mitius explicare.

3. *Duodecim Apostoli.* Etiam hi verba Christi *proprie intellexerunt.*

Probatur: *a)* Ex eo, quod *alias semper* verba Christi sensu proprio accipiebant idque etiam tum, cum sensu metaphorico accipi et debebant et perfacile poterant. Unde factum est, ut Christus verba sua Apostolis semper fere explicare debuerit et reapse explicaverit.

Cf. e. g. Matth. 16, 6. sqq.: *Cavete a fermento pharisaeorum. At illi cogitabant intra se dicentes: Quia panes non accepimus. Sciens autem Iesus dixit: Quid cogitatis intra vos modicae fidei, quia panes non habetis?... Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: Cavete a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum? Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisaeorum et Sadducaeorum.* — Io. 4, 32-34: *Ille* (Iesus) *autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Di-*

cebant ergo discipuli ad invicem: Numquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Iesus: Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius. — Io. 11, 11-14: *Lazarus amicus noster dormit; sed vado, ut a somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli eius: Domine, si dormit, salvus erit... Tunc ergo Iesus dixit eis manifeste: Lazarus mortuus est.*

b) Ex eo, quod *s. Petrus* nomine ceterorum Apostolorum explicite profitendo divinitatem Christi implicite *professus est* vera esse, quae Christus dixerat.

v. 69. 70: *Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes. Et nos credidimus et cognovimus, quia* (ὅτι) *tu es Christus, Filius Dei.* — Simili modo Martha explicite solam Christi divinitatem professa est, sed eo ipso implicite professa est se ipsius verbis credere. Io. 11, 25-27: *Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum. Credis hoc? Ait illi: Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus, Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.*

c) Ex eo, quod *parati fuerunt* neque obstupefacti sunt, cum Christus iis *in ultima coena* corpus suum ad manducandum et sanguinem suum ad bibendum porrigeret.

4. *S. Ioannes speciatim*, qui verba Christi refert. Ipsi enim est mos verba, quae clara non sunt et perperam intelligi possunt, explicare. Sed in hoc casu, in quo verba Christi, si proprie intelligenda non essent, obscurissime dicta et prorsus false intellecta essent, *nullam explicationem addit.*

Cf. Io. 4, 1. 2: *Audierunt Pharisaei, quod Iesus plures... baptizat, quam Ioannes, quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius.* — Io. 12, 32, 33: *Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat significans, qua morte esset moriturus.*

B. **Ex institutione eucharistiae.**

Matth. 26, 26-28; Marc. 14, 22-24; Luc. 22, 19. 20; 1. Cor. 11, 23-25.

Matth. 26, 26-28: *Coenantibus autem eis accepit Iesus panem et benedixit ac fregit deditque discipulis suis et ait: Accipite et comedite: hoc est corpus meum* (τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. Item Marc. et Luc., ubi additur: τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον = *quod pro vobis datur;* 1. Cor.: τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον [1] = quod pro vobis frangitur; Vulg.: *quod pro vobis tradetur*). *Et accipiens calicem gratias egit et dedit illis*

[1] κλώμενον in quatuor antiquioribus codd. graecis non habetur.

dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. (τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Item Marc. omisso « in remissionem peccatorum ». Sed Luc.: τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. = Hic calix est novum testamentum in meo sanguine, qui calix pro vobis effunditur. Vulg.: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Item 1. Cor. omisso: τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον sed post « διαθήκη » addito « ἐστὶν » et adiunctis verbis: *Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem).*

I. *Ex iis, quae Christus dixit.*

1. *Directe.* Verba Christi sunt *clara et emphatica.* Nam:

a) In sententia, qua praesentia sacramentalis corporis Christi asseritur, subiectum est: τοῦτο i. e. illud, quod in manibus teneo; ἐστί per se significat identitatem subiecti cum nomine praedicati; nomen praedicati est: τὸ σῶμά μου (cum articulo!) = idem corpus, quod meum iam est.

b) In sententia a s. Matthaeo relata, qua sacramentalis praesentia sanguinis Christi affirmatur, ter ponitur articulus, quo inculcatur sanguinem ad bibendum exhibitum *eundem Christi sanguinem* esse, qui pro multis effundatur.

In eadem sententia, prout a ss. Luca et Paulo citatur, *hic calix* idem est atque « id, quod in hoc calice continetur »; — *est novum testamentum in sanguine meo* idem significat atque « est sanguis meus novi testamenti ». Novum enim testamentum sancitur sanguine Christi, unde sanguis Christi est causa sanciens, novum testamentum est effectus sanctus. A ss. Matthaeo igitur et Marco causa ponitur in recto, effectus in obliquo; a ss. Luca et Paulo econtra effectus ponitur in recto, causa in obliquo.

2. *Indirecte.* A sensu proprio verborum discedere ratio nec postulat nec permittit.

Probatur. a) Non est verum in lingua *syro-chaldaica* deesse verbum, quo exprimatur « significare », quapropter Christus loco « hoc *significat* corpus meum » dicere debuerit « hoc *est* corpus meum ». Nam in illa lingua, ut Wiseman testatur (in opere: Horae syriacae), *ultra quadraginta voces* habentur, quibus « significare » exprimi potest. Sed modo contingat, ut in lingua syro-chaldaica vox illa desit, in lingua *graeca* certe non deest. Unde, si Christus « significat » expri-

mere voluisset, omnes tres verborum Christi interpretes inspirati non posuissent « ἐστί », quod per se significat identitatem subiecti cum nomine praedicati, sed « σημαίνει » vel aliam vocem similem.

b) Panis ex natura rei vel usu hominum *neque* est signum corporis humani, ut statua hominem repraesentans; *neque* est receptaculum humani corporis, ut crumena receptaculum pecuniae est; *neque* in qualitatibus suis corpori humano similis est, ut homo fortis in sua fortitudine similis est leoni, unde leo vocari potest. *Nec* Christus dixit vel utcunque significavit se panem assumere signum sui corporis. Sed si quis praeter hos casus unam rem enuntiat et aliam vult intelligi, inepte ac false loquitur, ut, si quis panem sumens dicit: « Hic est rex », secum cogitando: Ego assumo hunc panem symbolum regis.

c) Regula hermeneutica vetamur a sensu proprio Scripturae recedere, nisi ipse contradicat aut *revelationi* aut *rationi*. Sed neutrum hic occurrit. Unica ratio a sensu proprio recedendi esse potest, quia continet *mysterium incomprehensibile*. Sed si haec ratio admittitur, tota religio Christiana corruat necesse est.

d) Si a sensu proprio recedendum esset, constare deberet, *qui sit* verborum sensus *improprius*. Sed hoc minime constat, ut apparet ex multitudine et varietate falsarum interpretationum.

Iam Lutherus varietatem ac diversitatem earum irrisit. — Christophorus Rasperger Aurasatensis anno 1577. Ingolstadii edidit libellum, in quo *ducentae* verborum « hoc est corpus meum » interpretationes vel potius depravationes collectae inveniuntur. Veritas est una; error semper in diversa deviat.

II. *Ex iis, quae Christus fecit.* A Christo, cum eucharistiam institueret:

1. *Res nova inducta est* et ea quidem maximi momenti, quam non recte intelligere perniciosum est. Ab inductione autem rei novae *tropica locutio abesse* et solet et debet, nisi mens illius, qui eam inducit, antea manifestata est.

2. *Sacramentum institutum est,* ut adversarii concedunt. Sed sacramenta, quae sunt partes Ecclesiae essentiales, *verbis tropicis* atque obscuris implicari non debent, ne occasio detur ad ea perperam interpretanda vel tractanda.

Hinc et *sacramenta veteris legis*, quae erant figurae tantum sacramentorum novae legis, *verbis clarissimis instituta sunt*, ut circumcisio (Gen. 18, 10-14.), esus agni paschalis (Exod. 12.), variae lustratienes et expiationes (in toto Levitico). Hinc etiam a Christo sacramentum baptismi verbis perspicuis institutum est.

3. *Testamentum conditum est*, ut patet ex Christi verbis. Iam vero:

a) Testamentum ex omnium sententia *verbis planis exprimi debet;* nec cuiquam sano in mentem venit testari verbis tropicis; et in omnibus tribunalibus verba testatoris proprie accipiuntur, ita ut ille merito stultus habeatur, qui, si cui domus legatur, contendat eam non esse domum ipsam sed eius imaginem.

b) Vetus testamentum, quod erat figura testamenti novi (Col. 2, 17.), *vero* sanguine confirmatum est, ut narratur Exod. 24, 8; ergo *a fortiori novum testamentum* confirmatum est sanguine *vero*. Nam secus sanguis proprie intellectus adfuisset in confirmatione illius testamenti, quod erat figura, et sanguis figurate intellectus adfuisset in confirmatione eius testamenti, quod est veritas, id quod absonum est.

Modo componantur verba, quibus novum testamentum confirmatum est, cum verbis, quibus testamentum vetus est confirmatum, statim liquet ea esse *parallela*.

Exod. 24, 8.	Matth. 26, 27. 28.
Ille (Moyses) vero sumptum sanguinem	Accipiens calicem gratias egit et dedit illis
respersit in populum et ait:	dicens: Bibite ex hoc omnes.
Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum.	Hic est enim sanguis meus novi testamenti.

4. *Lex lata est*, ut apparet ex verbis Christi Luc. 22, 19: *Hoc facite in meam commemorationem* et 1. Cor. 11, 26: *Quotiescunque enim manducabitis panem huc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Sed legislatoris est legem exprimere *verbis perspicuis.*

Omnes leges in vetere testamento latae verbis claris expressae sunt. Num lex nova veteri legi praestat obscuritate? Neque obstant Matth. 16, 6: *Cavete a fermento Pharisaeorum;* Eph. 4, 30: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei* vel similia, quia illis verbis non feruntur novae leges, sed dantur exhortationes ad observandas leges iam vigentes.

III. *Ex modo, quo verba Christi a fidelibus intellecta sunt vel intelliguntur*, et quidem:

1. *Ab Apostolis,* qui ea ab ipso Domino audierunt. Ab iis verba institutionis:

a) Non potuerunt nisi proprie intelligi. Quomodo enim verba a Christo clare et solemniter pronuntiata metaphorice intelligi potuerunt ab iis, qui erant simplices et illitterati, qui verba Christi semper proprie intelligebant, etiam si metaphorice intelligi et debebant et facile poterant, qui testes plurimorum Christi miraculorum fuerant, unde mirabilibus ab ipso factis assueverant, ab iis, quibus Christus ea, quae aliis obscurius dixerat, explanare solebat (Matth. 4, 11.), quibus hoc ss. sacramentum promiserat, a quibus, ut sibi firmiter crederent, semper postulaverat, quosque de defectu fidei saepius reprehenderat? (Matth. 8, 26; 14, 31; 16, 8; 17, 19. Marc. 16, 14 etc.).

b) Reapse proprie intellecta sunt. Hoc constat ex conformi quatuor hagiographorum narratione, in qua nullus verba alterius explicat.

Alias, si ab uno hagiographo aliquid verbis obscuris vel metaphoricis expressum est, idem ab alio explicari solet. Sic Matth. 11, 14. *s. Ioannes Baptista* vocatur *Elias;* sed, ut dignoscatur, quo sensu Elias vocetur, Luc. 1, 17. dicitur: *Praecedet ante illum* (Dominum) *in spiritu et virtute Eliae.* — *S. Ioseph* saepius formaliter vel aequivalenter vocatur *pater Christi* (Matth 1, 16; 13, 55. Luc. 2, 33. 48. Io. 6, 42.); sed, ne fallamur, Luc. 3, 23. additur: *ut putabatur.* — Matth. 26, 61. narratur *Christum* fuisse accusatum, quod dixisset: *Possum destruere templum Dei et post triduum reaedificare illud;* sed, quia ibi incertum relictum est, de quo templo sermo esset, Io. 2, 21. additur: *Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Ex contrario cum hagiographi loquuntur de eucharistiae, nemo verba alterius interpretatur.

2. *Ab aliis fidelibus,* qui verba Domini ab Apostolis didicerunt.

Verba Christi sensu proprio intellecta sunt ab omnibus Christianis praeter paucos usque ad saec. 16., et quidem, ut re vera fuit, a temporibus Apostolorum, ut concedunt ipsi adversarii, saltem a saec. 5. A saec. 16. autem usque ad nostram aetatem a maiore parte Christianorum proprie accepta sunt. Ingens igitur hominum multitudo per undeviginti saecula realem Christi in eucharistia praesentiam credidit et, quia credidit, hoc sanctissimum sacramentum cultu latriae adoravit. Omnes autem illi homines ad id adducti sunt non sua perversitate, non voluptate, non temeritate, non sensu, non humana ratione, sed sola auctoritate Christi, cui se suamque rationem,

ut ipse semper postulabat, subiiciebant. Itaque, si innumerabiles illi homines verba Christi sine sua culpa perperam intellexissent et consequenter errassent, concludendum esset, Christum id aut praevidisse aut non praevidisse. Si non praevidisset, non esset omniscius, consequenter nec Deus; si praevidisset, fuisset fraudator pessimus et perniciosissimus, quippe qui fide innumerabilium hominum sibi praestita abusus fuisset ad eos praecipitandos in idololatriam maxime abiectam et ridiculam, ad eos faciendos cultores panis. Ille igitur, qui habetur Salvator hominum et exstinctor omnis generis idololatriae, re vera esset hominum perditor et artolatriae auctor. Ergo, si Christus in eucharistia praesens non esset, nullo modo posset haberi Filius Dei et fundator religionis verae.

Probatur realis praesentia ex Traditione:

A. Ex ss. Patribus.

I. *Ex Patribus trium priorum saeculorum.*

S. Ignatius de Doketis scribit[1]: « Ab eucharistia et oratione (i. e. precibus liturgicis ad eucharistiam pertinentibus) abstinent eo, quod non confiteantur *eucharistiam carnem* esse salvatoris nostri *Iesu Christi*, quae pro peccatis nostris *passa* est, quamque Pater benignitate sua *resuscitavit* ». — *S. Iustinus* in apol. I. (scripta circa annum 150): « Hic cibus vocatur apud nos eucharistia; neque enim ut communem panem neque ut communem potum ista sumimus; sed quemadmodum per verbum Dei caro factus est Iesus Christus Salvator noster et carnem et sanguinem habuit pro salute nostra, ita etiam illam *alimoniam*,... edocti sumus esse incarnati illius *Iesu et carnem et sanguinem* ». — *S. Irenaeus* scribit[2] contra Gnosticos: « Quomodo constabit iis eum panem, in quo gratiae actae sunt (ἄρτον εὐχαριστθέντα), corpus esse Domini sui et calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant...? Quomodo autem rursus dicunt carnem... non percipere vitam, quae *corpore Domini et sanguine alitur* »? — *Tertullianus*[3]: « Caro (Christianorum) *corpore et sanguine Christi vescitur*, ut et anima saginetur ». — *Origenes*[4]: « Volo vos admonere

[1] Ep. ad Smyrn. c. 7.
[2] Adv. haer. l. 4, c. 18.
[3] De resurr. c. 8.
[4] Hom. 13. in Ex.

religionis vestrae exemplis. Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuestis, quomodo, cum *suscipitis corpus Domini*, cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur ». Et[1]: « Tunc in aenigmate erat manna cibus; nunc in specie *caro Verbi Dei est verus cibus*, sicut et ipse dicit, quia caro mea vere est cibus ». — *S. Cyprianus* in libro de lapsis n. 24. sqq. varia miracula narrat, quibus Deus ab eucharistia repulit eos, qui idolorum cultu contaminati erant, quia *ab idololatris* « *vis infertur corpori eius et sanguini* et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt ».

Difficultates quaedam afferuntur: 1. Ex ep. *s. Ignatii* ad Trallianos, c. 8, ubi legitur: « Renovamini in fide, quod est caro (ἐν πίστει, ὅ ἐστιν σάρξ) Domini et in caritate, quod est sanguis Christi ». — Id, quod vocatur caro et sanguis Christi, non est fides et caritas, sed renovari in fide et caritate. Caro autem et sanguis hic intelligitur effectus carnis et sanguinis. Ponitur enim per immutationem (metonymiam) effectus seu res sacramenti pro ipso sacramento. — 2. Ex libris 5 *Tertulliani* adv. Marcionem, et quidem: *a)* Ex l. 1. c. 14, in quo dicitur: « Ille quidem (Christus) usque nunc nec aquam reprobavit creatoris, qua suos abluit,... nec panem, quo ipsum corpus suum repraesentat ». Tertulliano « repraesentare » saepius idem est ac « praesens exhibere », ut adv. Marc. l. 4, c. 22; de orat. c. 5. Ceterum etiam alio sensu species sacramentales corpus Christi repraesentant, de quo postea. — *b)* Ex l. 3. c. 19, ubi legitur: « Hoc lignum (crucis) et Hieremias tibi insinuat, dicturis praedicans Iudaeis: « venite, mittamus lignum in panem eius », (Ier. 11, 19.) utique in corpus. Sic enim Deus in evangelio quoque vestro (i. e. Lucae, quod solum Marcionitae admittebant) revelavit, panem corpus suum appellans, ut et hinc iam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse (= Christum in ultima coena pani dedisse, ut esset figura adimpleta corporis sui), cuius retro corpus in panem prophetes figuravit, ipso Domino hoc sacramentum (= propheticam adumbrationem futuri) postea interpretaturo (sc. per realem adimpletionem) ». Haec verba hunc sensum habere videntur: In vetere testamento corpus Christi typice vocatur panis, seu panis est typus corporis Christi. Huius typi antitypus est ipsum corpus Christi sub specie panis seu ss. eucharistia. — *c)* Ex l. 4, c. 40: « Acceptum panem et distributum discipulis corpus illum suum fecit, « hoc est corpus meum » dicendo, i. e. figura corporis mei ». Si omnia considerantur, quae his verbis adiunguntur, praesertim: « venite, coniiciamus lignum in panem eius », quod iterum citatur, sensus videtur esse idem, ac verborum praecedentium, nimirum: corpus meum eucharisticum est antitypus

[1] Hom. 7. in Num. n. 2.

typi corporis mei, qui typus erat panis. — Du Perron eadem verba explicat per constructionem, quae vocatur hyperbaton (traiectio), et quidem sic: hoc id, est figura corporis mei (= id, quod apud Ieremiam fuit figura corporis mei), est corpus meum. Et profecto, eadem constructio in scriptis Tertulliani non raro occurrit, ut c. Praxeam, c. 29: « Christus mortuus est, id est unctus »; c. Marc. l. 4, c. 11: « Aperiam in parabolam os meum, id est similitudinem ».

II. Ex Patribus posteriorum saeculorum.

A Patribus illis:

1. Docetur eucharistiam esse corpus Christi, idque verum et proprium, idem, quod sit natum, passum etc.

S. Ambrosius [1]: « Hoc, quod conficimus, *corpus ex Virgine* est. Quid hic quaeris naturae ordinem, cum praeter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine? *Vera* utique *caro Christi,* quae *crucifixa* est, quae *sepulta* est, vere ergo carnis illius sacramentum est. Ipse clamat Dominus Iesus: Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum coelestium alia species nominatur; post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur; post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis: Amen; hoc est: verum est ».

S. Chrysostomus [2]: « Si humanum vestimentum (alicuius regis) nemo ausus fuerit temere tangere, quomodo *corpus universorum Dei immaculatum et purum,* quod cum divina illa natura versatum est, per quod sumus et vivimus, per quod portae mortis fractae sunt et fornices coeli aperti sunt, cum tanta contumelia *accipiemus?* Ne, quaeso, ne nos ipsos iugulemus per impudentiam, sed cum horrore et puritate omni ad ipsum accedamus; et, cum ipsum videris propositum, tibi dic: Propter hoc corpus non sum ego amplius terra et cinis, non ultra captivus, sed liber...; *hoc corpus clavis confixum, flagris caesum* mors non tulit; hoc corpus sol cum crucifixum videret, radios avertit...; hoc est illud corpus, quod *cruentatum* fuit, *lancea perfossum,* quod salutares fontes scaturivit, alium sanguinis, alium aquae... Hoc corpus *dedit nobis et tenendum et comedendum,* quod intensae dilectionis fuit ». — *S. Augustinus* [3]: « Quod videtis, panis est et calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant. Quod autem fides vestra postulat instruenda, *panis est corpus Christi,* calix sanguis Christi ». Et [4]: « Accipite itaque et *edite corpus Christi* .. Ipse namque... ait: Hoc est corpus meum... Hoc et in evangelio vel legebatis vel audiebatis (catechumeni), sed hanc *eucharistiam* esse *Filium (Dei)* nesciebatis. Nunc vero... accedite... Illam enim *carnem sumitis,* de qua dicit ipsa vita: Panis, quem ego dedero, caro mea est pro saeculi vita ». Ib.: « Hoc agnoscite in pane, *quod pependit* in *cruce;* hoc in calice, quod manavit ex latere ». Et [5]: « Hoc, quod videtis, carissimi, in mensa Domini,

---

[1] De mysteriis, c, 9.

[2] In hom. 24. in 1. Cor. n. 4.

[3] Serm. 272.

[4] Serm. 3. edit. a Caillau.

[5] Serm. 6.

panis est et vinum; sed iste *panis* et hoc vinum accedente verbo *fit corpus* et sanguis *Verbi*». — *S. Cyrillus Alex.*[1]: «Sanctos conventus in ecclesiis agimus... *supervenit et apparet Christus nobis omnibus,* invisibiliter simul ac visibiliter: invisibiliter quidem ut Deus, *visibiliter* vero *in corpore*. Permittit vero et *dat sanctam carnem suam tangendam.* Accedimus enim secundum Dei gratiam ad participationem eulogiae mysticae *Christum in manum suscipientes,* ut et nos firmiter credamus eum templum suum vere excitasse».

2. Asseritur Christum in hoc sacramento non sola fide, sed re nobis copulari.

S. Cyrillus Alex.[2]: «Animadvertere operae pretium est Christum non dicere se dumtaxat *in nobis* futurum secundum relationem aliquam affectualem, sed et *per participationem physicam.* Ut enim, si quis ceram alteri cerae coniungens igne simul liquefecerit, unum aliquid ex ambobus efficit: ita per corporis Christi et pretiosi sanguinis participationem ipse quidem in nobis, nos autem rursum in ipso simul unimur».

3. Eucharistia comparatur: *a)* Cum figuris suis, quae sunt manna, panes propositionis, agnus paschalis, sanguis testamenti etc., et contenditur tantum discrimen esse inter has et illam, quantum est inter umbram et corpus, imaginem et veritatem. — *b)* Cum incarnatione, in qua Filius Dei naturam humanam veram assumpsit.

S. Ambrosius in libro de mysteriis doctrinam de eucharistia exponens, postquam varias eius figuras veteris testamenti proposuit, sic concludit[3]: «Haec in figura facta sunt nostra. Cognovisti praestantiora; *potior est* enim *lux* quam umbra, *veritas* quam figura, *corpus Auctoris* quam manna de coelo». — *S. Chrysost.*[4]: «Ille quippe agnus (paschalis Ex. 12, 12.) figura erat alterius agni spiritualis, et ovis ovem praenotabat. Atque illud quidem umbra, hoc veritas erat. Cum apparuisset sol iustitiae, umbra cessavit; oriente quippe sole solvitur umbra. Ideo *in* eadem ipsa *mensa* utrumque *pascha perficitur* et typi et *veritatis*... Erat olim pascha iudaicum, sed nunc solutum est advenitque spirituale pascha, quod nunc tradidit Christus. Illis enim manducantibus ac bibentibus... accipiens panem fregit et dixit: Hoc est corpus meum». — *Salvianus*[5]: «Iudaei habebant quondam umbram rerum, nos *veritatem;*... Iudaei manna manducaverunt, nos *Christum;* Iudaei carnes avium, nos *corpus Dei;* Iudaei pruinam coeli, nos *Deum coeli*».

S. Hilarius[6]: «Si vere Verbum caro factum est et *vere nos Verbum carnem cibo dominico sumimus,* quomodo non naturaliter manere in nobis

---

[1] L. 12. in Ioan. 20, 26.
[2] L. 4. in Io. c. 17.
[3] c. 8, n. 49.
[4] Hom. 1. de prod. Iudae.
[5] Adv. avarit. l. 2, n. 6.
[6] De Trin. l. 8, n. 13. sq.

existimandus est, qui et naturam carnis nostrae iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit et naturam carnis suae ad naturam aeternitatis sub sacramento nobis communicandae carnis admiscuit?... Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, et vere homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosque *vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus* et per hoc unum erimus, quia Pater in eo est et ille in nobis, quomodo voluntatis (tantum) unitas (inter nos et Christum) asseritur, cum naturalis per sacramentum proprietas perfectae sacramentum sit unitatis »?

4. Ab eucharistia typi et figurae expresse excluduntur.

S. Cyrillus Alex.[1]: « Demonstrative dixit: Hoc est corpus meum, et: Hic est sanguis meus, *ne figuram esse arbitreris* ea, quae videntur, sed arcana aliqua ratione transformari (μεταποιεῖσθαι) ab omnipotenti Deo in corpus et sanguinem Christi in veritate, quae oblata sunt ». — S. Maruthas, qui vixit saec. 4. et 5. et fuit episcopus in Mesopotamia[2]: « Quotiescunque ad corpus et sanguinem accedimus et super manus nostras accipimus, sic credimus nos corpus amplecti et nos carnis et ossium eius (participes fieri) iuxta id, quod scriptum est; enimvero *Christus illud non appellavit typum aut figuram,* sed (dixit): Vere hoc est corpus meum, et hic est sanguis meus ».

5. Ea epitheta adhibentur, quae de sola figura corporis Christi nisi ridicule adhiberi non possunt. Vocatur enim eucharistia ineffabile mysterium, tremendus sanguis, horrendum sacrificium, sancta et perquam tremenda victima etc.

S. Chrysost.[3]: « Qua ergo puritate non oporteat eum esse, qui hoc fruitur sacrificio; quibus radiis solaribus non puriorem manum, quae hanc carnem secat,... linguam tinctam *tremendo sanguine* »? Et[4]: « Licet martyres sint, etiam pro martyribus magnus honor nominari Domino praesente, dum mors perficitur illa, *horrendum sacrificium, ineffabilia mysteria* ». — *S. Cyrillus Alex.* in loco supra sub n. 1. citato: « Sanctos conventus in ecclesiis agimus octava die; et cum arcanius quiddam effari oportet, quia *omnem intelligendi modum superat,* fores quidem claudimus.

6. Docetur nobis cavendum esse, ne mysterium illud secundum sensus diiudicemus, cum aliud sit atque appareat.

S. Cyrillus Hieros.[5]: « Nec igitur velut simplici pani et vino attendas; corpus enim et sanguis Christi est secundum Domini asseverationem. Nam etsi tibi illud sensus exhibeat, tamen fides te certum reddat. *Ne iudices rem ex gustu;* sed ex fide indubitanter *certus esto te corpore et sanguine Christi dignatum fuisse* ». — *S. Aug.* supra sub 1. — *S. Chrysost.*[6]: « Deo igitur

---

[1] In Matth. 26, 27.
[2] Apud Assemani, Bibl. orient. t. 1, p. 180.
[3] Hom. 82 (83) in Matth. n. 5.
[4] Hom. 21. in Act. Apost.
[5] Catech. mystag. 4, n. 6. et 9.
[6] Hom. 82. in Matth.

ubique credamus nec contradicamus, etiamsi id, quod dicit, rationibus et sensibus nostris contrarium videatur, sed praevaleat eius verbum nostris rationibus et sensibus. Sic etiam in mysteriis (= in eucharistia) faciamus, *non* solum, *quae sub sensus cadunt, respicientes, sed verba eius tenentes.* Verbum quippe eius infallibile est, sensus vero noster facile decipitur; verbum eius nunquam excidit, sensus noster in multis fallitur. Cum ergo sermo (divinus) dicat: Hoc est corpus meum, obtemperemus et credamus et spiritualibus oculis ipsum respiciamus. Nihil enim sensibus percipiendum Christus nobis tradidit, sed in rebus quidem sensibilibus, omnia vero intelligibilia ».

7. Eucharistia admiratione afficitur ob stupenda miracula, quae in illa inveniuntur.

S. Chrysost.[1]: « Cum enim videris Dominum immolatum et iacentem.. omnesque pretioso illo sanguine rubentes, an putas te adhuc... in terra esse?... *O miraculum!* O Dei benignitatem! *Qui cum Patre sursum sedet, illa hora omnium manibus tenetur* ».

S. Augustinus exponens verba 1. Reg. 21, 13. sec. Septuaginta: *Et ferebatur in manibus suis* ita scribit[2]: « Hoc vero fratres, quomodo posset fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis?... Quomodo intelligatur in ipso David secundum literam, non invenimus; in Christo autem invenimus. *Ferebatur enim Christus in manibus suis,* quando commendans ipsum corpus suum ait: Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis ».

8. Inquiritur in rationes, ob quas Christus carnem suam nobis manducandam dare voluerit.

S. Greg. Nyss.[3]: « Dispensatione gratiae seipsum per carnem inserit omnibus fidelibus commixtus corporibus fidelium, quibus ex pane et vino substantia est, *ut unione cum immortali* (corpore) *etiam homo particeps fiat incorruptionis* ». — *S. Chrysost.*[4]: « *Ut* ergo non solum per dilectionem, sed etiam *secundum rem ipsam cum illa carne commisceamur;* hoc enim fit per cibum, quem ipse donavit; volens nobis ostendere amorem, quo fertur erga nos, propterea se nobis commiscuit et nobis corpus suum (per manducationem) inseruit, ut unum aliquid simus sicut corpus iunctum capiti ».

9. Ex eucharistia aliae veritates contra haereticos probantur, ut consubstantialitas Verbi cum Patre contra Arianos, unio hypostatica contra Nestorianos, resurrectio carnis nostrae contra Gnosticos.

S. Hilarius[5]: « Vivit ergo (Verbum) per Patrem. *Et quomodo vivit per Patrem, eodem modo nos per carnem eius vivimus...* Haec ergo vitae nostrae

---

[1] De sacerdotio, l. 3, n. 4.
[2] S. 1. in Ps. 33, n. 10.
[3] Or. cat. c. 37.
[4] In Ioan. h. 46, n. 3.
[5] De Trin. l. 8, n. 16.

causa est, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus, victuris nobis per eum ea conditione, qua vivit ille per Patrem. Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum vivimus i. e. naturam suae carnis adepti, quomodo non naturaliter secundum Spiritum in se Patrem habet, quo vivat ipse per Patrem ».

Scholion. Ad solvendas obiectiones ex scriptis ss. Patrum desumptas haec notatu digna sunt:

1. Quinque circiter primis saeculis *disciplina arcani* caute observabatur, etiam coram catechumenis; ergo etiam in sermonibus et homiliis, quippe quae coram iis haberi solerent.

2. Cum dogma realis Christi in eucharistia praesentiae tunc temporis non impugnaretur, a Patribus persuasum habentibus se recte intelligi *non semper termini accurati adhibebantur*. Quod quidem teste historia circa omnia fere dogmata contigit. Eiusmodi igitur loci ambigui per accuratiores exponendi sunt.

3. Aliquot Patres valde propensi erant ad sectandum *sensum mysticum* sensu tamen litterali non negato, sed supposito. Sic ea, quae a Christo de manducanda carne sua dicta sunt, interdum sunt interpretati de manducanda ipsius doctrina, quae fiat per fidem.

4. Non obstante reali praesentia eucharistia *ratione specierum* vocari potest *figura, signum, symbolum* etc. corporis Christi latentis. Nam species eucharisticae corpus Christi simili modo repraesentant, quo columba et linguae ignitae repraesentaverunt Spiritum Sanctum seu Spiritus Sancti fuerunt symbola.

5. *Sacramentum* interdum intelligitur *solum signum*, proinde respectu eucharistiae solae species, illudque ita intellectum corpus Christi esse negatur.

6. Quamvis corpus Christi in eucharistia quoad substantiam idem sit ac corpus, quod natum et passum est, tamen *modus, quo illud ibi exsistit, non est idem*. Eo sensu accipienda sunt verba aliquorum Patrum haud accurata, quibus corpus Christi eucharisticum idem corpus esse negatur, quod pro nobis est passum etc.

7. Negando corpus Christi corporaliter manducari *excluditur crassus* ille *manducandi modus*, quem Capharnaitae intelligebant. Asserendo a solis iustis Christi corpus manducari

solus manducandi effectus respicitur, qui consistit in reficiendo animam.

8. Contendendo corpus Christi per fidem et spiritualiter manducandum esse docetur sumptionem illius realem tunc solum utilem esse, si sit *coniuncta cum sumptione spirituali.*

9. Panes benedicti, quos corpus Christi esse negatur, *eulogiae* sunt.

B. Ex aliis fontibus.

I. Realem Christi in eucharistia praesentiam a tota Ecclesia semper creditam esse constat *ex omnibus liturgiis*, tam orientalibus, quam occidentalibus; praecipue *ex epiclesi* in iis omnibus contenta, i. e. ex oratione illa, qua Spiritus Sanctus rogatur, ut ex pane et vino corpus et sanguinem Christi velit conficere.

In liturgia omnium *veterrima*, quae habetur *in constitutionibus Apostolorum* l. 8, c. 12. Deus sic rogatur: « Poscimus te, ut super haec dona in conspectu tuo proposita placate respicias... atque supra hoc sacrificium mittas Sanctum tuum Spiritum... ut *exhibeat* (ἀποφήνῃ) *panem hunc corpus Christi tui et calicem hunc sanguinem Christi tui* »... — In liturgia *s. Marci* seu ecclesiae Alexandrinae epiclesis haec est: « Mitte Spiritum Sanctum tuum, ut adveniens *efficiat panem istum* corpus vivificum, corpus salutare, corpus coeleste, corpus animabus et corporibus salutem praestans, *corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi*, in remissionem peccatorum et vitam aeternam accipientibus illud... *Et mistum, quod est in calice, efficiat* sanguinem testamenti novi, sanguinem vivificum,... *sanguinem Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi.* — In eadem liturgia sacerdos dicit: « *Corpus et sanguis* Emmanuelis Dei nostri hoc *est vere*, amen ». Respondet populus: « Credo, credo, credo et confiteor usque ad ultimum spiritum, quod sit *ipsa caro vivifica* unigeniti Filii tui Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi. *Accepit ipsam ex* s. Domina, Deipara et semper virgine *Maria* ».

II. Realis Christi in eucharistia praesentia etiam *argumento praescriptionis et ex consensione omnium sectarum orientalium* demonstrari potest idque similiter atque septenarius numerus sacramentorum supra demonstratus est. (Cf. pag. 174).

Xenaias (Philoxenus) *Mabugensis*, Monophysita saec. 6., postquam reiecit errorem Nestorianorum de duplici Christi persona, scribit [1]: « Propterea etiam *corpus vivum Dei vivi nos accipere profitemur* et non merum modo corpus hominis mortalis; *similiter vivum vivi sanguinem in omnibus sacris*

[1] Apud Assemani, Bibl. orient. t. 2, p. 39.

haustibus accipimus, et non est nudus sanguis hominis, corruptibilis, nostri similis, ut haeretici opinantur. Nam non panem sanctificatum appellavit (tantum) corpus suum, et non tantummodo vinum benedictionibus cumulatum appellavit suum sanguinem, sed *dixit* super unumquodque eorum *esse in veritate corpus et sanguinem suum*.

ARTICULUS II.

DE ACTIONE, QUA CHRISTUS IN EUCHARISTIA PRAESENS FIT SEU DE TRANSSUBSTANTIATIONE.

Christus in eucharistia praesens fit per *transsubstantiationem*, de qua alia sunt certa, alia controversa.

§ I. *De iis, quae respectu transsubstantiationis certa sunt.*

I. Transsubstantiatio iuxta Trid. sess. 13, can. 2. est *conversio* totius substantiae panis in corpus Christi et totius substantiae vini in eius sanguinem manentibus dumtaxat panis et vini speciebus. — Cum pertineat ad genus conversionis, aliqua de hac dicenda sunt.

1. Conversio *est* transitus seu mutatio alicuius in aliquid aliud. Ut habeatur, *haec tria requiruntur:*

a) Requiritur *duplex terminus* isque positivus: alter a quo, alter ad quem. Terminus a quo est id, quod mutatur. Terminus ad quem id est, in quod illud mutatur. Uterque terminus dividitur in formalem et totalem. Terminus totalis a quo est totum id, quod secundum aliquam sui rationem convertitur. Terminus formalis a quo est illa ratio entis, quae in conversione cessat. Terminus formalis ad quem est illa ratio entis, quae in conversione esse incipit. Terminus totalis ad quem est totum id, quod ex conversione prodit.

Illustratur simili. Lana alba denigratur. Terminus totalis a quo est lana alba; formalis a quo est albedo lanae; formalis ad quem est lanae nigrities; totalis ad quem est lana denigrata.

In eucharistia terminus totalis a quo est panis, i. e. totum illud, quod constat ex substantia et accidentibus panis. Terminus formalis a quo est substantia panis. Terminus formalis ad quem est corpus Christi. Terminus totalis ad quem est synthesis

ex corpore Christi et accidentibus panis seu corpus Christi sub panis accidentibus.

Nota. Quod dicitur de pane et corpore Christi, hic et deinde mutatis mutandis etiam de vino et Christi sanguine intelligendum est.

b) Requiritur, ut inter desitionem termini formalis a quo et successionem termini formalis ad quem is sit *nexus*, quo huius successio exigat desitionem illius et illius desitio ordinetur ad successionem huius. Non enim sufficit successio unius post alterum fortuita.

c) Requiritur, ut illud, quod coniunctum cum termino formali a quo constituebat terminum totalem a quo, *remaneat* et coniunctum cum termino formali ad quem constituat terminum totalem ad quem.

2. Conversio *distinguitur* duplex: *accidentalis* et *substantialis*. Illa est mutatio accidentis in accidens; haec est mutatio substantiae in substantiam. Conversio substantialis iterum duplex distinguitur: altera incompleta, altera completa. Conversio *incompleta* habetur, quando una pars substantiae et quidem ea, quae a scholasticis forma substantialis vocatur, transit in aliam formam remanente altera substantiae parte, ea sc., quae ab iisdem scholasticis materia prima appellatur. Quae quidem conversio apte vocatur transformatio et etiam a creaturis fieri potest. Conversio *completa* habetur, quando tota aliqua substantia, iuxta Scholasticos igitur materia prima simul et forma substantialis, transit in aliam substantiam totam. Quae conversio aptissime vocatur transsubstantiatio. Et haec quidem in eucharistia fit, in qua nihil substantiae panis remanet, et loco eius corpus Christi fit praesens. Eadem conversio a nulla quidem creatura, tamen a Deo fieri potest. Nam Deus, quia ut actus purus non est determinatus in essendo, nec determinatus est in agendo. Unde actio eius ad totam naturam entis se extendere potest. Idem Deus omnia ex nihilo fecit et omnia in nihilum redigere potest; ergo a fortiori totam aliquam substantiam in aliam mutare potest.

II. De ratione, qua Christus in eucharistia per transsubstantiationem praesens fit, haec tenenda sunt:

1. Duplici ratione aliquid Christi in eucharistia praesens fieri seu *poni potest:* vi verborum et per concomitantiam. *Vi*

verborum ponitur id, quod per verba consecrationis expresse significatur. *Per concomitantiam* id ponitur, quod realiter unitum est cum eo, quod per verba illa expresse significatur. Concomitantia duplex est: naturalis et supernaturalis. Concomitantia *naturalis* est connexio partium naturae humanae inter se. Concomitantia *supernaturalis* est unio Verbi cum natura humana. Haec iterum duplex est: immediata et mediata. *Immediata* est unio personalitatis Verbi cum humana natura. *Mediata* est unio naturae Verbi cum natura humana. Haec enim unio habetur mediante Verbi personalitate.

2. Proinde in eucharistia *sub specie panis ponitur: a) vi verborum* solum corpus Christi; *b) per concomitantiam naturalem* sanguis et anima. Nam corpus Christi tam in eucharistia, quam in coelo est corpus vivum. Corpus autem vivum sine sanguine et anima esse nequit; *c)* per concomitantiam *supernaturalem immediatam* divina Verbi persona, *mediatam* divina Verbi natura, consequenter etiam persona Patris et persona Spiritus Sancti, cum hae personae a natura divina realiter non sint distinctae. In eucharistia igitur SS. Trinitas speciali modo praesens est, ita ut, si per impossibile ubique non esset, tamen ibi esset.

3. *Sub specie vini ponitur: a) vi verborum* solus sanguis Christi; *b) per concomitantiam naturalem* corpus et anima; *c)* per concomitantiam *supernaturalem* omne id, quod sub specie panis.

4. *Reapse* igitur *sub utraque specie* totus et integer Christus praesens est: Deus et homo; corpus eius et sanguis cum omnibus accidentibus, quae non dependent a praesentia circumscriptiva in loco, utpote quae hic non habeatur; anima eius cum omnibus facultatibus et donis tam naturalibus quam supernaturalibus. Unde Christus merito ac iure dicere poterat Io. 6, 58: *Qui manducat* me, *et ipse vivet propter me.* Cf. Trid. sess. 13, cap. 3.

5. Si *triduo* illo, quo Christus *mortuus* erat, consecratio facta esset, sub specie panis positum esset corpus sine sanguine et sine anima, sed cum divinitate, sub specie vini positus esset sanguis sine corpore et sine anima, sed etiam cum divinitate. Sin species panis conservata esset, a momento, quo Christus resurrexit, sub eadem specie etiam sanguis et anima fuissent.

Corpus enim Christi in eucharistia substantialiter tale est, quale est in rerum natura.

Thesis. **Realis Christi in eucharistia praesentia fit transsubstantiatione panis et vini in corpus et sanguinem Christi.**

De fide ex Trid. sess. 13, can. 2: Si quis dixerit in sanctissimae eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat, a. s.

Opponitur Lutheranis, qui realem Christi in eucharistia praesentiam quidem affirmant, sed transsubstantiationem negant.

Probatur: I. Ex Scriptura. Io. 6, 52: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* — Matth. 26, 26: *Accepit panem... et ait... hoc est corpus meum.* Utraque sententia falsa esset, si eo tempore, quo caro seu corpus Christi sub specie panis praesto erat, substantia panis adhuc adfuisset. « Nam panis manens panis numquam potest esse corpus Christi. Neque iuvat dicere Christum usum esse figura synecdoches, sicut si quis ostendens marsupium dicit: Haec est pecunia. Nam figura haec tunc solum rationabiliter adhibetur, cum sive ex natura rei sive ex usu hominum una res noscitur esse receptaculum alterius. Hoc autem non valet de pane relate ad corpus Christi; neque omnino panis vel ex natura sua vel ex usu ordinatur ad continendam aliam substantiam. Hinc etiamsi quis nummum aureum includeret in panem, non tamen posset panem ostendens rationabiliter dicere: « Hoc est aurum », nisi forte ad iocandum; nemo enim hanc propositionem intelligeret.

Aliud utique esset, si Christus ante praemonuisset apostolos se velle nunc cum pane corpus suum ita coniungere, ut panis fieret receptaculum corporis sui. Hoc enim praemonito errandi occasionem exclusisset. Sed cum nihil tale antea dixerit, verba eius secundum communem loquendi modum interpretanda sunt, quia sic tantum et non aliter ab apostolis intelligi poterant.

Itaque recte Calvinistae Lutheranis obiiciunt: eum, qui admittat vi horum verborum « hoc est corpus meum » Chri-

stum in eucharistia esse substantialiter praesentem, non posse sine inconsequentia affirmare panem manere sine substantiali mutatione (cf. Herzog, Real encykl. Art. Abendmahl, p. 39) ». Pesch.

Neque obstat, quod 1. Cor. 10, 16. et 11, 26. *eucharistia panis vocatur.* Vocatur enim panis, 1. quia *ex pane facta* est. Nam non est inusitatum rem mutatam eodem nomine signare, quod illi ante mutationem competebat. Sic Exod. 7, 12. coluber ex virga Aaronis factus virga vocatur; 2. quia externa apparentia et *accidentia* panis manent. Nam iuxta modum loquendi s. Scripturae proprium res vocantur eae, quae extrinsecus apparent. Sic Gen. 19, 10. angeli vocantur viri; 3. quia eucharistia est *panis animae* i. e. nutrimentum vitae supernaturalis. Quodlibet enim nutrimentum et a Iudaeis et ab aliis gentibus panis appellari solet.

II. Ex Traditione. 1. *Ex ss. Patribus,* qui: *a)* Docent panem et vinum in corpus et sanguinem Christi *mutari, transmutari* (μεταποιεῖσθαι, μεταβάλλεσθαι: Cyrill. Hieros. — Greg. Nyss. — Ambros. — Cyrill. Alex. — Ioann. Damasc.), *transformari* (μεταῤῥυθμίζεσθαι: Chrysost.), *transelementari* (μεταστοιχειοῦσθαι: Greg. Nyss.).

b) Dicunt *panem* et vinum *desinere* esse; sola eorum phaenomena manere (Greg. Nyss.); id, quod panis esse videatur, iam non esse panem, sed figuram panis (Cyrill. Hieros.).

c) Illustrant hanc transmutationem *variis exemplis.* Sic comparant eam cum conversione alimenti in corpus humanum (Iustin. M.), cum conversione virgae in colubrum Exod. 7, 10. (Ambros.), cum mutatione aquae in vinum Io. 2, 7-9 (Cyrill. Hieros.).

Itaque Patres, quamvis verbo transsubstantiationis non utantur, *rem* tamen manifeste docent.

S. Cyrillus Hieros.[1]: « Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galilaeae transmutavit (μεταβέβληκεν) et eum parum dignum existimabimus, cui credamus, cum *vinum in sanguinem transmutavit?*... In *figura panis* (ἐν τύπῳ ἄρτου) datur tibi corpus, et in figura vini datur tibi sanguis... Qui videtur panis, *panis non est,* tametsi gustu sensibilis sit, sed corpus Christi; et quod videtur vinum, vinum non est, etiamsi ita gustui videatur, sed sanguis Christi ». — *S. Greg. Nyss.*[2]: « Recte ergo fide credo etiam nunc panem, dum verbo Dei sanctificatur, *transmutari in corpus Dei Verbi*... Hic panis, ut loquitur Apostolus, sanctificatur verbo Dei et oratione, non

[1] Catech. myst. n. 4.
[2] Orat. catech. c. 37.

per esum et potum transiens in corpus Verbi, sed uno momento *in corpus Verbi transmutatur,* sicut ab ipso Verbo pronuntiatum est: Hoc est corpus meum... Dispensatione gratiae se ipsum per carnem inserit omnibus fidelibus... ut unione cum immortali (corpore Christi) etiam homo particeps fiat incorruptionis. Haec autem dat, virtute benedictionis *in illud* (corpus suum) *transelementans* eorum, quae apparent, naturam (μεταστοιχειώσας τῶν φαινομένων τὴν φύσιν) ». — *S. Ambros.*[1]: « Forte dicas: Aliud video; quomodo tu mihi asseris, quod corpus Christi accipiam?... Probemus non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit; maioremque vim esse benedictionis, quam naturae, quia benedictione etiam *ipsa natura mutatur* ». Dein narrat, quomodo Moyses converterit virgam in serpentem et alia miracula et infert: « Quodsi tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini salvatoris operantur?.. Non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: Quia ipse dixit et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quae sunt, in id mutare, quod non erant »? — *S. Cyrillus Alex.* supra sub 4. — *S. Ioannes Damasc.*[2]: « Panis propositionis atque vinum et aqua per invocationem et adventum Spiritus Sancti supernaturaliter *transmutantur in corpus Christi* et sanguinem... Non panis et vinum est figura corporis et sanguinis Christi; absit! sed ipsum corpus divinitate donatum ». — *S. Chrysostomus*[3]: « Non homo est, qui facit, ut proposita (panis et vinum) *efficiantur corpus et sanguis Christi,* sed ipse Christus, qui pro nobis crucifixus est. Figuram Christi implens stat sacerdos verba illa proferens; virtus autem et gratia Dei est. ‚Hoc est corpus meum', inquit. Hoc verbum *transformat* (μεταῤῥυθμίζει) ea, quae proposita sunt... et perfectum sacrificium implet ».

2. *Ex liturgiis,* in quibus omnibus transsubstantiatio aliquo modo exprimitur. Sic in liturgia *Constit. apost.* supra citata rogatur Spiritus Sanctus, ut panem corpus Christi *exhibeat* (ἀποφήνῃ, non solum = declaret vel perhibeat, sed etiam = faciat seu efficiat, ut apparet e. g. ex Luciano), in liturgia *s. Marci,* ut panem corpus Christi *efficiat,* in liturgiis *Graecorum et Armenorum,* ut panem et vinum *transmutet* (μεταβαλών).

3. *Ex doctrina haereticorum ac schismaticorum Orientalium,* quae apparet e. g. ex responso a Ieremia, Patriarcha Constantinopolitano Tubingensibus dato, ex synodis congregatis ad damnandos errores Cyrilli Lucaris, ex « orthodoxa confes-

---

[1] De mysteriis, c. 9.

[2] De fide orthod. l. 4, c. 13.

[3] In hom. 1. de prodit. Iudae, n. 6.

sione » approbata a synodo Cp. (anno 1643) et apud schismaticos Graecos atque Russiacos pro libro symbolico habita, in qua dicitur: « Animadvertendum est, ut sacerdos habeat talem intentionem, quod ipsa vera substantia panis et substantia vini transsubstantietur (μεταβάλλεται) in verum corpus et sanguinem Christi... Fit transsubstantiatio (μετουσίωσις), et transsubstantiatur (ἀλλάσσει) panis in corpus Christi verum, remanentibus solum speciebus (ἀπομένονται μόνον τὰ εἴδη ὅπου φαίνονται) ». Concludit Franzelin[1]: « Spectata iam consensione totius nominis christiani in universo orbe terrarum, consensione communionum ex multis saeculis nullo unitatis vinculo inter se cohaerentium, consensione in mysterio, quod hinc quidem est in publica et quotidiana usurpatione et praxi omnium fidelium, inde vero creditu difficillimum et supra rationem ipsi testimonio sensuum contrarium videtur, quis non intelligit, quantam vim demonstrationis prorsus ineluctabilem acquirat argumentum praescriptionis ».

Scholion. *Adversarii,* qui realem Christi in eucharistia praesentiam admittunt, transsubstantiationem autem reiiciunt, docent Christum in eucharistia praesentem esse aut per *consubstantiationem* aut per *impanationem.*

Consubstantiatio in eo consistit, quod corpus Christi adsit una cum substantia panis remanente. Eam docuit ipse Lutherus eamque receperunt plurimi Lutheranorum, sive affirmant corpus Christi esse ubique ideoque etiam in eucharistia (Ubiquistae), sive illud negant et docent corpus Christi alio modo fieri praesens.

Impanatio in eo consistit, quod Christus hypostatice assumat substantiam panis, ut assumpsit naturam humanam. Eam tenuit Osiander. Contra impanationem speciatim hoc dici potest: Unio hypostatica panis aut fit cum Verbo divino aut cum corpore Christi humano. Atqui non fit cum Verbo; nam obstant verba Christi Io. 6, 52: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Neque fit cum Christi corpore; nam unio hypostatica non fit inter duas naturas (panem et Christi corpus), sed inter naturam et personam, ut patet ex termino.

---

[1] De Euch. thes. 14.

§ II. *De iis, quae respectu transsubstantiationis controversa sunt.*

Quaestio I. Utrum corpus Christi praesens fiat per productionem an per adductionem.

Exponitur status quaestionis.

1. Corpus Christi praesens fieri per productionem sic intelligitur: Transsubstantiatione corpus Christi ex substantia panis *re vera producitur*. Hac vero productione corpus Christi non fit simpliciter, quia iam est; sed *incipit esse secundum quid*, i. e. ex panis substantia et sub panis accidentibus, ex qua et sub quibus nondum erat. Unde et productio illa aptius vocatur *reproductio* vel, ut a Lessio fit, *replicatio*. Eius tamen virtutis transsubstantiatio est, ut, si corpus Christi non iam esset, ipsum re vera fieret idque ex substantia et sub accidentibus illius panis, super quem verba consecrationis pronuntiantur. Per illam autem productionem *nihil* substantiae panis *in corpus* Christi *transit*, seu corpus Christi non fit ex substantia panis ut materia ipsum componente, sed tantummodo ut materia transeunte. Itaque productio, quae in transsubstantiatione occurrit, ab omni alia productione duobus distinguitur: eo, quod illa res, quae producitur, simpliciter iam est et eo, quod ex substantia, ex qua res illa producitur, nihil in eam transit. Unde productio eucharistica est plane singularis et supernaturalis nec aliter nisi analogice percipi potest.

2. Corpus Christi fieri praesens per adductionem sic intelligitur: Transsubstantiatione corpus Christi non producitur vel reproducitur, sed solummodo *recipit novam praesentiam* et eam quidem sub specie illius panis, ad quem verba consecrationis diriguntur. Id igitur, quod producitur, seu terminus productus est sola praesentia sub illa specie; id vero, quod per praesentiam illam introducitur, seu terminus introductus corpus Christi est. Quod quidem corpus sub specie panis praesens fit *non* per hoc, quod *motu locali* de coelo ad speciem panis defertur, sed per hoc, quod praeter praesentiam coelestem accipit praesentiam sacramentalem sub specie panis.

Proponuntur diversae sententiae.

1. Corpus Christi in eucharistia fieri praesens *per productionem* seu reproductionem docent Thomistae, Lessius, Suarez,

qui tamen eam actionem, quam alii vocant reproductionem, conservationem appellat, nostris temporibus Franzelin, Einig, Heinrich-Huppert, alii.

2. Christi corpus praesens fieri *per adductionem* tenent Scotistae, Toletus, Gregorius de Valentia, Vasquez, Bellarminus, de Lugo, qui tamen docet loco adductionis melius dici constitutionem corporis Christi sub speciebus, nostra aetate Pesch, Oswald, qui per errorem hanc sententiam adscribit Thomistis et priorem Scotistis, alii.

Coryphaei scholasticorum hanc quaestionem ex professo non tractaverunt. S. Thomas pro utraque sententia citatur, plerumque vero pro priore, praesertim quia haec dicit[1]: « Non autem aliquid potest esse alicubi, ubi prius non erat, nisi vel per loci mutationem vel per alterius conversionem in ipsum; sicut in domo aliqua de novo incipit esse ignis aut quia illic defertur aut quia ibi generatur. Manifestum est autem, quod corpus Christi non incipit esse in hoc sacramento per motum localem... Ideo relinquitur, quod non possit aliter corpus Christi incipere esse de novo in hoc sacramento nisi per conversionem substantiae panis in ipsum ». — Alexander Halensis, s. Bonaventura, Richardus de Mediavilla a pluribus Scotistis, ut Mastrio, Bosco, Henno, pro ipsorum sententia citantur.

Referuntur argumenta, quibus suaderi solet corpus Christi praesens fieri per productionem ex substantia panis.

1. Transsubstantiatio iuxta omnes est *conversio substantialis*. Sed ad conversionem substantialem requiritur, ut terminus eius formalis ad quem sit substantia. Nam si terminus ille est accidens, conversio non est substantialis, sed accidentalis. Iam vero terminus formalis adductionis non est corpus Christi ipsum, sed sola eius *praesentia*. Praesentia autem non est substantia, sed *aliquid accidentale*. Ergo ad conversionem substantialem adductio non sufficit, sed requiritur productio. Adversarii quidem distinguunt duplicem terminum formalem ad quem: unum productum, alterum introductum; seu distinguunt id, quod vi conversionis producitur et id, quod virtute eius, quod productum est, praesens redditur et statuunt hoc: Conversio substantialis habetur, etiamsi terminus productus sit accidens, dummodo terminus introductus substantia sit. Sed in adductione id, quod vi conversionis producitur, praesentia qui-

[1] 3, q. 75, a. 2, c.

dem est, ergo aliquid accidentale; sed id, quod virtute huius praesentiae adest, corpus Christi est, ergo substantia; ergo etiam conversio est substantialis. « Sed contra: Actio non est substantialis ex eo praecise, quod attingat substantiam, si nihil substantiale producat; alioquin nulla foret actio accidentalis, cum omnes attingant subiectum substantiale formarum, quas producunt. Sic v. g. dealbatio aut calefactio esset actio substantialis, quia attingit parietem aut lignum, quod est subiectum formae accidentalis, quam in illo producit. Sic motus localis angeli foret transsubstantiatio, quia terminatur ad eius substantiam ut introductam seu quatenus stat sub praesentia ad locum ». Billuart [1].

2. Imo tantum abest, ut *adductio* sit substantialis conversio, ut *ne ulla quidem conversio* sit. Nam ad conversionem omnibus fatentibus requiritur, ut id, in quod aliquid convertitur, seu terminus formalis ad quem non possit esse una simul cum eo, quod in illud convertitur seu cum termino formali a quo. Alioquin enim terminus formalis a quo posset remanere et simul converti seu non remanere, id quod repugnat. Sed terminus formalis ad quem adductionis, qui est praesentia sacramentalis, utique potest esse una simul cum termino formali a quo, qui est substantia panis. Nam praesentia sacramentalis non est praesentia quantitativa et divisibilis, sed est praesentia indivisibilis et similis ei praesentiae, qua angelus in spatio est. Unde, sicut angelus per hoc, quod alicui spatio praesens fit, non excludit substantiam corpoream, quae spatium illud occupat, ita nec in sacramento eucharistiae per id praecise, quod corpus Christi sub speciebus panis praesens fit, substantia panis necessario expellitur. — Nec valet contendere corpus Christi cum substantia panis incompossibile esse ex positiva voluntate Dei, qui decreverit substantiam panis tum destruere, cum corpus Christi fiat praesens. Nam repugnantia termini formalis ad quem cum termino formali a quo in omni vera conversione non est repetenda ex positiva Dei ordinatione, sed ex natura ipsius conversionis. Alioquin enim omne illud, quod ex voluntate Dei alicubi tum esse desinit, cum aliud ibidem esse incipit, in hoc aliud converti dici posset, id quod est absurdum.

---

[1] Summa S. Thomae, tom. 3, de euch. diss. 1. a. 7.

Praeter has aliasque similes rationes theologicas pro hac sententia afferi solet, quod *ss. Patres* saepe contendant *corpus Christi ex pane fieri, creari, confici* etc. Sed, aiunt, id, quod ex pane fit vel conficitur, ex pane producitur.

Referuntur argumenta, quibus solet suaderi corpus Christi praesens fieri per meram adductionem.

1. *Verba Christi nihil aliud postulant, nisi adductionem.* Dicendo enim: Hoc est corpus meum Christus solummodo voluit significare corpus suum, quod iam antea exsistebat, esse etiam sub panis speciebus, quas manibus tenuit. Utrum corpus illud sit denuo productum, an alio modo sub his speciebus positum, verbis non enuntiatur. Ecclesia vero et ss. Patres doctrinam transsubstantiationis ex illis verbis Christi collegerunt; ergo nihil aliud volunt docere nisi id, quod ad ea verificanda requiritur. Probatur quoad Ecclesiam ex Trid. sess. 13. cap. 4. haec dicente: « *Quoniam* autem Christus, redemptor noster, corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse *dixit, ideo* persuasum semper in Ecclesia Dei fuit idque nunc denuo sancta haec Synodus declarat per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri et totius substantiae vini in substantiam sanguinis eius, quae conversio convenienter et proprie a sancta catholica Ecclesia transsubstantiatio est appellata ». Iuxta hoc igitur Concilii dictum ideo habetur vera conversio, quod verba consecrationis sunt vera; sed verba consecrationis vera sunt, etiamsi corpus Christi sub specie panis non fit praesens per productionem, sed per adductionem; ergo, dummodo haec statuatur, veritas verborum consecrationis salvatur.

2. Ex una quidem parte non quaelibet adductio est conversio, imo ea adductio, quae in ordine naturali fieri solet, conversio non est; ex altera tamen parte nec quaelibet conversio est productio, sed *distinguenda est conversio productiva et adductiva.* Ad productivam quidem conversionem requiritur, ut terminus formalis ad quem producatur seu incipiat esse simpliciter; ad conversionem vero adductivam id non requiritur; sed sufficit, ut ea fiant, quae in eucharistia re vera occurrunt, sc. haec: corpus Christi constituitur loco substantiae panis idque sub iisdem accidentibus, sub quibus eousque substantia panis fuit. Itaque substantia panis sub suis accidentibus esse desinit

solummodo ea de causa, quia corpus Christi sub iisdem esse incipit et eum in finem tantum, ut corpori Christi locum cedat. Cum igitur corpus Christi succedat quidem in locum panis, tamen non nude et simpliciter, sed ita ut vi solius huius successionis substantia panis esse desinat, satis habetur vera conversio. Quod probari potest tam ex conversione substantiali partiali, quam ex accidentali; ex illa quidem sic: Alimentum, quo homo nutritur, convertitur in carnem *humanam*, licet huius carnis forma substantialis, sc. anima, non incipiat esse, sed ei tantummodo uniatur et succedat in munus formae substantialis, quam alimentum antea habebat. — Ex conversione accidentali sic demonstratur: Si Deus v. g. calorem nigrum produceret et eum *postea* subiecto albo induceret, hoc subiectum in nigrum vere conversum esse diceretur.

3. Reiiciendo productionem et statuendo adductionem evitantur aliqua, quae alioquin percipi non possunt, imo et unum alterumve inconveniens, praesertim hoc: *Si* corpus Christi sub speciebus *producitur*, etiam corruptis speciebus *destruitur*, non quidem simpliciter, quia alibi esse pergit, sed secundum quid, sicut et secundum quid productum est. Nam, si corpus Christi in eucharistia per productionem esse incipit, etiam per eam actionem, quae productioni contraria est, esse desinit; sed actio, quae productioni contraria est, nulla alia est nisi destructio. Sed admittere corpus Christi in eucharistia etiam secundum quid tantum destrui omnino inconveniens est.

Imo ii theologi, qui adductionem defendunt, non solum affirmant eam sufficere, sed etiam contendunt *productionem non sufficere*, nisi adsit etiam adductio, sive a productione realiter distincta sit sive ab ea realiter non sit distincta. Unde sic concludunt: Quia ex una parte productio per se sola non sufficit, ex altera vero parte adductio sola sufficit, non est, cur recurratur ad productionem adeo incomprehensibilem. Productionem vero per se solam non esse sufficientem sic ostendunt: Est numero unum corpus Christi, quod est et in coelo et in sacramento. Sed hoc unum corpus est pluries positum seu multilocatum. Iam vero productione, quae ex se nihil aliud importat nisi conversionem unius in aliud, unum idemque corpus multilocari non potest, nisi in quantum productioni adiuncta est adductio. Ergo praecise ratione adductionis corpus Christi multilocatur.

Quoad argumentum, quod in favorem productionis *ex ss. Patribus* affertur, Mastrius haec dicit[1]: « Respondeo ex Patribus potius oppositum col-

[1] In l. 4. sent. q. 12, a. 3.

ligi. Non enim dicunt corpus Christi fieri, creari aut confici, sed dicunt *panem fieri, creari et confici corpus Christi,* quatenus convertitur in corpus Christi, unde non dicunt corpus Christi mutari, sed panem et vinum substantialiter mutari in ipsum corpus et sanguinem Christi, quare cum hoc affirment de pane et vino, non autem de corpore, sequitur ex mente ipsorum non mutari corpus substantialiter. Quodsi etiam aliqui dicerent *corpus Christi* fieri, creari et confici, ita explicari debent, ut intelligant *fieri et effici sub speciebus praesens...,* nec est impropria locutio, quia etiam, quando species corrumpuntur, dicitur simpliciter Christus desinere esse in sacramento, quod sufficienter verificatur eo solum, quia praesentia tollitur et ita Christus desinere esse praesens ».

QUAESTIO II. **Utrum desitio substantiae panis sit annihilatio proprie dicta necne.**

Exponitur status quaestionis.

Ut omnes admittunt, peracta consecratione de pane nihil aliud remanet nisi species seu accidentia; itaque iuxta scholasticos nec forma substantialis nec materia prima, quam remanere solus Durandus docuit; neque subsistentia neque exsistentia substantialis, quam remanere Bannez probabile iudicavit. Itaque, si his non obstantibus quaeritur, utrum substantia panis annihiletur necne, quaestio magis est de nomine, quam de re, et responsio pendet a vi, quae verbo annihilationis subiicitur.

Proponuntur diversae sententiae earumque rationes.

1. *Plurimi* theologi, Thomistae et alii, in his Franzelin [1] et Hurter [2], tenent substantiam panis *non* posse dici *annihilari.* Nam, inquiunt, annihilationis terminus est purum *nihil,* substantia autem panis non cessat, ut nihil sit; sed eius desitio ad hoc dirigitur, ut sit *aliquid,* corpus scil. Christi.

S. Bonaventura [3]: « Communiter ponunt omnes, quod *non est annihilatio panis,* immo in meliorem substantiam commutatio; et ideo transsubstantiatio, non annihilatio talis conversio est et sic appellari debet ».

Gonet [4]: « Desitio in aliquid positivum non est annihilatio. Cum enim annihilatio opponatur creationi per hoc, quod creatio incipit a nihilo et terminatur ad aliquid positivum, annihilatio vero incipit ab aliquo positivo et desinit in nihilum, sicut productio, quae incipit ab aliquo positivo praesupposito, non potest esse creatio, ita *desitio, quae terminatur ad aliquid positivum, nequit esse annihilatio.* Atqui, tametsi consecratione peracta nihil am-

---

[1] De euch. th. 13, coroll. 1.
[2] Tom. 3, n. 442.
[3] Tom. 4, pag. 246.
[4] Manuale Thom., tom. 6, tract. 4, c. 4, § 2.

plius de substantia panis et vini remaneat, eorum tamen desitio est in aliquid positivum, scilicet in corpus et sanguinem Christi; ergo talis substantia non desinit per annihilationem... Illud, quod ita desinit, ut nihil prorsus eius remaneat, (tunc solum) annihilatur, si ita desinit, ut ex modo desinendi non tendat ad aliquid positivum, quod sibi succedat et in quod convertatur... Sic enim forma substantialis non dicitur annihilari, quamvis nihil eius remaneat post ipsius corruptionem, quia ex vi talis actionis, qua corrumpitur, producitur alia forma in eius locum succedens et eandem materiam informans. Substantia autem panis ita se habet proportionaliter, quia sic desinit esse, ut tamen ex modo desinendi tendat ad aliquid, in quod convertitur, ac proinde non annihilatur. Unde *s Thomas*[1]: Quamvis non maneat panis neque in se, neque in alio, manet tamen corpus Christi, in quod conversus est panis; et ideo *non sequitur, quod sit annihilatio*».

2. *Alii* econtra censent desitionem substantiae panis *melius dici annihilationem.*

Frassen hoc dicit[2]: «Sequitur... substantiam panis et vini in eucharistia desinere per annihilationem, si corpus Christi fiat praesens per solam actionem adductivam», (quod ipse ut probabilius statuit ac defendit).

Dupasquier haec habet[3]: «Desitio panis per consecrationem probabilius dicenda est annihilatio substantiae eius; aliquo etiam sensu non est annihilatio, sed conversio». Et postea (in probatione 2. partis) docet: «Si consecratio spectatur active, prout sc. se tenet ex parte consecrantis et actionis consecrativae, dici non potest annihilatio, quia haec actio per se respicit duo extrema positiva, nimirum substantiam panis et substantiam corporis Christi; actiones autem specificantur a terminis. Si vero eadem consecratio spectatur passive in pane, dici posse videtur annihilatio; nam terminatur ad purum nihilum panis. Nam passio est in passo».

ARTICULUS III.

DE MODO, QUO CHRISTUS IN EUCHARISTIA PRAESENS EST SEU DE STATU SACRAMENTALI.

THESIS I. **Christus totus praesens est sub utraque specie sacramentali.**

De fide ex Trid. sess. 13, can. 3: Si quis negaverit in venerabili sacramento eucharistiae sub unaquaque specie et sub

---

[1] In l. 4. sent., dist. 11, q. 1, a. 2 ad 4.
[2] Tom. 11. de euch., a. 2, s. 2, q. 2. coroll.
[3] Tom. 7, tract. 14, disp. 3, q. 3.

singulis cuiusque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri, a. s.

Probatur: I. Ex Scriptura. Io. 6, 58: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Illud « me » certe non significat solum corpus Christi, sed Christum integrum; manducatio autem fit sub specie panis tantum; ergo sub specie panis totus Christus praesens est. — 1. Cor. 11, 27: *Quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Inter manducare et bibere habetur coniunctio disiunctiva, inter corpus et sanguinem vero habetur coniunctio copulativa, unde sensus est: Quicumque manducaverit panem hunc indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini; quicumque biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Ergo sub specie panis praesens est corpus et sanguis Christi, et sub specie vini idem corpus et sanguis Christi praesens est.

II. Ex doctrina Patrum et sensu Ecclesiae, secundum quae idem est suscipere eucharistiam et suscipere Christum, corpus Christi esse in eucharistia et ipsum Christum in ea esse etc.

III. Ratione theologica. Sub specie panis idem Christi corpus praesens est, quod est in coelo. Sed corpus Christi in coelo exsistens est corpus *vivum*, immo, utpote glorificatum, immortale; sed corpus vivum unitum est cum sanguine et anima; praeterea corpus Christi *cum Verbo inseparabiliter unitum* est; ergo sub specie panis est Christus totus. Idem mutatis mutandis respectu speciei vini dicendum est.

✠ Thesis II. **Christus totus praesens est sub quavis utriusque speciei parte, idque non solum separatione speciei facta, sed etiam separatione non facta.**

Determinatur. *Pars prior,* qua asseritur Christum totum sub quavis specierum parte praesentem esse separatione facta, *est de fide* ex canone Trid. in thesi I. citato.

Pars altera, qua affirmatur totum Christum sub unaquaque specierum parte praesentem esse separatione non facta, *effert sententiam communissimam theologorum.* Imo ab ipso Concilio Trid. in capite 3., in quo doctrina catholica explicatur, simpliciter dicitur: « Totus... et integer Christus sub panis specie et sub quavis ipsius speciei parte, totus idem sub vini specie et sub eius partibus exsistit ».

Probatur pars prior: I. Ex Scriptura. Matth. 26, 27. 28: *Et accipiens calicem gratias egit et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus.* Apostoli singuli ex uno calice bibentes partem tantum vini consecrati sumpserunt; sed non est dubium, quin totum Christi sanguinem et consequenter (ut patet ex thesi praec.) totum Christum receperint.

II. Ex Traditione et constanti fide atque praxi Ecclesiae. In *liturgia s. Ambrosii* in praefat. Dom. 5. post Epiph. dicitur: « Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est; nec per singulos minuitur, sed integrum se praebet in singulis ». — In solemnitate corporis Christi dicitur in *Seq. Missae:* « Fracto demum sacramento ne vacilles, sed memento tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur. Nulla rei fit scissura; signi tantum fit fractura, qua nec status nec statura signati minuitur ».

III. Ratione theologica. Si Christus totus non esset sub omnibus speciei partibus ab invicem separatis, esset aut sub singulis partibus carptim, aut sub una tantum parte. Sed utrumque repugnat. Prius repugnat, quia Christus glorificatus atque immortalis in partes discerpi non potest et quia nulla est ratio, cur haec Christi pars sit sub hac potius parte speciei, quam sub alia. Alterum repugnat, quia nulla ratio est, cur Christus maneat sub una parte speciei, sub alia autem esse desinat, cum successerit panis et vini substantiae, quae sub omnibus speciei partibus, si separatae essent, mansisset.

Probatur pars altera rationibus theologicis, quae petuntur:

1. *Ex verbis consecrationis:* Per verba: *hoc* est *corpus* meum efficitur, ut totum Christi corpus *succedat substantiae panis* sub eiusdem panis specie. Atqui ante consecrationem *substantia panis est sub qualibet speciei parte.* Ergo post consecrationem sub qualibet parte eiusdem speciei est totum corpus Christi.

Neque ratio ulla neque fas est sentire per verba consecrationis unam partem panis converti in hanc partem corporis Christi, aliam in aliam. Nam pronomine « hoc » significatur totus panis, super quem vocabulum illud pronuntiatur; ergo etiam quaelibet eius pars, quia ratio panis in qualibet parte invenitur. Nominibus vero « corpus meum » significatur corpus Christi totum.

2. *Ex absurdis*, quae sententiam contrariam sequuntur. *a)* Si Christus ante separationem sub singulis specierum partibus praesens non esset, sub iis non per consecrationem, sed *per separationem praesens fieret*, id quod inauditum est et omnino gratis, imo irrationabiliter asseritur, cum fractio vel effusio vel delapsus vel id genus aliud, quod fortuito potest accidere, certe non sint instituta ad tantum effectum producendum. — *b)* Si Christus non esset totus in tota specie et totus in singulis speciei partibus ad instar spiritus, *ibi esset quantitative*. Sed non convenit cum dignitate Christi corpus ipsius quantitative exsistere in parva hostia, imo in minima parte hostiae delapsa. Si enim corpus Christi ibi quantitative exsisteret, esset omnino deforme atque redactum ad figuram, quae figurae speciei responderet.

Systema scholasticum.

In statu sacramentali, quod mysterium est et id quidem primi ordinis, tria incomprehensibilia sunt, sc. praesentia corporis Christi sub specie panis iuxta modum spiritus, praesentia eiusdem in plurimis locis simul, exsistentia accidentium panis sine sua substantia. Hinc:

A. De praesentia corporis Christi sub specie panis iuxta modum spiritus.

I. In transsubstantiatione convertitur *sola substantia* panis. Substantia autem non convertitur nisi *in substantiam*. Ideo *vi transsubstantiationis praecise* seu per se consideratae in eucharistia ponitur *sola substantia corporis Christi*. Substantia autem corporea per se sola seu a sua quantitate secreta *partes extra partes actu non habet*, sed potentia tantum et exigentia seu apta est ad eas partes recipiendas et eas naturaliter postulat. Actu has partes recipit per quantitatem. Qua quidem quantitate etiam efficitur, ut illae partes extendantur in loco, ita ut una pars non sit ibi, ubi est alia. Quantitate igitur efficitur, ut corpus sit in loco circumscriptive. Itaque substantia corporea, si a quantitate sua separatur, id quod a nulla quidem creatura, sed tamen a Deo fieri potest, non est in loco circumscriptive, sed est in puncto indivisibili, et, si Deus vult, ut alicubi extendatur, tota est in toto loco et tota in qualibet loci parte, seu *est in loco definitive*, quemadmodum in eo sunt

substantiae spirituales. Iam vero, quia vi consecrationis substantia corporis Christi succedit substantiae panis et ratio seu natura panis tota erat sub tota sua quantitate et tota sub qualibet huius parte, etiam substantia corporis Christi tota fit praesens sub tota quantitate panis et tota sub qualibet eius parte, seu per totam panis quantitatem diffunditur. Itaque ibi est ad modum substantiarum spiritualium.

II. Licet in eucharistia vi transsubstantiationis per se ponatur sola ac nuda substantia corporis Christi, *reapse* tamen haec substantia coniuncta est *cum sua quantitate* ceterisque accidentibus, iis nimirum, quae non dependent a praesentia circumscriptiva in loco. Nam substantia corporis Christi a suis accidentibus nusquam separatur. Quantitas autem corporis Christi, quia in eucharistia non est per se, ibi est *per accidens*. Proinde ibi non exsistit in modum sibi proprium, sc. circumscriptive, sed *in modum nudae substantiae proprium*, i. e. eo modo, quo substantia exsisteret, si a quantitate sua esset separata, sc. *definitive*, cum e contrario in statu naturali substantia corporis existat in modum quantitatis, sc. circumscriptive.

III. Quia quantitas corporis Christi cum sua substantia reapse coniuncta est, *efficacia sua primaria* respectu eiusdem substantiae *privari non potest*, secundaria autem efficacia sua potest privari. Iam vero:

1. Secundum sententiam *antiquorum scholasticorum* efficacia primaria quantitatis consistit in eo, quod substantiae, quae per se tantummodo apta est ad partes extra partes habendas, has *partes actu dat* et eas quidem solummodo *in ordine ad se*, sine respectu ad spatium, ita nimirum, ut una pars substantiae non sit alia. Eo ipso autem, quod substantia habet partes extra partes in ordine ad se, apta est, ut habeat easdem partes in ordine ad spatium, seu ut partes eius in spatio extendantur. Has partes in spatio actu extendere est munus secundarium quantitatis. Efficacia igitur secundaria quantitatis consistit in eo, quod partes substantiae extendit in ordine ad spatium seu in spatio, ita ut una pars substantiae non sit ibi, ubi est alia, et quod consequenter ab illo spatio alia corpora quantitate affecta expellit, seu reddit corpus impenetrabile; praeterea, quod reddit corpus divisibile et mensurabile. In eu-

charistia igitur quantitas corporis Christi primariam suam efficaciam retinet, i. e. eidem corpori dat ut actu habeat partes extra partes in ordine ad se; seu, quod idem est, corpori Christi dat extensionem internam seu entitativam seu substantialem, quae vocatur. *Efficacia autem sua secundaria quantitas illa privatur.* Unde non efficit, ut corpus Christi extendatur in spatio, ut consequenter ab illo spatio, quod a corpore Christi occupatur, alia quanta expellantur, ut corpus Christi actu sit impenetrabile, divisibile, mensurabile; seu, quod idem est, *corpori Christi non dat actualem extensionem in ordine ad spatium,* quae vocari solet externa, situalis, localis, nec dat ea, quae hanc extensionem sequuntur, sc. actualem impenetrabilitatem, divisibilitatem, mensurabilitatem. — Dicitur: non dat *actualem* extensionem in ordine ad spatium, quia certe dat aptitudinalem eiusmodi extensionem seu aptitudinem ad extensionem localem et consequenter ad impenetrabilitatem, divisibilitatem, mensurabilitatem, imo horum omnium exigentiam. Nam quantitas habet naturalem tendentiam omnem efficaciam sibi connaturalem exercendi seu omnes effectus suos formales conferendi. Propterea eos omnes, nisi divinitus impeditur, semper ac necessario confert.

2. *Iuxta Suarez,* quem multi sequuntur, efficacia primaria quantitatis non consistit in eo, quod substantiae partes extra partes in ordine ad se det. Secundum opinionem enim eiusdem omne corpus per substantiam suam iam habet partes extra partes in ordine ad se, quarum complexus vocatur quantitas entitativa vel intensiva vel substantialis. Ex quo fit, ut efficacia primaria quantitatis accidentalis, quae vocatur quoque dimensiva vel extensiva, non possit consistere in eo, quod substantiae det partes extra partes in ordine ad se seu extensionem internam. Sed nec potest consistere in eo, quod substantiae actu det partes extra partes in ordine ad spatium seu extensionem externam, quia hanc non confert corpori Christi eucharistico. Hinc iuxta Suarez in eo consistit, quod substantiam corpoream reddit *proxime aptam ad habendas partes extra partes in ordine ad spatium* seu quod illi det aptitudinem et exigentiam ad extensionem externam. Efficacia quantitatis secundaria secundum Suarez consistit in eodem, in quo consistit secundum scholasticos antiquos.

IV. Quia corpus Christi in eucharistia actu habet extensionem internam et eam quidem solam, actu quoque habet *organizationem internam* eamque solam. Et quia extensionem externam habet aptitudine, etiam organizationem externam aptitudine habet. In eundem enim modum corpus est organizatum, in quem est extensum, cum hoc illud supponat et sequatur. Iam vero organizatio interna importat tantum partes heterogeneas et certum ordinem, quo partes ad invicem referuntur ad unum totum constituendum; organizatio vero externa superaddit partium illarum dispositionem in spatio. Itaque in eucharistia sunt omnes partes diversae corporis humani et hae partes, licet in ordine ad spatium sint in puncto indivisibili, tamen in ordine ad se non confunduntur inter se, sed retinent naturalem ordinem, ita ut v. g. caput uniatur collo, collum humeris.

V. *Inter corpus Christi et species sacramentales aliqua est unio.* Nam illud sub his inseparabiliter est praesens. Quae quidem unio ab aliquibus habetur *mere moralis,* consistens in eo, quod Deus statuerit, ut corpus Christi tamdiu sub speciebus sit praesens, quamdiu species integrae maneant. Ab aliis vero, ut Suarez, unio illa habetur *physica* et ea quidem *effectiva* seu attractiva, consistens in eo, quod corpus Christi per potentiam obedientialem activam ut instrumentum Dei accidentia extra ipsorum subiectum conservet eaque ad se trahat, quin tamen eorum fiat subiectum, et quod vicissim accidentibus communicetur virtus supernaturalis secum trahendi corpus Christi, si ipsa moveantur.

VI. Ex his omnibus efficitur, quid Christus in eucharistia possit aut non possit agere vel pati.

1. *Potest elicere omnes actus internos,* qui non dependent a phantasmatibus, sc. visionem beatificam, cognitiones scientiae infusae, actus voluntatis a visione beatifica et scientia infusa dependentes. Nam hi actus omnes sunt independentes ab organis corporeis ideoque etiam a modo exsistendi, qui iisdem competit.

2. *Naturaliter non potest* elicere *a) actus sensuum externorum,* ut visionem et auditionem. Nam hi actus sunt materiales et requirunt organum actualiter extensum in spatio atque actualem impenetrabilitatem nervorum fibrarumque ipsius

organi; *b) actus sensuum internorum*, ut phantasmata. Nam et hi actus sunt materiales, dependent ab actibus sensuum externorum, requirunt principium extensum in spatio; *c) actus intellectus dependentes a phantasmatibus*, propterea, quod ab his dependent.

Utrum Christus in eucharistia actus illos, quos naturaliter elicere nequit, supernaturaliter eliciat necne, revelatum non est. Unde sunt, qui pie credant Verbum in eucharistia humanae suae naturae exercitium sensuum tam externorum quam internorum supernaturaliter re vera tribuere. Iis enim Christus apud fideles etiam eo consilio manere videtur, ut cum his non solum in modum spiritualem, sed etiam via sensuum communicet.

3. *Nihil potest pati* ab agentibus corporeis, unde omnes profanationes, v. g. corrosio, contaminatio, non cadunt in corpus Christi, sed in accidentia. Nam agentia corporea non habent influxum nisi per contactum quantitativum seu extensum localiter; sed eiusmodi influxus solummodo recipi potest in subiecto localiter extenso. Hinc corpus Christi in eucharistia non potest moveri per se seu ratione sui, sed tantum per accidens seu ratione specierum.

Dici nequit: Spiritus non potest esse in loco extense et divisibiliter; ergo nec corpus in loco inextense et indivisibiliter esse potest. Nam est disparitas. Modus enim exsistendi in loco divisibiliter necessario supponit partes, quas spiritus non habet. Sed modus exsistendi in loco indivisibiliter, licet non exigat partes, tamen eas non necessario excludit, cum nulla contradictio in eo sit, quod corpus divinitus privetur effectu secundario suae quantitatis, nimirum extensione in loco et redigatur in punctum indivisibile. Nec potest dici: Si corpus Christi totum est sub qualibet speciei parte, ibi pluries est. Nam ibi non est pluries actu, sed potentia tantum. Numerus enim actualis supponit divisionem actualem speciei, quae corpus Christi continet. — Sic anima quoque non est pluries in eodem corpore, quamvis sit tota in toto corpore et tota in qualibet eius parte.

B. De praesentia corporis Christi in pluribus locis simul.

I. Corpus Christi in eucharistia sub una eademque specie praesens est ad modum spiritus, qui modus multo perfectior est, quam ille, quo corpora naturaliter locum occupant. Attamen non est sub una tantum specie, sed sub pluribus. Proinde praesentia eius perfectior est, quam praesentia spiritus creati, qui solummodo est aut in uno corpore, ut anima humana, aut in una sphaera, ut angelus. Quapropter praesentia corporis Chri-

sti in eucharistia non vocatur definitiva, sed *redundans*. Vocari quoque potest *divino-spiritualis*, quia intercedit inter praesentiam definitivam spiritus creati et repletivam Dei.

II. Praesentiam illam redundantem possibilem esse positive a nobis probari nequit, quia rem unam in pluribus locis praesentem cogitare non possumus, quin cogitatione nobis fingamus aut ex pluribus locis unum locum factum aut rem unam in res plures divisam. Neque id mirum est, cum cogitationes nostrae dependeant a phantasia et haec continuum non possit transcendere. Verumtamen *negative probari potest* praesentiam redundantem esse possibilem; i. e. ostendi potest eam nullam involvere contradictionem. Et id quidem breviter sic ostenditur: Praesentia entis non est ipsum ens, sed entis modus; atqui modi entis possunt multiplicari, quin multiplicetur ipsum ens; ergo.

III. Quia corpus Christi praesens est sub multis speciebus multisque in locis, de eodem, quatenus diversis sub speciebus diversisque in locis adest, *contradictoria praedicari possunt*, v. g. ipsum in uno loco moveri, in altero non moveri. Neque ulla in hoc est repugnantia. Nam ad repugnantiam habendam requiritur, ut idem de eodem affirmetur et negetur secundum eundem respectum. Sed in hoc casu idem de eodem affirmatur et negatur *secundum diversum respectum*. Sic quoque anima hominis in agri solo stantis a solo distat et non distat: distat, ut est in capite; non distat, ut est in pedibus. Vel anima hominis manibus operantis movetur et non movetur: movetur in manibus motis; non movetur in aliis corporis partibus non motis.

C. De exsistentia accidentium sine sua substantia.

I. Accidentia panis, sicut non inhaerent substantiae panis, utpote quae per consecrationem esse desierit, ita neque inhaerent corpori Christi. Nam hoc in eucharistia exsistit modo inextenso. Ergo accidentia extensa ei ut suo subiecto inhaerere non possunt. Proinde accidentia illa *nulli substantiae inhaerent*. Neque in hoc est ulla contradictio. Nam 1. de essentia accidentis *non* est substantiae *actu* inhaerere, sed tantum *aptitudine et exigentia*. 2. Causa prima efficientiam causarum secundarum *supplere* potest; ergo etiam id praestare potest, quod naturaliter praestat substantia respectu accidentium. Et

id quidem praestare non potest in eodem genere causae, in quo substantia id praestat; nam substantia respectu accidentium est causa materialis, ea vero Deus esse non potest, quia non potest accidentia in se recipere. Tamen id potest praestare *in genere causae efficientis*, sc. per efficientiam suam id supplendo, quod de concursu substantiae ut causae materialis desideratur. Secundum opinionem eorum, qui censent inter corpus Christi eucharisticum et accidentia panis esse unionem physicam, Deus haec accidentia conservat mediante corpore Christi ut suo instrumento.

II. In statu naturali quantitas immediate inhaeret substantiae, cetera vero accidentia substantiae inhaerent mediante quantitate, ita ut habeant duplex subiectum: mediatum, quod est substantia, et immediatum, quod est quantitas. Proinde in eucharistia sola *quantitas* panis supernaturaliter exsistit *sine ullo subiecto; cetera* vero accidentia exsistunt *in quantitate* ut suo subiecto et ab ea sola totaliter et sufficienter sustentantur. Nam quantitas eadem virtute supernaturali, qua per se exstat, etiam aliis accidentibus per se substat. Itaque in quantitate magna, in aliis accidentibus nulla fit mutatio.

III. Accidentia panis idem et in eundem modum *agunt et patiuntur*, quod et in quem modum agerent et paterentur, si substantia panis adhuc subesset. Nam unumquodque ens, sicut se habet ad esse, ita se habet ad agere et pati. Sed accidentia eucharistica divinitus conservant suum esse; ergo etiam divinitus conservant suum agere et pati.

IV. Ex accidentibus eucharisticis etiam potest aliquid *generari*, v. g. per digestionem chylus, per combustionem cinis. Quod quidem a plurimis sic fieri censetur: Quando in quantitate alteratio est facta et eae dispositiones positae sunt, quae, si substantia panis adhuc subesset, ad generationem efficiendam sufficerent, a Deo materia prima producitur et ex eius potentia educitur in illaque suscipitur forma substantialis novi compositi. *Controvertitur* autem, utrum materia illa producatur per creationem an per conversionem quantitatis in ipsam supernaturali Dei virtute factam.

V. Ex omnibus, quae exposita sunt, haec duo *colliguntur*:

1. Ab accidentibus eucharisticis et circa ea et ex iis illa omnia fiunt, quae fierent, si substantia panis adhuc subesset.

2. Quia substantia panis, non alia substantia conversa est in corpus Christi, hoc corpus sub accidentibus eodem momento esse desinit, quo ea sunt adeo alterata, ut substantia panis naturaliter subesse non possit. Eo utique momento a Deo ea substantia producitur, quae illis accidentibus respondet.

Scholion. De modo, quo aliquot recentiores species sacramentales permanere censent.

1. Nulli corpori insunt accidentia a corporea substantia realiter distincta. Consequenter nec in eucharistia substantia panis amota *eadem numero* accidentia, quae panis substantiae inerant, remanere possunt. Remanent tamen, ut testimonio sensuum constat, post consecrationem eadem phaenomena sensibilia, ut figura, color, sapor etc., quae ante consecrationem aderant, quae quidem phaenomena species, vel etiam accidentia, modo indeterminate sumantur, vocari possunt.

2. Ut intelligatur, *quomodo* illud fieri possit, considerandus est modus, quo substantiam corpoream sensibus percipimus, qui in hoc consistit: A substantia corporea aër et aether accipiunt motus seu undulationes; illi hos motus transferunt ad sensus; sensus his motibus tacti experiuntur respondentes sensationes. Iam vero Deus immediata sua operatione tam in aëre et aethere, quam in sensibus eosdem motus producere potest, quos substantia corporea producit seu imprimit. Et eos quidem motus in eucharistia re vera producit, sive, ut aliqui volunt, *immediate in sensibus*, ita ut hi subiectivas tantum affectiones habeant, sive, ut alii merito malunt, *in aëre et aethere*, ita ut sensuum affectionibus aliquid obiectivum reale respondeat.

Tongiorgi haec tradit [1]: « Virtute divina fieri potest, ut *resistendi vis seu impenetrabilitas* propria substantiae corporeae aliquo in loco exeratur, quin vel ullum corpus vel aliud agens quodcunque vi propria resistat. Hoc autem vel unum sufficit, ut effectus omnes alicuius corporis proprii sine illo corpore producantur. — Fac itaque sublata v. g. panis substantia divinam virtutem efficere, ut in loco, ubi erat panis, intraque eosdem limites resistentia habeatur: eodem modo atque ordine, quo a panis illius atomis atque moleculis exercebatur. Ex hoc illico habebis extensionem eamque mobilem ac divisibilem, similem in omnibus extensioni panis; habebis eandem figuram, cohaesionem, duritiem ceterasque qualitates generales et speciales, quas panis prae se ferebat. Accedent undae luminosae, et in illa superficie eodem

[1] Vol. 2. Cosmol. n. 236-240.

modo modificabuntur ac diffundentur, ac prius a superficie panis; caloricum eodem modo impenetrabilitates illas atomicas commovebit, atque undae sonorae in aëre eodem modo ac prius ab extensione hac ciebuntur; gravitas demum attractionesque omnes eaedem erunt. Hinc tactus. visus, auditus, gustus in ea extensione reperient eadem, quae antea reperiebant, neque hanc substantiae apparentiam a vera substantia intellectus rei ignarus discernet. Imo non solum humani sensus, sed et aether et aër et corpora cetera, si sensus essent capacia, apparentes illas moleculas apparensque illud corpus a veris moleculis veroque corpore non distingueret. — *De odoribus* specialis quaedam videtur vigere difficultas, cum hi minutissimorum corpusculorum effluviis ac proinde substantiarum quadam multitudine constent. Sed re vera difficultas specialis in hoc nulla est; nam cum divina virtus suppleat molecularum omnium prius cohaerentium resistentiam, et huiusmodi, ut si dicam, resistentiae moleculares iisdem motibus agitentur, quibus antea moleculae substantiales agitabantur, profecto ille quoque motus in iis vigebit, ex quo prius quaedam moleculae segregabantur et segregatae hac illac volitabant, cum hoc tantum discrimine, quod nunc non erunt minutissima corpuscula, ut prius, sed minutissimae resistentiae ad instar corpusculorum. Simili fere modo per accidentia absoluta multa explicat s. Thomas [1]. — Si hoc non placet, facile intelliges aliis quoque modis Deum odores corporum servare posse: nempe vel servando intra quosdam limites particulas odoras, quae prius a substantia effluxere, vel etiam immediate efficiendo in sensus impressiones eas, quas huiusmodi corpora gignerent. (Hoc Einig [2], qui systema scholasticum proponit, ita explicat: « Admitti potest secundum leges physicas, quibus species subsunt non secus ac prius, avelli posse moleculas illas minimas, quae utpote species corruptae desinant esse species sacramentales). — Facile colliges, quo pacto iuxta hanc sententiam accidentia corporum absque subiecto manere dicuntur. Manent videlicet non secundum entitatem, quam prius in substantia habebant, sed *secundum entitatem effectuum;* suntque haec accidentia sine subiecto identica cum accidentibus, quae prius erant in subiecto, non identitate numerica et absoluta, sed identitate *relativa et sensibili.* — Hac ratione multi recentiores sacrae eucharistiae mysterium, quod attinet ad panis vinique species in eo manentes, explicari posse autumant ».

Palmieri haec docet [3]: « Supponimus substantiam panis et vini non esse nisi materiam ponderabilem sicut et cuiusque corporis naturalis. Scimus autem atomos corporum immersas veluti esse *intra materiam imponderabilem,* quae sinus omnes corporis pervadit quaeque cohaerentes tenet partes seu atomos corporis. Fac igitur desinere omnem substantiam panis et vini *Deumque efficere, ut materia imponderabilis, quae illis commixta erat, sensibiliter resistat* in eodem spatio, quemadmodum prius resistebat corpus: habebis eadem phaenomena et quidem obiectiva, hoc est a causa existente a parte rei determinata, quae prius habebas ».

---

[1] 3, q. 77, a. 4-7.

[2] De euch. thes. 5, corol. 1.

[3] Cosmol. th. 26.

Franzelin haec fere habet: Ex singulis particulis substantiae corporeae promanat *resistentia atque attractio,* quae diversimode se habet pro diversitate substantiae quaeque est vis quaedam ad modum impulsus seu impetus. Qui quidem impulsus ex se postulat inesse substantiae, tamen in eucharistia supernaturaliter conservatur a Deo, qui per modum causae efficientis id supplet, quod naturaliter substantia corporea per modum subiecti sustentantis praestat.

3. *A sententia scholasticorum licitum esse recedere* sic suadetur: Scholastici, quia nesciebant phaenomena sensibilia esse actiones quarundam virium, secundum sensus iudicantes putabant ea esse formas quasdam staticas, quae per species ad sensus immissas facultatem sensitivam ad actum determinarent. Proinde pro certo habebant, sed *tantummodo certitudine sensuum,* in eucharistia formas illas easdem numero manere, quae antea erant. Unde s. Thomas dicit [1]: « Respondeo dicendum, quod *sensu apparet* facta consecratione omnia accidentia panis et vini remanere »; et [2]: « Respondeo dicendum, quod accidentia panis et vini, quae *sensu deprehenduntur* in hoc sacramento remanere post consecrationem, non sunt sicut in subiecto in substantia panis et vini ». Numquam tamen systema accidentium absolutorum a scholasticis, saltem antiquioribus, propositum est ut obiectum fidei. Illud quidem ad fidem tuendam necessarium esse putabant, sed ideo tantum, quia nullum aliud systema fidei catholicae consentaneum noverant. Si igitur ad species eucharisticas explicandas alia afferri possunt, quae fidei catholicae consentanea sunt, quisque intelligit quaestionem de accidentibus absolutis esse mere philosophicam hominumque opinionibus relictam. Ita fere Tongiorgi; et Perronne haec dicit [3]: « Fides nos docet credere realem Christi praesentiam, non autem et accidentia absoluta peripateticorum aut aliud quodlibet philosophicum systema. Fides semper simplex est, hominum additamenta ut plurimum implexa sunt ac difficilia ».

THESIS III. **Species eucharisticae sunt aliquid obiectivum reale.**

Est *theologice certum,* ut censet Einig, qui addit: « An sit de fide, definire non ausim ».

---

[1] 3, q. 75, a. 5, c.
[2] 3, q. 77, a. 1, c.
[3] Prael. theol. vol. 7, de euch, c. 1, § 119.

Opponitur iis, qui tenent species sacramentales nihil esse nisi sensuum modificationes.

Probatur I: Ex Traditione et mente Ecclesiae.

1. *Ss. Patres* speciebus eucharisticis realitatem obiectivam atque physicam adscribunt. Nam eas vocant rem terrenam, rem materialem, panis et vini permanentem naturam (i. e. summam qualitatum sensibilium etc.), in incarnatione Verbi naturam humanam remanere contra Monophysitas illustrant ex realitate specierum in eucharistia remanentium.

2. *Scholastici* omnes obiectivam permanentiam accidentium realium docuerunt.

3. *Concilium Tridentinum* sess. 13. de speciebus eucharisticis ea praedicat, quae de meris modificationibus sensuum dici nequeunt, imprimis: *a)* species *manere* (can. 2: manentibus dumtaxat speciebus panis et vini); sed modificationes sensuum non habent esse permanens; — *b)* Christum sub speciebus *contineri* (can. 3.); sed corpore Christi in pixide clauso nullae sunt modificationes sensuum; ergo nec tunc Christus sub his continetur; — *c)* species in partes separatas *dividi* posse (can. 3.); sed sensuum modificationes in eiusmodi partes dividi non possunt; — *d)* eucharistiam esse *sacramentum permanens* (can. 1-4; 6, 11); sed illa tunc actu non esset sacramentum, si non adessent modificationes sensuum; nam tum nihil sensibile adesset, quod est de ratione sacramenti.

4. *Congregatio indicis* anno 1694 damnavit hanc propositionem: « Eucharistiae accidentia non accidentia realia, sed merae illusiones et praestigia oculorum sunt ».

II. Ratione theologica et congrua. Si species eucharisticae tantummodo essent modificationes sensuum, 1. aut sacramentum eucharistiae post consecrationem ex nulla parte externa constaret et consequenter *nec rationem sacramenti haberet,* aut affectiones sensuum rationem sacramenti ingrederentur; 2. *miracula* nimio plus *multiplicarentur,* idque non solum quoad homines, sed etiam quoad bestias ac bestiolas et quoad omnes quorumcunque animantium sensus; 3. omnes horum *sensus* etiam rite dispositi circa proprium obiectum *deciperentur.*

Scholion. Sententiam, iuxta quam species eucharisticae sunt *motus seu undulationes* tantum in aëre et aethere divi-

nitus producta, Pesch sic refellit [1]: « In hac quidem hypothesi obiectiva realitas specierum servatur; attamen verum non esset *remanere aliquid panis et vini*, ut Patres et theologi docent et concilia non obscure innuunt. Neque verum esset *species sacramentales posse frangi, loco moveri* etc., id quod non solum communiter a fidelibus sed etiam ab ipsa ecclesia saepissime dicitur ».

Iuxta explicationem, quam *Palmieri* tradit, « magna videtur adesse *difficultas quoad verba institutionis;* nam si Christus simul cum corpore suo porrigebat materiam aliam intime nexam cum signo sensibili, quod ostendebat, non apparet, quomodo vera maneant verba: Hoc est corpus meum. Nam sicut his verbis excluditur substantia panis, ita *videtur necesssario excludi omnis alia substantia pertinens ad accidentia sensibilia.* Dein toti ecclesiae semper visum est magnum miraculum et res intellectum nostrum longe superans, quomodo in Sacramento maneant accidentia sine subiecto. Ergo ecclesiae persuasum fuit *nullam* adesse materiam, cui accidentia sensibilia inhaereant ». Idem.

Hypothesis, quam *Franzelin* proponit, « sine dubio plurimas difficultates evitat ot omnia phaenomena satis facile explicat. Solum hoc potest displicere, quod *actio transiens dicitur conservari;* nam haec actio est effectus productus a substantia panis. Sed omnis effectus productus et transiens in aliquo subiecto recipitur; ergo re vera hoc energema (i. e. impulsus seu impetus), nisi subsistit in substantia panis, subsistit in aliquo medio, quod intercedit inter panem ut causam impulsus et sensationem ut effectum impulsus. Quod si admittitur, haec sententia recidit in praecedentem. Saltem valde difficile est concipere, quid ille impulsus sit, si neque est immanens ipsi causae neque medio neque effectui. Deinde etiam videtur sensus ecclesiae magis in id inclinari, ut dicatur non aliquid a pane productum, sed aliquid panem accidentaliter constituens remanere. *Ergo omnibus consideratis adhuc tutissima et simplicissima videtur sententia communis scholasticorum* ». Idem.

ARTICULUS IV.

DE RELATIONE EUCHARISTIAE AD RATIONEM ET RELIGIONEM EIUSQUE CULTU.

I. Praesentia Christi in eucharistia *rationi non repugnat.* Nam 1. rationi repugnaret, si essentia corporis et praesentia sacramentalis, i. e. modus, quo corpus Christi in eucha-

[1] Tom. 6, n. 711.

ristia exsistit, invicem e diametro opposita essent. Sed id locum habere numquam ostendi potest, quia nimirum neque habetur neque haberi potest clara et certa cognitio status sacramentalis; ad evincendam autem contradictionem requiruntur *duae clarae et certae ideae*, quae in mente coniunguntur et in re invicem opponuntur.

2. Omnes repugnantiae, quae finguntur, fundantur in iudiciis de corporibus *ordinis physici*, quae quidem iudicia innituntur constanti experientiae seu legibus physicis, non fundantur in iudiciis de corporibus ordinis metaphysici, quae quidem iudicia pendent ab evidenti cognitione essentiae corporum. Iam vero iudicia de corporibus ordinis physici hypothetice tantum certa sunt, i. e. tamdiu, quamdiu leges physicae valent; ideoque inferri quidem potest ea vigere pro ordine rerum praesenti, non vero ea vigere pro omni rerum ordine. Sed eucharistia non pertinet ad ordinem rerum praesentem seu naturalem, sed ad ordinem omnino alium sc. supernaturalem.

II. Praesentia Christi in eucharistia *indoli religionis conveniens est.* Nam per religionem homo Deo coniungitur. Homo autem constat ex anima et corpore et insuper post lapsum protoparentum plus aequo ad externa sensibusque subiecta inclinatus est. Hinc Deo benignissimo convenit cum hominibus modo quodam externo conversari. Quod et fecit tam in statu innocentiae, quam in statu legis naturae, quam in statu legis Mosaicae. Nam et cum protoparentibus et cum patriarchis externe conversatus est et tempore Moysis praesentiam suam manifestavit in columna nubis et ignis et postea in schechina i. e. in nube, quae erat super arcam foederis. Ergo conveniens est Deum etiam in statu legis Christianae cum hominibus externo quodam modo conversari et eo quidem perfectiore, quam in statu legis naturae et legis Mosaicae, cum ille status his sit multo perfectior.

III. De cultu ss. eucharistiae exhibendo haec dicenda sunt:

1. Christo in eucharistia praesenti idem cultus exhiberi debet, qui ei regnanti in coelo exhibendus est, sc. *cultus latriae.* Et hic quidem ipsi a fidelibus continuo exhibebatur et a Patribus expresse addicitur. Sic scribit s. Augustinus [1]: « Ne-

[1] In ps. 98.

mo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit ». — Trid. vero sess. 13, can. 6. definivit: « Si quis dixerit in sancto eucharistiae sacramento Christum, unigenitum Dei Filium, non esse cultu latriae, etiam externo, adorandum atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum neque in processionibus secundum laudabilem et universalem Ecclesiae sanctae ritum et consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum et eius adoratores esse idololatras, a. s. ». — Et cap. 5. eiusdem sessionis dicit: « Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles... latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione exhibeant ».

2. Iuxta alios theologos solus Christus adoratur, species vero nullatenus adorantur et tamen cum Tridentino dici potest sacramentum adorari, quia denominatio fit a potiori. Iuxta alios una cum Christo etiam species adorantur, utpote cum ipso, licet unione accidentali, coniunctae, sicut purpura regis una cum rege honoratur. Quae quidem sententia, modo intelligatur de cultu externo, videtur esse verior, cum referat magis propriam adorationem *sacramenti*.

3. Quamvis certitudinem moralem tantum et eam quidem solummodo latam possimus habere certam aliquam hostiam valide esse consecratam, tamen seclusis specialibus circumstantiis venerabile sacramentum *absolute*, non conditionale, adorandum est, cum generatim certitudo moralis lata ad rationabiliter agendum sufficiat. Si quando erratur, quid obest? Christus qua Deus est ubique, qua homo est in qualibet hostia valide consecrata. Homo nihil intendit adorare nisi hostiam consecratam; ideo subiective adorat venerabile sacramentum, quod revera in terra exsistit, licet non sit ibi, ubi putatur esse.

CAPUT II.

De Eucharistia, ut est Sacramentum.

PRAENOTANDA DE NOTIONE ET NOMINIBUS EUCHARISTIAE.

I. Sacramentum eucharistiae *definitur:* sacramentum novae legis, in quo corpus et sanguis Christi sub speciebus

panis et vini continentur ad supernaturalem animarum refectionem.

Dicitur: *sacramentum*, non sacramenta; nam licet species panis et vini physice distinctae sint, tamen eucharistia unum est sacramentum, quia ambae species *unum signum* constituunt. Significant enim 1. mortem Christi, in qua corpus et sanguis separata sunt; 2. eundem Christum, qui sub utraque specie totus praesens est; 3. gratiam conferendam per modum convivii, quod ex cibo et potu constare solet.

Nota. Etiam *plures hostiae* consecratae, quamvis ratione sui merito vocentur *plura* sacramenta, tamen ratione unius sub iis contenti, sc. Christi *unum* sunt sacramentum.

II. Sacramentum illud *appellatur:*

1. Eucharistia, quia *a)* cum gratiarum actione a Christo institutum est, — *b)* gratiarum fontem in se continet, — *c)* in gratiarum actionem offertur, — *d)* gratias confert.

2. *Ratione materiae transeuntis:* panis angelicus vel angelorum.

3. *Ratione contenti:* corpus Christi (Fronleichnam = Herrnleib), Bonum (per excellentiam), Sanctissimum, venerabile Sacramentum, Sacramentum (per excellentiam).

4. *Ratione temporis*, quo institutum est: Coena Domini.

5. *Ratione loci*, quo conficitur: sacramentum altaris, mensa Domini.

6. *Ratione susceptionis:* sacrum convivium, communio, synaxis.

7. *Ratione significationis rememorativae*, sc. passionis Domini: hostia.

8. *Ratione significationis prognosticae:* viaticum i. e. subsidium itineris, quod fit ad patriam coelestem. Speciatim tamen eo nomine appellatur, cum suscipitur in periculo mortis.

ARTICULUS I.

DE EXSISTENTIA SACRAMENTI EUCHARISTIAE.

THESIS. **Eucharistia est verum novae legis sacramentum.**

De fide ex ordinario Ecclesiae magisterio et multis definitionibus, in quibus eucharistia sacramentum appellatur, e. g. Trid. sess. 13, can. 1-4.

Probatur: I. Ex Scriptura, ex qua apparet in eucharistia omnia adesse, quae ad sacramentum constituendum requiruntur, sc. 1. *signum externum.* Matth. 26, 26: *Accepit Iesus panem... et ait... hoc est corpus meum;* 2. *collatio gratiae* eius susceptione dandae. Io. 6, 54: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis; qui manducat hunc panem, vivet in aeternum;* 3. *Christi institutio in perpetuum valitura.* Luc. 22, 19: *Hoc facite in meam commemorationem.* 1. Cor. 11, 26: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.*

II. Ex Traditione. 1. *Ex locis ss. Patrum* iam allatis satis patet eos docere eucharistiam esse sacramentum seu in ea omnia adesse, quae ad sacramentum constituendum requiruntur, in specie hoc sacramentum non solum in ultima coena fuisse, sed etiam adhuc esse.

2. *Ex liturgiis* omnium ecclesiarum, non solum orthodoxarum sed etiam heterodoxarum apparet eucharistiam semper habitam fuisse sacramentum.

Scholion I. De causis ob quas eucharistia instituta est.

I. Eucharistia ad eum finem instituta est, ut per illam *divinae perfectiones* manifestarentur et glorificarentur. Et hic quidem finis eucharistiae ultimus seu primarius est, siquidem est ultimus finis omnium operum divinornm. Manifestantur autem imprimis

1. *Omnipotentia* divina per multa illa mirabilia atque supernaturalia, quae in ea interveniunt, quaeque tanta sunt, ut hoc sacramentum merito haberi possit consummatio omnium operum divinorum.

2. *Sapientia* divina, quae scivit velut summam omnium divinorum donorum in unum sacramentum *colligere* et ordinavit, ut homo, qui per cibum vitam supernaturalem gratiae et gloriae perdidit, per *sumptionem* huius sacramenti vitam gratiae conservaret et ita vitam gloriae suo tempore obtineret.

3. *Bonitas* divina et ea quidem maxime ac diversimode manifestatur, praecipue sic: *a)* Sicut Verbum incarnatione di-

vinitatem communicavit cum humanitate, ita totus Christus hoc sacramento *se communicat* cum singulis hominibus. — *b)* Christus in eucharistia maiestatem suam et splendorem sub vilibus speciebus *abscondit,* ne conspectum suum vereamur, sed ut fiducialiter, imo familiariter cum ipso conversemur. — *c)* Cum Deus nondum incarnatus apud populum suum in schechina specialiter praesens fuerit uno tantum loco, incarnatus in venerabili sacramento praesens est *innumeris locis.* — *d)* Christus in sacramento altaris continuo *perfert* cuiusvis generis ignominias et negligentias.

Infinita Salvatoris nostri caritas, quae ex his multisque aliis mire elucet, a nobis quidem viatoribus haud digne glorificatur, ita ut finis illorum ultimus: gloria Dei, videatur hac in terra non satis obtineri; tamen considerare oportet etiam a comprehensoribus illa lumine gloriae cognosci et propter illa Deum glorificari et utrumque fieri multo perfectius, quam a nobis fieri potest, ac per totam aeternitatem.

II. Praeterea eucharistia instituta est, ut per eam in nobis *virtutes* promoverentur, tam theologicae quam morales. Etenim:

1. *Fides* credendo mysterium tam difficile exercetur, probatur, augetur magnumque habet meritum.

2. *Spes* crescit, in quantum homo considerando Deum tantum dedisse inclinatur ad confidendum ipsum minora non esse denegaturum.

3. *Caritas* inflammatur tanto Christi amore proposito.

4. Multae *virtutes morales,* praesertim humilitas, patientia, obedientia exemplo, quod Christus in sacramento altaris nobis ad imitandum proponit, promoventur.

Aliae causae, ob quas eucharistia instituta est, ad hanc spectant sub ratione sacrificii et communionis, de quibus infra.

Scholion. II. De circumstantiis, sub quibus eucharistia instituta est.

Convenientia fuerunt institutionis eucharistiae tempus et locus.

1. *Tempus* fuit: *a)* Illud, quod proxime *praecessit Christi passionem* et mortem, unde tunc convenienter institutum est illud sacramentum, quod eiusdem passionis ac mortis futurum erat memoriale. — *b)* Illud, quo paulo post unus ex Christi

discipulis eum *tradidit*, unus *denegavit*, ceteri *deseruerunt*. Christus igitur praecise tunc instituendo illud sacramentum, quo cum suis usque ad consummationem saeculi erat permansurus, luculenter ostendit ineffabilem suam caritatem. — *c)* tempus vespertinum, cuius obscuritas est imago fidei, qua sola hoc sacramentum percipi potest.

2. *Locus* fuit: *a) Hierosolyma*, quae urbs erat centrum totius cultus Iudaici, figurae cultus Christiani, cuius centrum est eucharistia, unde et haec illic congrue est instituta. — *b) Coenaculum* digne paratum, grande atque stratum (Marc. 14, 15), quo significatur eucharistiam suscipientes debere esse bene praeparatos et magno animo atque tranquillo.

Scholion III. De figuris eucharistiae.

Praecipuae figurae eucharistiae fuerunt:

1. *Ratione materiae transeuntis et effectus: a)* Panis et vinum oblata a Melchisedech (Gen. 14, 18); — *b)* panes primitiarum (Lev. 23, 17); — *c)* panes propositionis (Exod. 25, 30); — *d)* panis subcinericius, quem comedit Elias et in cuius fortitudine ambulavit quadraginta diebus usque ad montem Dei Horeb (3. Reg. 19, 5-8).

2. *Ratione contenti et effectus:* Agnus paschalis (Exod. 12, 3-14).

3. *Ratione effectus: a)* Lignum vitae plantatum in medio paradisi (Gen. 2, 9); — *b)* manna (Deut. 8, 3).

Scholion IV. De differentia, quae est inter eucharistiam et cetera sacramenta.

Eucharistia a ceteris sacramentis eo differt, quod 1. fit per *transsubstantiationem;* 2. non solum gratiam confert, sed etiam continet ipsum *gratiae auctorem;* 3. non solum consistit in actione transeunte, sed etiam in *re permanente*, unde in ipsa aliud est fieri, aliud esse; 4. non solum est sacramentum, sed etiam *sacrificium*.

ARTICULUS II.

DE MATERIA ET FORMA EUCHARISTIAE.

THESIS I. **Materia, ex qua eucharistia conficitur, est panis triticeus et vinum de vite.**

Explicatur et probatur. I. Materia, ex qua eucharistia conficitur, seu materia remota est *panis.*

Nam: 1. *Christus* eam materiam instituit, quam *consecravit;* sed Christus consecravit panem et vinum, ut colligitur ex evangeliis. Panis enim a tribus synopticis expresse nominatur; in calice vero, qui consecratus esse ab illis traditur, vinum fuisse constat et ex rituali paschatis iudaici et ex verbis Christi (Matth. 26, 29; Luc. 22, 18): *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Licet enim sit incertum, utrum haec verba referantur ad calicem consecratum an ad non consecratum, tamen ex tota narratione merito colligi potest in calice consecrato non fuisse alium liquorem nisi vinum.

2. *Ss. Patres* hoc saepe diserte dicunt, ut apparet ex locis cap. I. citatis. *Ecclesia* idem in variis declarationibus supponit dicendo v. g. (Lat. IV, cap. 1.) corpus et sanguinem Christi contineri sub speciebus panis et vini; vel (Trid. sess. 13, cap. 4.) per consecrationem panis et vini fieri conversionem substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Christi.

3. Est quoque materia *congrua.* Convenit enim aliquibus huius sacramenti effectibus, sc. *a)* nutritioni spirituali, quae apte significatur pane et vino vires corporis sustentantibus atque augentibus; — *b)* unioni fidelium per Christum cum invicem promovendae, quae apte significatur pane ex pluribus granis confecto et vino ex pluribus uvis expresso. 1. Cor. 10, 17: *Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.*

II. Materia valida non est quilibet panis, sed panis *triticeus,* nec quodlibet vinum, sed vinum *de vite* i. e. liquor ex uvis vitis maturis expressus. Constat ex consensu Patrum et theologorum et liturgiarum, quibus accedit Concilium Florentinum.

III. Panis est materia valida, sive est *fermentatus,* sive est *azymus.* Illo utitur Ecclesia graeca, hoc latina. Azymus tamen 1. iuxta Matth. 26, 17. Marc. 14, 12. Luc. 22, 7. ab ipso Christo adhibitus est; 2. melius significat *a)* integritatem corporis Christi sine ulla corruptione concepti et nati; — *b)* puritatem mentis, quae a suscipientibus hoc sacramentum requiritur.

Scholion I. De mixtione vini et aquae. 1. Vino aqua *miscetur,* quia Christus ita fecisse creditur et quia aqua una cum sanguine e latere Christi perfosso effluxit.

2. Aqua illa *significatur* natura Christi humana, vino natura eius divina, mixtione igitur amborum significatur unio naturae humanae cum natura divina in una persona Verbi. Praeterea aqua significatur genus humanum, vino Christus, mixtione igitur illa unio generis humani cum Christo, capite ipsius supernaturali.

3. Aqua illa post consecrationem certe non amplius est aqua, sed *sanguis Christi*, quia per verba: « hic est calix sanguinis mei » totum illud designatur, quod in calice continetur. Iuxta antiquos scholasticos, catechismum et pontificale Romanum aqua ante consecrationem naturaliter convertitur in *vinum*. Et id quidem fieri censetur aut per hoc, quod vinum habeat *virtutem* aquam illam modicam *in se convertendi*, aut per hoc, quod aqua in partes adeo minutas *dividatur*, ut forma aquae amplius remanere nequeat, unde in eius locum succedat forma vini illam undequaque circumdantis.

Scholion II. Materia *proxima* eucharistiae ab aliquot theologis habetur usus materiae remotae i. e. panis et vini in consecratione.

THESIS II. **Forma, qua eucharistia conficitur, sunt verba consecrationis eaque sola.**

Est *certum*.

Opponitur iis *novatoribus*, qui realem quidem Christi in eucharistia praesentiam agnoscunt, tamen volunt eam non fieri solis verbis consecrationis, sed vel toto ritu vel sola distributione et manducatione. Opponitur quoque *non paucis Graecis schismaticis* (Nicolao Cabasilae s. 14., Marco Eugenico s. 15., Petro Mogilae s. 17. etc.), qui docuerunt vel docent eucharistiam fieri non consecratione sola, sed etiam epiclesi post illam prolata.

Explicatur: Verba consecrationis sunt « hoc est corpus meum, hic est sanguis meus » vel aequivalentia prolata a sacerdote personam Christi gerente; et quidem prolata non mere recitative seu materialiter i. e. per modum narrationis, sed *significative* seu formaliter i. e. per modum propositionis practicae. Fit autem *per intentionem*, ut propositio illa sit practica. Itaque a Deo effectus producitur, non quia verba sunt vera, sed ut sint vera.

Probatur ex Traditione et mente Ecclesiae.

1. Plures ss. *Patres* docent Christum illis verbis consecrasse et sacerdotes iisdem verbis debere consecrare.

2. *Eugenius IV.* in decreto pro Armenis edito non solum dicit formam huius sacramenti esse verba Salvatoris, sed etiam ipsorum verborum virtute substantiam panis in corpus Christi et substantiam vini in sanguinem converti. (D. 593).

3. *Pius VII.* litteris apostolicis a. 1822. ad patriarcham Antiochenum Melchitarum datis virtute obedientiae omnibus interdicit opinionem contrariam defendere ac tueri.

4. *Missale Romanum* haec habet: Verba consecrationis, quae sunt forma huius sacramenti, sunt etc.

Scholion I. De epiclesi.

1. Epiclesis est ea canonis oratio, qua Deus invocatur, ut transsubstantiationem perficiat. In liturgia Romana plurimisque aliis liturgiis occidentalibus recitatur ante consecrationem; sed in omnibus fere liturgiis orientalibus et in aliquibus occidentalibus, Gothicis sc. et Mozarabicis, dicitur post consecrationem.

Epiclesis in missali Romano contenta haec est: « Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quaesumus, benedictam... acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Iesu Christi ». — Epiclesis liturgiae s. Chrysostomi seu ecclesiae Constantinopolitanae est haec: « Emitte Spiritum Sanctum tuum super nos et super proposita haec dona et fac panem quidem hunc pretiosum corpus Christi tui et, quod est in calice, pretiosum sanguinem Christi tui, transmutans (μεταβαλών-in aoristo) Spiritu tuo Sancto, ut fiat accipientibus nobis in sobrietatem (νῆψιν) animae, remissionem peccatorum, communicationem Sancti Spiritus ». — Epiclesis s. Marci seu ecclesiae Alexandrinae citata est pag. 268.

Graeci quidam contenderunt etiam in missali Romano epiclesim proprie dictam post consecrationem inveniri eamque esse orationem a sacerdote profunde inclinato recitatam, quae incipit: « Supplices te rogamus, omnipotens Deus, iube haec praeferri », in qua tamen nulla invocatio continetur, ut transsubstantiatio perficiatur.

2. Iuxta explicationem catholicorum epiclesi post consecrationem recitata: *a)* Per modum precum id distinctius *declaratur*, quod per consecrationem iam factum est. Neque solum declaratur transsubstantiationem factam esse, sed etiam imprimis eam esse donum Dei indebitum et auctorem eius principalem esse ipsum atque solum Deum.

Epiclesim magis habere rationem declarationis, licet per modum invocationis fiat, admitti potest, quia non habet, ut imploratio solet habere, rationem medii necessarii. Nam, sive fit sive non fit, sive recitatur ante sive post consecrationem, transsubstantiatio per verba consecrationis infallibiliter perficitur.

b) Deus rogatur, ut id, quod iam factum est, vertat *ad salutem fidelium,* quo sensu orationem illam a se intelligi Graeci in concilio Florentino sunt testati.

Ceterum epiclesis post consecrationem facta quandam similitudinem habet cum oratione in Missa *defunctorum* recitata, in qua Deus rogatur, ut liberet animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni... de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum, quamquam de animabus illis iudicium iam peractum est.

Scholion II. De consecratione ab ipso Christo peracta.

Ut communiter tenetur, etiam Christus *per verba consecrationis* transsubstantiationem perfecit, non sola interna voluntate, ut opinati sunt Innocentius III. aliique pauci, qui censebant verba a Christo prolata « hoc est corpus meum » etc. non fuisse practica, sed mere indicativa. Neque obstat, quod Marc. 14, 23. 24 legitur: *Et biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus.* Nam hoc loco non servatur ordo historiae, id quod in evangeliis passim occurrit.

Conclusio. Quia forma, qua eucharistia conficitur, sunt verba consecrationis, Christus in ea statim post consecrationem praesens est idque tamdiu, quamdiu manent species panis et vini; non vero praesens est in solo usu, ut Lutherani opinantur. Ergo eucharistia est *sacramentum permanens.* Quod aperte docet Trid. sess. 13, can. 4: Si quis dixerit peracta consecratione in admirabili eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, a. s. — Rem ita se habere bene colligi potest ex eo, quod Christus sine ulla restrictione dixit: Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus. Inde enim patet haec verba sine ulla restrictione seu simpliciter et ab eo momento, quo pronuntiata sunt, vera esse, non autem pro momento tantum, quo eucharistia sumatur.

Quia eucharistia est sacramentum permanens, quaestio oritur, in quo consistat materia et forma ipsius, quatenus permanens est seu quatenus consideratur non in fieri, sed in esse. Huic percontationi satis communiter respondetur quod ad materiam, non quod ad formam attinet. Hinc:

THESIS III. **Materia, in qua eucharistia consistit, est corpus et sanguis Christi una cum speciebus.**

Nota. Ab iis, a quibus usus panis et vini in consecratione materia proxima non vocatur, materia, de qua hic agitur, appellatur materia eucharistiae proxima, ita ut ab iis sic dici soleat: Materia eucharistiae remota est panis triticeus et vinum de vite, materia eius proxima est corpus et sanguis Christi una cum speciebus; vel: sunt species, prout continent corpus et sanguinem Christi; vel etiam: est materia remota consecrata.

Probatur: Solum corpus Christi eucharisticum non potest habere rationem materiae; nam per se solum non est signum externum. Item species solae non possunt esse materia, in qua eucharistia consistit; nam per se solae non producunt gratiam. Ergo corpus Christi et species simul sunt materia, in qua eucharistia consistit.

Hoc non obstante *Trid.* sess. 13, can. 1. dicere potuit corpus Christi in sanctissimae eucharistiae sacramento contineri; sc. eo modo, quo pars in toto, v. g. anima in homine contineri dicitur. — Neque obstat, quod in *catechismo Romano* dicitur [1] solas species habere absolutam rationem sacramenti. Nam absoluta ratio sacramenti ibi intelligitur illud sacramenti, quod tantummodo significat quodque a scholasticis vocari solet sacramentum tantum. Corpus enim Christi eucharisticum non est sacramentum tantum, sed est res sacramenti et sacramentum simul: res sacramenti, quia significatur, sc. per species, et productum est, sc. sub speciebus; sacramentum simul, quia significat et producit, sc. gratiam.

QUAESTIO. **In quo consistat forma eucharistiae iam confectae.**

Duae sunt sententiae. Iuxta alteram et eam quidem meliorem forma eucharistiae iam confectae seu consecratae seu in esse spectatae sunt *verba consecrationis, quatenus moraliter in effectu suo permanent,* quamvis physice praeterierint. Ratio est, quia species eucharisticae id, quod continent, non significant, nisi quatenus per verba consecrationis ad illud significandum determinatae sunt.

Iuxta alteram sententiam forma eucharistiae iam consecratae est ipsa eius *significatio,* cuius significationis obiectum est spiritualis seu supernaturalis refectio animae.

---

[1] P. 2. c. 4. q. 8.

ARTICULUS III.

DE MINISTRO EUCHARISTIAE.

THESIS. **Minister eucharistiae conficiendae est solus sacerdos.**

De fide ex Lat. IV: Et hoc utique sacramentum (sc. altaris) nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus (D. 357). — Item ex Trid. sess. 23, can. 2: Si quis dixerit illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique *sacerdotes* offerrent corpus et sanguinem suum, a. s.

Opponitur Montanistis, Albigensibus etc., *maxime novatoribus saec. 16.*

Explicatur: Dicitur: eucharistiae *conficiendae,* quia minister eucharistiae distribuendae praeter sacerdotem, alius esse potest, de quo agere moralistarum est.

Probatur ex Traditione et mente Ecclesiae.

Potestas conficiendi eucharistiam atque offerendi sacrificium missae in Ecclesia semper conferebatur solis sacerdotibus et iis quidem omnibus. Quod testantur 1. multi *ss. Patres,* in his Cyprianus (ep. 4.), Origenes (hom. 4. in Num. n. 3.), Chrysostomus (l. 3. de sacerdotio, n. 4.), Hieronymus (dial ad Lucif. n. 21); 2. *Constit. Apost.,* quae (3, 20) ordinant, ut solus presbyter offerat, diaconus vero ministret episcopo ac presbytero; 3. *Concilia*; in his Nicaenum I., quod can. 18. diaconos prohibet presbyteris synaxim porrigere, cum nec canon nec consuetudo concedat, ut ii, qui potestatem offerendi non habent, iis, qui eandem habent, corpus Domini dent; Arelat. I, c. 13; 4. *omnes ecclesiae,* etiam orientales, id quod nemo negat.

ARTICULUS IV.

DE SUSCEPTIONE EUCHARISTIAE SEU DE COMMUNIONE.

§ I. *De effectibus communionis.*

Eucharistia digne suscepta obtinetur:

I. *Gratia sanctificans per se secunda* una cum incremento donorum annexorum.

Gratia enim sanctificans prima et consequenter remissio peccatorum mortalium per se non est effectus communionis, quod colligitur 1. ex 1. Cor. 11, 27-29: *Itaque quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini;* 2. ex antiqua disciplina poenitentiali; 3. ex Trid. sess. 13, can. 5: Si quis dixerit vel praecipuum fructum sanctissimae eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, a. s.; 4. ex eo, quod eucharistia instituta est ut cibus spiritualis; cibus autem non datur mortuis, sed vivis.

II. *Ius ad gratias actuales* suo tempore dandas, praesertim eas, quae conducunt 1. ad ponendos actus caritatis tam Dei, quam proximi, 2. ad conservandam gratiam sanctificantem.

III. *Remissio peccatorum venialium.*

1. *Quoad culpam,* et quidem non solum mediantibus actibus caritatis, ad quos hominem excitat, seu mediate et ex opere operantis, sed etiam immediate et ex opere operato. Quod quidem, ut patet, quoad ea tantum peccata venialia fit, quae sufficienter sunt retractata, quamvis retractatio non fuerit talis, qualis requiritur ad ea delenda ex opere operantis seu sine sacramento.

2. *Quoad poenam,* plerumque partialem. Quae quidem remissio obtinetur: *a)* Ex opere operato idque una cum remissione culpae, siquidem in hoc ordine providentiae divinae culpa numquam remittitur, quin remittatur saltem aliqua pars poenae. — *b)* Ex opere operantis et id quidem dupliciter: immediate et mediate: immediate eodem modo, quo fit per quaelibet opera meritoria, inter quae digna susceptio eucharistiae certe non infimum locum occupat; mediate per hoc, quod per s. communionem dantur gratiae actuales, quae ad alios actus meritorios excitant, quibus positis iterum pars poenae temporalis remittitur.

IV. *Specialis unio cum Christo,* quae consistit in eo, quod natura hominis, i. e. anima eius et corpus, per praesentiam Christi hominis sanctificatur seu consecratur.

Ob hanc physicam Christi praesentiam aliqui theologi, qui ceteris sacramentis efficaciam tantummodo moralem adscribunt, eucharistiae efficaciam physicam attribuunt.

Virtute huius unionis cum Christo facta:

1. *Concupiscentia,* praecipue concupiscentia carnis, cohibetur vel diminuitur.

2. *Diabolus* compescitur, ne eas tentationes moveat, quibus hominem succubiturum esse Deus praevidet.

3. *Corpori* humano, quod contactu corporis Christi consecratum est, confertur novus titulus gloriosae resurrectionis. Io. 6, 55: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die.* — Trid. sess. 13, cap. 2: « Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae et perpetuae felicitatis ».

Iuvat hic componere varios modos, quibus coniungimur cum Iesu Christo, Salvatore nostro: Gratia sanctificante unimur cum eius natura divina, s. communione copulamur cum natura eius humana, characteribus sacramentalibus referimur ad eius munera.

V. *Non raro spiritualis quaedam hilaritas,* qua homo inclinatur ad ea, quae ad servitium Dei spectant, cum gaudio aggredienda et perficienda.

Itaque communio in ordine spirituali et supernaturali producit eosdem fere effectus, quos *cibus* producit in ordine naturali et materiali. Cibus enim auget seu roborat vires corporis; communio auget gratiam sanctificantem. Cibus vires corporis sustentat; communio sustentat gratiam sanctificantem, dando sc. gratias actuales, quae conducunt ad eam conservandam. Cibus vires corporis reparat, quando sunt debilitatae seu aufert infirmitates corporales; communio aufert infirmitates spirituales i. e. peccata venialia. Cibus naturaliter unitur cum eo, a quo consumptus est; per sacramentum illud supernaturaliter unimur cum eo, quem sumpsimus. Cibus denique delectat hominem animalem, communio hominem spiritualem.

§ II. *De necessitate et modo communionis.*

THESIS I. **Susceptio eucharistiae non est absolute ad salutem necessaria necessitate medii.**

Explicatur: 1. Dicitur: *non absolute,* i. e. non ita, ut sine susceptione eucharistiae vita aeterna nullo modo obtineri possit. Admittenda tamen est necessitas aliqua moralis, in quantum ei, qui voluntarie a susceptione huius sacramenti nimis diu abstinet, valde difficile, imo moraliter impossibile est in statu gratiae perseverare. Ratio est, quia eucharistia instituta est ut medium ordinarium ad eas gratias actuales obtinendas, sine quibus gratia santificans conservari non potest.

2. Si ipsa eucharistiae susceptio non est absolute necessaria ad salutem, nec eius *votum* ita necessarium est. Nam non est necessario optandum id, quod ipsum necessarium non est.

Probatur: I. Ex mente Ecclesiae. 1. Ecclesia semper docuit salvos fieri et *parvulos* baptizatos, qui, antequam eucharistiam susceperint, moriantur, *et adultos*, qui sine propria culpa eucharistiam non susceperint, modo in statu gratiae decedant. Imo Trid. definivit sess. 21, can. 4: Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse eucharistiae communionem, a. s.

2. Secundum veteres canones poenitentiales quibusdam *peccatoribus* etiam moribundis s. communio *denegabatur*, id quod factum non esset, si ipsa habita esset medium ad salutem absolute necessarium.

II. Ratione theologica. Susceptio eucharistiae non est medium necessarium ad gratiam sanctificantem obtinendam, quia ad hoc instituta non est. Neque est medium absolute necessarium ad eam conservandam. Nam nulla gratia actualis ad eam conservandam necessaria assignari potest, quae ita per eucharistiam obtineatur, ut non etiam per alia media, praesertim orationem et alia sacramenta, obtineri possit.

Scholion. Dicta quorandum Patrum, imprimis s. Augustini, quibus absoluta eucharistiae suscipiendae necessitas etiam quoad parvulos affirmari videtur, intelligenda sunt de sacramenti *re*, i. e. unione cum Christo, non de sacramento ipso. Nisi enim ita intelligerentur, Patres illi sibi ipsis aperte contradicerent, quia alibi clare docent baptismum solum infantibus ad salutem sufficere.

THESIS II. **Susceptio eucharistiae necessaria est necessitate praecepti divini.**

Probatur: I. Ex Scriptura. Christus dixit Io. 6, 54: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quae verba, cum non sint intelligenda de necessitate medii, intelligi debent de necessitate praecepti atque eius dati omnibus Christianis, qui eiusdem sunt capaces.

II. Ex mente Ecclesiae. Trid. sess. 13, cap. 2 docet: « Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem hoc sacramentum instituit... et in illius sumptione colere nos sui

memoriam *praecepit*... Sumi autem *voluit* sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum ».

De praecepto ecclesiastico eucharistiam suscipiendi agitur in compendiis theologiae moralis.

THESIS III. **Non sacrificantibus non est necessitas eucharistiam suscipiendi sub utraque specie.**

De fide ex Trid. sess. 21, can. 1: Si quis dixerit ex Dei praecepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi eucharistiae sacramenti sumere debere, a. s.

Opponitur Calixtinis vel Utraquistis et Protestantibus.

Explicatur: 1. Dicitur: *non sacrificantibus*, quia eucharistia, cum sub utraque specie offerenda sit, a sacrificantibus etiam sub utraque specie debet sumi.

2. Dicitur: *non est necessitas* sc. nec ratione sacramenti nec ratione praecepti divini.

Probatur. Communio sub utraque specie:

I. Non est necessaria *necessitate sacramenti*, quia, ut supra (cap. 1, art. 3, thes. I.) probatum est, Christus totus sub utraque specie praesens est, et quia tam sub specie panis quam sub specie vini servatur significatio sacramentalis. Nam s. communio significat refectionem spiritualem. Sed spiritualis fames et sitis omnino idem est. Ergo refectio spiritualis aeque fieri potest per modum cibi ac per modum potus ac per modum utriusque.

II. Non est necessaria *necessitate praecepti* divini. Quod probatur: 1. *Directe ex Traditione et mente Ecclesiae.* Quamquam enim eucharistia sub utraque specie in Ecclesia latina usque ad saec. 12. sumi solebat et apud Graecos adhuc sumi solet, Ecclesia tamen numquam credidit id ex praecepto divino fieri debere. Iam patet ex eo, quod communio inde a primis temporibus non raro suscipiebatur sub una tantum specie. Communio autem sub una specie sumebatur: *a)* Communiter *ab infantibus*, ubi ab illis suscipi solebat, et ab iis quidem sub specie vini, id quod testatur s. Cypr. Adhuc fit apud Graecos. — *b)* Plerumque a primis Christianis, *si domi* eucharistiam sumebant, quod faciebant praecipue temporibus persecutionum, testantibus Tertull., Basil., Ambr., Euseb. — *c)* Non raro *ab infirmis*, id quod testatur Eusebius. — *d)* Interdum ab iis, qui *in ecclesiis* communionem suscipiebant, uti refert s. Leo. —

e) In missis *praesanctificatorum* iam antiquitus et apud Graecos saepius celebratis in quibus una tantum species sumebatur et adhuc sumitur.

Omnes illae communiones praeter communionem infantium, si fiebant sub una specie, sub specie panis fiebant.

2. *Indirecte.* Non obstat *a)* Io. 6, 54: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nam hoc loco sermo non est de modo suscipiendi, sed *de re sumenda,* sc. de carne et sanguine Christi, quae ambo sumuntur sub utravis specie. Cum enim a Christo loco termini generici sumendi respectu carnis suae verbum manducandi sit positum, quod ideo factum esse censeri potest, ut realis sumptio pressius exprimeretur, respectu sanguinis verbum bibendi poni debuit, quamvis intentum non sit significare eundem per modum potus seu sub specie vini sumendum esse. — Praeterea coniunctio copulativa « et » in usu vulgari interdum accipitur pro coniunctione disiunctiva « vel », ut forsitan Exod. 21, 15 secundum textum hebr.: *Qui percusserit patrem et* (Septuag.: ἤ, Vulg.: aut) *matrem, morte moriatur.* Act. 3, 6. — *b)* Matth. 26, 27: *Bibite ex hoc omnes.* Haec enim verba Apostolis dicta sunt, unde legitur Marc. 14, 23: *Et biberunt ex illo omnes.* Neque ullo modo probari potest verba illa ad alios esse extendenda.

Scholion I. Communio *sub sola specie panis* facienda per consuetudinem paulatim introducta ab Ecclesia expresse approbata et pro omnibus non sacrificantibus *praecepta* est (Trid. sess. 21, cap. 2.), et id quidem ex iustis causis, ut definitum est can. 2. eiusdem sessionis his verbis: Si quis dixerit sanctam Ecclesiam catholicam non iustis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, a. s. — Rationes autem, ob quas in Ecclesia catholica a non sacrificantibus communio tantummodo sub specie panis fit, praeter unam dogmaticam omnes sunt practicae. Illa consistit in eo, quod Ecclesia eo modo *testificatur* Christum esse totum sub unaquaque specie. Hae desumuntur partim ex parte communionis, partim ex parte communicantium. Quae petuntur *ex parte communionis,* sunt: penuria vini in aliquibus regionibus inventa et magna difficultas illud comparandi; periculum,

ne vinum consecratum corrumpatur, si diutius pro aegrotis sit servandum; periculum, ne illud effundatur etc. Quae petuntur *ex parte communicantium*, sunt: aversio quorundam a vino bibendo et aversio multorum a bibendo cum aliis ex eodem calice et ex altera parte uniformitas omnium in eucharistia suscipienda; periculum infectionis.

Scholion II. Communio, quae sub utraque specie fit manente eadem dispositione *probabilius non confert maiorem gratiam*, quam communio, quae fit sub una tantum specie. Nam: 1. Sacramenta id causant, quod significant; sed utraque species *idem significat*, quod una, solummodo magis expresse. 2. Iuxta omnes ille, qui eadem communione *duas particulas panis* consecrati suscipit, non plus gratiae acquirit, quam ille, qui unam accipit. 3. Illud tenent *celeberrimi theologi*, in his s. Thomas, Bonaventura, Suarez, Bellarminus.

CAPUT III.

De Eucharistia, ut Est Sacrificium, Seu De Sacrificio Missae.

Paenotanda de sacrificio universe spectato.

I. Sacrificium (= sacrum factum — per excellentiam dictum — θυσία, ἱερουργία) sensu stricto acceptum pertinet ad cultum Dei *externum et publicum*, ad quem praestandum homo aeque obligatus est ac ad cultum internum et privatum. Consistit in eo, quod aliqua res externa per quandam destructionem Deo offertur idque eum in finem, ut per hoc suprema divina excellentia agnoscatur.

II. Ad sacrificium haec quinque pertinent:

1. *Res*, i. e. substantia permanens eaque *externa* seu sensibus subiecta. Itaque non sufficit actio transiens.

2. *Oblatio*, qua res Deo dicatur, atque ea oblatio, quae fit *per destructionem*. Quae quidem destructio duplex esse potest: aut physica aut ea, quae physicae destructioni moraliter i. e. iuxta communem hominum aestimationem aequivalet, quae brevitatis causa moralis vocari solet. Haec tunc habetur, quando res in eo statu constituitur, in quo ad usum naturalem aut nul-

latenus aut minus remanet apta, id quod olim fiebat, quando e. g. vinum effundebatur.

3. *Minister legitimus*, a quo oblatio illa atque destructio facienda est. Is quidem est homo ad sacrificium offerendum speciali ratione deputatus. Ministri legitimi in statu legis naturae erant patresfamilias et filii primogeniti; in statu legis Mosaicae sacerdotes per sacramentum antiquae legis consecrati. Homines ad sacrificia offerenda speciali ratione deputandos esse constat *a)* ex Hebr. 5, 1: *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis;* — *b)* ex eo, quod sacrificium pertinet ad cultum publicum; — *c)* ex communi persuasione populorum.

4. *Auctoritas legitima*, a qua sacrificium institutum et determinatum est. Sacrificium non posse institui et determinari voluntate cuiuspiam hominis privati, sed tantummodo auctoritate legitima patet ex eo, quod pertinet ad cultum publicum. Si enim non voluntate hominis privati, sed sola auctoritate publica effici potest, ut aliquod vocabulum habeat certam significationem publicam vel aliqua moneta habeat certum publicum valorem: nec voluntate privata, sed sola legitima auctoritate constitui potest, ut alicuius rei destructio habeat rationem cultus divini publici.

Inde hoc colligi potest: Si unum vel plura sacrificia auctoritate legitima et praecipue divina, quae omnem aliam auctoritatem supereminet, exclusive instituta sunt, aliae oblationes rationem sacrificii iam non habent, etiamsi per se ad eam habendam sint aptae. Iam vero pro religione Christiana ab ipso eius auctore, Domino Iesu Christo, unum sacrificium exclusive institutum est. Ergo ab Ecclesia nullum aliud sacrificium institui potest. Neque ulla alia oblatio, quamvis perfectissima destructione fiat, rationem sacrificii potest habere.

5. *Finis determinatus*, qui est testificatio excellentiae divinae et nostrae sub illam subiectionis. Quae quidem testificatio est quasi forma seu anima sacrificii, ita ut, si destructio alio animo fiat, eo ipso non habeatur sacrificium. Excellentia autem divina spectari potest absolute et relative. Absolute spectatur si Deus consideratur, ut est in se, si sc. consideratur ut ipsum esse subsistens, coram quo omne esse creatum est quasi nihil. Relative spectatur, si consideratur respectu nostri. Qui

quidem respectus duplex est. Alter consistit in eo, quod Deus a nobis per peccata offensus est, unde eum placare debemus reparando honorem eius laesum. Alter in eo consistit, quod Deus est auctor omnis boni nostri, sive quod iam accepimus, unde pro eo gratias agere debemus, sive quod adhuc exspectamus, unde id a Deo petere debemus.

Summa eorum, quae exposita sunt, comprehendendo sacrificium *definitur:* oblatio rei externae per aliquam destructionem legitime facta ad agnoscendam supremam Dei excellentiam.

III. Sacrificium vocatur: 1. *latreuticum,* quatenus per id Deus agnoscitur ut ipsum esse subsistens et consequenter ut fons omnis esse participati, tam nostri quam ceterarum creaturarum, et supremus omnium Dominus; 2. *propitiatorium,* quatenus Deus peccatis offensus placatur; 3. *eucharisticum,* quatenus Deo gratiae aguntur pro beneficiis, quae nobis praestitit; 4. *impetratorium,* quatenus Deus imploratur, ut beneficia nobis praestet.

IV. Quadruplici illi fini optime respondet *destructio* sacrificii, quod, cum non habeamus ius destruendi nos ipsos, in locum nostrum substituimus. Per destructionem enim illam 1. agnoscimus nostrum et omne creatum esse coram Deo esse quasi nihil et divinam maiestatem dignam esse, in cuius honorem omnia creata consumantur; 2. agnoscimus nos propter peccata a nobis commissa exsistentia esse indignos, dignos interitu; 3. agnoscimus totum nostrum esse et omnia alia bona nostra a Deo esse accepta et ideo in gratiarum actionem Deo esse reddenda; 4. de aliquo bono nostro decedimus illudque Deo quodammodo transmittimus, ut Deus eodem propensus reddatur ad alia bona nobis reddenda.

V. Sacrificium stricte seu proprie dictum a sacrificio *late seu improprie dicto* distingui debet et in s. Scriptura distinguitur.

Nam: 1. Sacrificium late acceptum est omne id, quod cum sacrificio stricte accepto aliquam analogiam habet; speciatim *a)* quaelibet actio, quae fit in gloriam Dei ut laus divina. Ps. 49, 23: *Sacrificium laudis honorificabit me; b)* quodvis opus, quod habet aliquam difficultatem vel includit aliquam privationem, ut opera abnegationis et misericordiae. Eccli. 35, 2:

Sacrificium salutare est attendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate. Et 4: *Qui facit misericordiam, offert sacrificium.*

2. Sacrificium late dictum a sacrificio stricte dicto etiam a s. Scriptura distinguitur. Nam *a)* prius alteri opponitur. 1. Reg. 15, 22: *Et ait Samuel: Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius, ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victimae; et auscultare magis quam offerre adipem arietum.* — Os. 6, 6: *Quia misericordiam volui et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta.* — *b)* Sacrificium improprie acceptum a quolibet homine offerri potest et debet, sacrificium proprie acceptum a solo sacerdote. Hebr. 5, 1. — *c)* A Christo oblata sunt multa sacrificia late dicta, sed unum tantum stricte dictum. Hebr. 10, 14: *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.*

Postquam ea exposita sunt, quae ad quodvis sacrificium spectant, non alienum est, antequam agitur de continuo sacrificio novi testamenti, inserere:

Aliqua de sacrificiis veteris testamenti.

I. Sacrificia veteris testamenti *distinguuntur:*

1. Ratione *status:* sacrificia legis naturae et legis Mosaicae. Haec ab ipso Deo accurate erant determinata; illa divinitus saltem non aeque determinata erant.

2. Ratione *materiae:* victimae vel hostiae, immolationes, libamina. Victimae vel hostiae erant animalia; immolationes et libamina erant inanimata, et immolationes quidem solida, libamina vero liquida. Sub lege Mosaica victimae erant: ex quadrupedibus vaccae ac boves ac vituli, oves atque agni, caprae atque hoedi; ex volucribus columbae, turtures, passeres. Immolationes erant panis, simila, sal, thus; libamina vinum et aqua.

3. Ratione *finis* principalius seu magis explicite (non unice) intenti: sacrificia latreutica, propitiatoria, eucharistica, impetratoria.

4. Ratione *formae* i. e. actionis, qua res immutabatur: holocausta, hostiae pro peccato, hostiae pacificae. Holocausta tota comburebantur eaque erant, si spectatur finis, latreutica. Hostiae pro peccato, quae erant sacrificia propitiatoria, in duas partes dividebantur, quarum altera comburebatur, altera cedebat in usum sacerdotum. Hostiae pacificae dividebantur in tres partes, quarum una comburebatur, altera cedebat in usum sacerdotum, tertia cedebat in usum eorum, qui sacrificium offerendum curaverant. Hostiae pacificae erant eadem sacrificia, quae ratione finis erant eucharistica et impetratoria. — Itaque ara erat mensa Dei. Qui admittebantur ad partem sacrificii manducandam, admittebantur ad mensam Domini, quod esset signo reconciliationis, amicitiae, familiaritatis divinae.

II. In omnibus illis sacrificiis fiebat *destructio,* quae post lapsum generis humani sacrificio est essentialis et ea quidem tanto perfectior, quanto nobilius erat id, quod offerebatur, unde perfectissima fiebat in victimis. Hae enim primum mactabantur, deinde aut totaliter aut partialiter comburebantur, denique sanguis earum ad altare ferebatur. Immolationes varie mutabantur: simila e. g. coquebatur vel urebatur, thus incendebatur. Libamina effundebantur.

III. Omnia sacrificia veteris testamenti erant *typi* sacrificii novi testamenti, Iesu Christi, *qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (1. Tim. 2, 6), et eatenus Deo erant accepta, quatenus hoc sacrificium praefigurabant. Atque id praesertim praefigurabant per hoc, quod, sicut Christus, in locum hominum substituebantur et destruebantur.

ARTICULUS. I.

DE EXSISTENTIA SACRIFICII MISSAE.

THESIS. **Eucharistia est verum ac proprie dictum novae legis sacrificium.**

De fide ex Conc. Trid. sess. 22, can. 1: Si quis dixerit in missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, a. s.

Opponitur Protestantibus.

Probatur: I. Ex Scriptura. Is. 66, 21: *Et assumam ex eis* (gentibus) *in sacerdotes et levitas, dicit Dominus.* — 1. *Gentes* (Gojim) intelliguntur populi omnes praeter Iudaeos, ut in vetere testamento passim, et ii quidem conversi ad verum Deum, de qua conversione versibus praecedentibus actum est.

V. 18: *Venio, ut congregem cum omnibus gentibus et linguis; et venient et videbunt gloriam meam.* 19: *Et ponam in eis signum et mittam ex eis, qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam et Lydiam, tendentes sagittam, in Italiam et Graeciam, ad insulas longe; ad eos qui non audierunt de me et non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus.*

2. *Sacerdotes* (Kohanim) sunt sacerdotes proprie dicti, quod patet *a)* ex ipso nomine; *b)* ex eo, quod aliqui ex gentibus conversis sacerdotes eliguntur, cum ad sacerdotium improprie dictum omnes sint vocati, unde et s. Petrus (1. Petr. 2, 9) omnes Christianos sic alloquitur: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis;* —

c) ex eo, quod sacerdotes distinguuntur a levitis. Si enim sacerdotes loco illo sunt sacerdotes improprie dicti, qui sunt levitae improprie dicti?

Iam vero, ubi est sacerdotium proprie dictum, ibi et est sacrificium proprie dictum, id quod et per se patet, cum sacerdotium et sacrificium sint correlativa, unde tale est sacrificium, quale est sacerdotium, et expresse docetur a s. Paulo Hebr. 5, 1. et 8, 3.

Hebr. 5, 1: *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* — 8, 3: *Omnis enim pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur; unde necesse est et hunc habere aliquid, quod offerat.*

Malach. 1, 10. 11: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus et in omni loco sacrificatur* (muktar = suffitur, id quod intelligi potest aut de thure, quod in cultu liturgico adoletur aut de holocausto, hoc loco, ut patet, quoad valorem spectato) *et offertur* (muggasch) *nomini meo oblatio* (minchah) *munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.*

Oblatio illa: 1. *Non* est sacrificium aliquod *Iudaeorum*, ut apparet ex variis loci citati verbis, quae sunt: *a) Munus non suscipiam de manu vestra;* quo dicto sacrificia Iudaeorum simpliciter repudiantur. — *b) Ab ortu... solis usque ad occasum*, quod idem est ac per totum orbem terrarum, ut patet ex natura rei et ex aliis Scripturae locis, ut Ps. 49, 1; 112, 3. Is. 45, 6; 59, 19, qui quidem orbis a Iudaeis nequaquam incolebatur. — *c) In gentibus* (gojim), quae semper intelliguntur populi, qui non sunt Iudaei. — *d) In omni loco sacrificatur*, cum Iudaeis ex Deut. 12, 5. 6. permissum non fuerit nisi uno loco sacrificia offerre.

2. Neque est sacrificium *gentium* tunc temporis viventium falsosque deos colentium. Nam *a)* 1. Cor. 10, 20 legitur: *Quae immolant gentes, daemoniis immolant et non Deo.* — *b)* Loco illo sermo est de tempore Messianico. Deum enim ab omnibus gentibus coli a prophetis semper exhibetur ut nota distinctiva temporis Messianici, ut colligi potest ex Ps. 21, 28; 71, 10. 11. Is. 11, 9; 49, 6; 60, 9; 66, 19. Am. 9, 12.

3. Neque est sacrificium Christi *in cruce* oblatum; nam hoc non est oblatum in omni loco, sed in uno tantum.

4. Neque est sacrificium late seu *improprie dictum*. Quod patet: *a) Ex verbis* textus: « offertur (muggasch) » et « oblatio (minchah) ». Prius enim verbum ex usu sacro Iudaeorum speciatim designat offerre sacrificium proprie dictum, ut supra ter (vv. 7. et 8.) et infra bis (2, 12; 3, 3); etiam Exod. 32, 6; Lev. 2, 8; Am. 5, 28. multisque aliis locis. — Alterum vocabulum numquam significat sacrificium improprie dictum, sed semper, et quidem circiter centies (in Exod., Lev., Num.), sacrificium proprie dictum atque id una vice excepta (Gen. 4, 4) incruentum et semper fere fertum (Speisopfer). — *b) Ex oppositione* facta inter cultum veterem et novum. Nam Deus non minatur se aboliturum esse orationes internas et privatas aliaque sacrificia improprie dicta nec directe hic increpat totum populum, sed sacerdotes; ergo sermo non est de sacrificio improprie, sed proprie dicto.

Conclusio. Ergo est sacrificium missae; nam hoc offertur ab ortu solis usque ad occasum, inter gentes ad Christum conversas in omni loco (moraliter intelligendo), hoc est sacrificium incruentum (minchah) et essentialiter mundum. Unde Trid. dicit sess. 22, cap. 1: « Haec (eucharistia) quidem illa munda oblatio est... quam Dominus per Malachiam nomini suo... offerendam praedixit ».

Sacrificium missae in vetere testamento non solum verbis praedictum, sed etiam rebus *praefiguratum* est. Praecipua eius figura fuit oblatio Melchisedech, de qua legitur Gen. 14, 18-20: *Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim* (text. hebr.: et ipse erat) *sacerdos* (Kohen) *Dei altissimi, benedixit ei* (Abrahae)... *Et* (Abraham) *dedit ei decimas ex omnibus*. Ps. 109, 4: *Iuravit Dominus et non poenitebit eum: Tu* (qui es Dominus meus, v. 1.) *es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*. Hebr. 5, 5. 6: *Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.*

Iuxta communem interpretationem catholicorum:

1. Melchisedech *sacerdos sacrificium* panis et vini *obtulit*. — *a)* Eum fuisse sacerdotem patet ex vocabulo Kohen, quod saltem, si additur « Dei », tantummodo significat sacerdotem, et ex verbis Psalmistae et s. Pauli. — *b)* Eum sacrificium panis et vini obtulisse constat ex traditione iudaica et christiana, et ex ipso loco magna cum probabilitate colligi potest. Nam incisum: « Et ipse erat sacerdos » a catholicis cum Vulgata aeque bene ad

verba praecedentia « proferens panem et vinum » trahi potest, quam a protestantibus ad verba sequentia « benedixit ei », imo melius. Nam: α) Benedicere in toto vetere testamento nequaquam est solorum sacerdotum, sed etiam parentum, regum, amicorum etc.; — β) Magis probabile est Abraham decimas dedisse pro praestito officio sacerdotum proprio i. e. pro sacrificio oblato, quam pro mera benedictione. γ) S. Paulus (Hebr. 7, 4. sqq.) ex eo, quod Melchisedech ab Abraha decimas accepit, concludit sacerdotium secundum ordinem Melchisedech maius esse sacerdotio levitico; unde verisimile est Melchisedech illa occasione etiam functum esse sacerdotali munere i. e. obtulisse sacrificium. δ) Minus probabile est Melchisedech panem et vinum protulisse solummodo ad reficiendos servos Abrahae; nam hi et ipsi magnam copiam ciborum habebant (Gen. 14, 11.) et illis se iam recreaverant (Gen. 14, 24.); verisimile tamen est sacrificium illud non minus, quam quodvis sacrificium eucharisticum annexum habuisse epulum sacrificale. (Cf. 1. Reg. 9, 13. 1. Paral. 16, 3).

2. Melchisedech sacrificium illud obtulit *ut typus Christi*. Nam Ps. 109, 4 et Hebr. 5, 6 Christus vocatur sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Sed ordo sacerdotii maxime essentialiter pendet ex ratione sacrificii. Iam vero in toto vetere testamento et in Iudaeorum traditione nihil aliud de Melchisedech continetur, nisi quod narratur Gen. 14. Ergo sacrificium panis et vini a Melchisedech iuxta Gen. 14. oblatum haberi debet figura sacrificii a Christo offerendi. Ergo inter utrumque sacrificium debet esse aliqua similitudo, quae quidem non habetur inter sacrificium illud Melchisedech et sacrificium Christi cruentum in cruce oblatum, habetur vero inter sacrificium Melchisedech et sacrificium Christi incruentum in ultima coena institutum.

Luc. 22, 20: Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Quorum verborum sensus est: Sanguis meus, prout in calice est, pro vobis effunditur. Effundi autem hic significatur sacrificari, siquidem actio sacrifica libaminum veteris testamenti consistebat in effusione. Ergo sensus est: sanguis meus, prout in calice est, pro vobis sacrificatur.

Nam 1. Si sanguis Christi solummodo in cruce effusus esset, recte dici non posset *calicem* esse effusum.

2. Non solum a s. Luca, sed etiam a ss. Matthaeo et Marco hic positum est participium temporis *praesentis* (Matth. 26, 28. et Marc. 14, 24: τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον); item a ss. Luca et Paulo (?) in consecratione panis. A nullo autem hagiographo in ulla consecratione positum est tempus futurum. Quod certe non temere ac fortuito evenit, sed consulto factum est. Et id quidem sine dubio factum non esset, si Christus dicere voluisset corpus et sanguinem suum postero tantum tempore in cruce offerendum esse, praesertim cum in lingua graeca inusita-

tum sit participium temporis praesentis ponere pro participio temporis futuri, saltem tunc, si etiam verbum finitum est in forma temporis praesentis.

Nota. Sacrificium in coena oblatum refertur ad sacrificium crucis ut anticipata eius repraesentatio. Hinc per tempus praesens textus graeci directe enuntiatur sacrificium coenae, indirecte sacrificium crucis. Per tempus autem futurum Vulgatae directe significatur sacrificium crucis, indirecte sacrificium coenae. Christus verba consecrationis pronuntiando utrumque sacrificium exprimere intendit.

Hebr. 13, 10: *Habemus altare* (θυσιαστήριον), *de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt* i. e. Iudaei. — Ubi est altare (θυσιαστήριον), ibi est sacrificium (θυσία). Unicum autem altare, de quo Christiani edunt, est eucharisticum. Ergo eucharistia est sacrificium.

Nota. A s. Paulo in ep. ad Hebr. (10, 14.) unum sacrificium cruentum Christi multis sacrificiis veteris testamenti eatenus opponitur, quatenus per illud *satisfactio condigna* pro peccatis praestita est, et docetur praeter sacrificium crucis nullum aliud nequiri, quod ad illud quidquam satisfactionis addat. Item ab eo excluditur sacerdotium, quod in locum sacerdotii Christi *succedat.* Sed nec sacrificium Ecclesiae est tale sacrificium, nec sacerdotium eius tale sacerdotium est.

II. **Ex Traditione**, et quidem ex *liturgiis*, e. g. ex liturgia contenta in constitutionibus Apostolorum supra citata, ex *praxi universali* inde ab Apostolis deducta et ab ecclesiis schismaticis et haereticis, ut Nestoriana et Monophysitica retenta, ex *altaribus* super Martyrum sepulchra constructis atque imaginibus in catacumbis repertis; praesertim vero ex *scriptis ss. Patrum*, in quibus:

1. Exhibetur *sacrificium* et id quidem iis epithetis ornatur, quae nisi de sacrificio Missae intelligi non possint. Vocatur enim sacrificium *plenum et verum* (Cypr.), *incruentum et vivificum et sanctum* (Cyrill. Alex.), *purum* (Iren.), etc.

Doctrina 12 Apostolorum (c. 14.): « Die dominica convenientes frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum *sacrificium* (θυσία) vestrum. Quicunque vero habet discordiam cum proximo suo, ne conveniat vobiscum, donec reconciliati sunt, ne maculetur sacrificium vestrum. Hoc enim est illud dictum a Domino: In omni loco et tempore offeratur mihi sacrificium mundum, quia rex magnus sum, dicit Dominus, et nomen meum mirabile in gentibus ». — *S. Cypr.*[1]: « Nam si

[1] Ep. 63, n. 14.

Iesus Christus, Dominus et Deus noster, ipse est summus sacerdos Dei Patris et sacrificium Patri se ipsum primus obtulit et hoc fieri in sui commemorationem praecepit, utique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur; et sacrificium *verum et plenum* tunc offert in ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse ». — *S. Cyrill. Alex.*[1]: « *Sanctum vivificum et incruentum* sacrificium (θυσίαν) per ecclesias celebramus (τελοῦμεν), non simplicis hominis corpus esse credentes, quod propositum est ». — *S. Irenaeus*[2]: « Ecclesiae oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, *purum* sacrificium reputatum est apud Deum ».

2. Docetur sacrificium offerri *ubique* (Aug.), et *pro omnibus* (Chrys. Cyrill. Hieros.), id quod de eucharistia, ut est sacramentum, intelligi nequit, quippe quod prosit solis suscipientibus.

S. Aug.[3]: « Aperite oculos tandem aliquando et videte ab oriente sole usque ad occidentem, non in uno, sicut vobis fuerat constitutum, sed *in omni loco offerri sacrificium Christianorum,* non cuilibet deo, sed ei, qui ista praedixit, Deo Israel... non secundum Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech ». — *S. Chrysost.*[4]: « Altari assistens sacerdos *pro terrarum orbe,* pro episcopis, pro Ecclesia, pro gubernantibus Ecclesiam iubetur Deo offerre. — *S. Cyrill. Hieros.*[5]: « Ubi vero perfectum est spirituale sacrificium (πνευματικὴ θυσία), incruentus cultus, super illam propitiationis hostiam (ἐπὶ τῆς θυσίας ἐκείνης τοῦ ἱλασμοῦ) obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace... et universim *pro omnibus,* qui opis indigent, oramus et hoc sacrificium offerimus..., deinde pro defunctis... maximum hoc credentes adiumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram iacet victima ».

3. Exhibentur *sacerdotes vel offerentes proprie dicti* (Tertull. Cypr. Chrysost.) et *altaria* (Chrys.), quae supponunt sacrificia proprie dicta.

Tertull.[6]: « Non permittitur mulieri in ecclesia loqui, nec tingere nec *offerre.* — *S. Cypr.* supra sub 1. — *S. Chrys.* supra sub 2. et[7]: « Tu *altare* honoras, quod accipit corpus Christi ».

---

[1] Explicat. anathem. 11.
[2] L. 4, c. 18.
[3] Adv. Iud. 13.
[4] Hom. 7-9.
[5] Catech. mystag. 5.
[6] De vel. virg.
[7] Hom. 20. in 2. Cor.

4. Docetur in Ecclesia illud sacrificium offerri, quod a Melchisedech sit *praefiguratum* (Aug.) et a Malachia *praenuntiatum* (Iustinus).

S. Aug.[1]: « Noverunt, qui legerunt, quid protulerit *Melchisedech*, quando benedixit Abraham; et si iam sunt participes eius, vident *tale sacrificium* nunc offerri Deo toto orbe terrarum ». — *S. Iustinus*[2]: « De sacrificiis a vobis (Iudaeis) quondam oblatis dicit Deus per *Malachiam:* « Non est mihi voluntas etc. *De nostris vero gentium sacrificiis,* quae in omni loco offeruntur, hoc est de pane eucharistiae iam tum locutus (Malachias) praedixit nos quidem glorificare nomen eius ».

5. Asseritur eucharistiae sacrificium esse *praestantius* omnibus sacrificiis *veteris testamenti* (Euseb.) et *distinctum* a sacrificiis *improprie* dictis (Greg. Naz.).

Euseb. Caes.[3]: « Merito corporis ipsius et sanguinis memoriam quotidie celebrantes ac *meliore* quam veteres *sacrificio* et functione sacra dignati nefas iam esse ducimus ad illa prima elementa et imbecilla delabi, symbola videlicet et imagines non ipsam veritatem complexa. — *S. Greg. Naz.*[4]: Cum nossem neminem dignum esse magno et Deo et sacrificio et pontifice, nisi qui *se ipsum* prius Deo *obtulerit* hostiam viventem... quonam pacto sacrificium illud *externum* magnorumque mysteriorum figuram habens offerre ipsi non vererer? Aut quomodo sacerdotis habitum et nomen subirem, antequam sanctis operibus manus consecrassem.

Nota. Chemnitius testatur[5]: « Negari non potest veteres quando loquuntur de celebratione coenae dominicae, usurpare vocabula sacrificii, immolationis, hostiae, victimae; item uti verbis offerre, sacrificare, immolare ».

III. Ratione theologica. Est intima connexio sacrificii et religionis; ergo religionem Christianam sacrificio non carere summopere decet.

Nam: 1. *Ex Scriptura* liquet et religionem atque sacrificia coaeva esse et religione florente aut collabente etiam usum sacrificiorum viguisse aut defecisse.

2. *Gentes*, quae religionem colunt, communiter etiam sacrificia offerunt.

3. *Rationes* praecipuae, ob quas pro hominibus ante adventum Christi viventibus sacrificia instituta sunt, etiam *valent*

---

[1] C. adv. leg. et proph. cap. 20.
[2] Dial. c. Tryph. n. 41.
[3] L. 1. de demonst. evang. c. 8.
[4] Or. 1. apol.
[5] Exam. conc. trid. p. 2.

pro Christianis. Nam et Christiani Deum colere debent cultu externo communi latreutico, tenentur Deo gratias agere et ab eo bona implorare, et licet Christus quoad sufficientiam pretii soluti pro omnibus abunde satisfecerit, tamen haec satisfactio singulis applicetur oportet.

4. Praeter sacrificium nullus *cultus externus* est, quia ita sit *Deo proprius*, ut non etiam creaturis (licet alia intentione) exhiberi possit. Sed non decet perfectissimam religionem carere cultu externo, qui nemini nisi Deo sit exhibendus.

Scholion. Sacrificium Ecclesiae incruentum verisimiliter vocatur missa = missio a dimissione catechumenorum olim facta. Potest quoque significare legationem ad Deum factam.

ARTICULUS II.

DE NATURA SACRIFICII MISSAE.

I. Sicut omnia sacrificia veteris testamenti fuerunt figurae sacrificii crucis futuri, ut testatur s. Paulus Hebr. 9, ita Missa est *repraesentatio* eiusdem *sacrificii crucis* perfecti, ut docet Trid. sess. 22, cap. 1. Quapropter solum sacrificium crucis est sacrificium ex omni parte absolutum; est quoque centrum atque exemplar, ad quod omnia alia sacrificia referuntur. Sacrificium vero missae est sacrificium *relativum*. Repraesentatio illa sacrificii crucis:

1. Missae *essentialiter convenit*, quia a Christo ut sacrificium repraesentativum instituta est, ratio vero sacrificii a positiva institutione Christi pendet.

2. *Habetur separatione duarum specierum.* Haec enim separatio repraesentat separationem corporis et sanguinis Christi clavis cruci affixi, quae mortem ipsi attulit.

II. Missa tamen non est mera repraesentatio sacrificii crucis, seu non solum sacrificium relativum est, sed etiam est, ut communiter tenetur, sacrificium *absolutum*. Ergo etiam in se ipsa habet rationem actionis sacrificalis. Sed in quo haec ratio consistat, controversum est. Ex pluribus sententiis, quae circa hanc quaestionem habentur, hae duae sunt celebriores:

1. Cum in consecratione dicatur super panem: hoc est corpus meum, et super vinum: hic est sanguis meus, verbis

prioribus significatur *solum* corpus seu corpus sine sanguine, alteris *solus* sanguis seu sanguis sine corpore. Verba autem consecrationis id efficiunt, quod pronuntiant. Ergo virtute ipsorum per se spectata sub specie panis ponitur solum corpus et sub specie vini ponitur solus sanguis. Itaque verba consecrationis habent *virtutem* corpus a sanguine et sanguinem a corpore *separandi* eaque re vera separarent, nisi obstaret immortalitas corporis Christi glorificati. Quia igitur virtus corpus et sanguinem Christi separandi verbis consecrationis inest, realis autem separatio illorum iisdem verbis non fit, habetur quidem mactatio seu destructio Christi in actu primo, non tamen habetur mactatio seu destructio in actu secundo seu realis. Sed nec haec ad constituendum sacrificium corporis et sanguinis incruentum, cuiusmodi sacrificium missae est, requiritur, sed potius sufficit mactatio seu destructio illa in actu primo, quae mystica dici solet. Qua quidem mystica mactatione mactatio Christi physica olim in cruce facta Deo offertur.

Haec est sententia *Lessii* aliorumque multorum, inter quos sunt etiam Thomistae, ut Gonet, Gotti, Billuart. Eadem in catechismis quoque aliisque libris usui populi destinatis saepius recepta est.

Tamen multis vera ratio sacrificii hac sententia exhiberi non videtur. Nam, inquiunt, quamvis verbis consecrationis sub specie panis ponatur solum corpus et sub specie vini solus sanguis, tamen illa verba *non postulant*, ut corpus et sanguis ab invicem *separentur*, cum nomine corporis aeque significari possit corpus cum sanguine unitum atque corpus a sanguine separatum et nomine sanguinis perinde significari possit sanguis in corpore ac sanguis extra corpus exsistens. Praeterea si immortalitas corporis Christi glorificati impedit, quominus destructio sit realis, etiam impedit, quominus sacrificium sit verum.

2. Iuxta alteram sententiam ratio actionis sacrificalis missae in hoc consistit: Corpus Christi vivum et glorificatum in coelo accipit sub specie panis *statum extrinsecus vilissimum*, quo redditur ex una parte ineptum ad utendum membris et sensibus humanis, ex altera vero parte aptum ad comedendum. Sic victima vivens extrinsecus reducitur ad statum rerum inanimatarum, constituitur in statu cibi idque eo fine, ut specie consumpta et corrupta sub ea esse desinat. Itaque habetur vera destructio, non quidem physica, sed tamen moralis, quae physicae aequivaleat; habetur destructio, quae maior est, quam

multae aliae, quae tempore legis Mosaicae fiebant et ad verum constituendum sacrificium certe sufficiebant. Ecquid maior erat destructio e. g. in libaminibus, in quibus actio sacrificalis consistebat in eo, quod liquor effundebatur in terra?

Hanc sententiam tenent *de Lugo* aliique multi theologi S. I., in his Wirceburgenses, Franzelin, Hurter, etiam alii, ut Henno.

Praeter has duas sententias celebriores habentur complures sententiae minus celebres, praesertim hae:

1. Actio sacrificalis consistit in eo, quod per consecrationem substantia panis destruitur et sub eius specie corpus Christi *producitur*. Nam absolute necesse non est actionem sacrificalem esse destructionem rei principalis oblatae, quamvis haec sacrificiorum veteris testamenti et sacrificii crucis propria fuerit, sed sufficit quaecunque eius *immutatio* in honorem Dei facta. Ita *Suarez*, a quo non multum dissentire videtur Scheeben.

2. Actio sacrificalis consistit in eo, quod Christus, postquam statim post consecrationem aliquos actus vitae sensitivae supernaturaliter exercuit, *ab iis libere desistit*. (In commixtione specierum panis et vini ut imagine resurrectionis actus illos iterum assumit). Ita *Cienfuegos* (S. I. Card. Hisp. † 1739.

3. In actione sacrificali sacrificii Christi maxime essentialis est *interna* eius *voluntas* se pro nobis immolandi. Quam quidem voluntatem Christus non solum semel in cruce habuit, sed semper retinet; in coelo Patri per sacra sua vulnera repraesentat, in terra vero *manifestat per mysticam separationem corporis et sanguinis sui*, quae fit mediante distincta consecratione. Ita *Thalhofer*.

Nota. Ex quinque illis sententiis aliquae saltem bene possunt coniungi.

III. Ex iis, quae dicta sunt, haec tria colliguntur:

1. *Sacerdos principalis* est ipse Christus. Homo non est nisi sacerdos ministerialis. Id aperte docetur a Tridentino sess. 22, cap. 2. dicente: « Una enim eademque est hostia, *idem nunc offerens* sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa ».

2. *Essentia sacrificii* missae consistit:

a) In consecratione, quod non solum patet ex iis omnibus, quae de actione sacrificali dicta sunt, sed etiam ex eo, quod Christus est sacerdos principalis. Ex hoc enim concludendum est essentiam sacrificii missae in ea actione consistere, quae a sacerdote ministeriali peragatur nomine et vice Christi; sed ea actio est consecratio, in qua sacerdos verbis ipsius Christi utendo dicit: hoc est corpus meum.

b) In consecratione *utriusque speciei*, qua repraesentatur separatio corporis et sanguinis Christi in morte ipsius facta.

c) In consecratione *sola;* non in communione. Nam susceptio eucharistiae a sacerdote non fit vice Christi nec vi potestatis ordinis sacerdotalis, quo solo potestas sacrificandi innititur. Attamen communio est pars sacrificii *integralis*, seu pertinet ad sacrificii complementum. Nam Christus eo ipso, quod ponitur sub speciebus panis et vini, ibi ponitur per modum cibi et potus, qui ad id destinati sunt, ut sumantur. Per sumptionem illam sacerdos victimae fit particeps.

3. Sacrificium missae sub alio respectu *cum sacrificio crucis* unum idemque est, sub alio respectu ab eo est diversum:

a) Unum idemque est, quatenus utriusque sacrificii una eademque hostia est et unus idemque principaliter offerens.

b) Diversum est praecipue in ratione seu modo offerendi et in effectu, qui in sacrificio crucis erat satisfactio et meritum, in missa est applicatio utriusque.

Cum igitur actio, qua Christus in sacrificio missae offertur, diversa sit ab actione, qua Christus oblatus est in cruce, et cum formalis diversitas sacrificii desumatur potissimum ex actione sacrificali, a plerisque sacrificium crucis et sacrificium missae habentur specifice diversa simpliciter, unum idemque tantummodo secundum quid. Absque dubio autem tam sacrificium missae et sacrificium crucis, quam singulae missae numerice simpliciter sunt distincta. Nam numerica distinctio certe desumitur ex multiplicatione actionis sacrificalis.

ARTICULUS III.

DE EFFICACIA SACRIFICII MISSAE.

THESIS. **Sacrificium missae non solum latreuticum et eucharisticum, sed etiam propitiatorium et impetratorium est.**

De fide ex Trid. sess. 22, can. 3: Si quis dixerit missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et de-

functis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, a. s.

Explicatur: 1. Sacrificium missae *propitiatorium* est hoc duplici modo: *a)* Eodem *Deus placatur*. Quod sic intelligi debet: Per peccata nostra ira Dei iusta provocatur ad nos puniendos et eius benignitas quasi in vinculis constricta detinetur, et prohibetur, quominus nobis concedat bona, praesertim gratias supernaturales saltem uberiores, imprimis gratiam efficacem conversionis. Sacrificio autem missae iusta Dei ira a puniendo nos retinetur, et vincula, in quibus eius benignitas quodammodo constricta detinetur, solvuntur, ita ut haec iterum prona reddatur ad concedendum nobis illa bona. Sacrificium igitur missae, in quantum propitiatorium est, indirecte confert ad obtinenda bona, praesertim supernaturalia, quatenus directe aufert obicem indignationis, qui obstabat, ne concederentur. — *b)* Eodem etiam *deletur poena temporalis* post peccatum condonatum residua vel eius pars, non vero immediate culpa sive gravis sive levis, nec poena aeterna. Sub hoc respectu vocatur *satisfactorium*. Propter hanc efficaciam etiam pro fidelibus defunctis offerri potest.

2. Sacrificium missae est *impetratorium* in hunc modum: In eo Christus qua homo merita sua Patri exhibet in eum finem, ut hominibus bona conferat tam naturalia, quam praecipue supernaturalia, etiam ut huic vel illi homini elargiatur haec vel illa bona, sive naturalia sive supernaturalia.

Probatur: I. Ex Scriptura. Luc. 22, 19 Christus eucharistiam instituens diserte dicit: *Hoc est corpus meum, quod* pro vobis datur; et Matth. 26, 28: *Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui* pro multis effundetur (ἐκχυνόμενον) in remissionem peccatorum.

Hebr. 5, 1: *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia* pro peccatis.

2. Reg. 24, 25: *Et aedificavit ibi David altare Domino et obtulit holocausta et pacifica. Et propitiatus est Dominus terrae, et cohibita est plaga* (pestilentia, v. 15.) *ab Israel.* Quodsi sacrificiis veteris testamenti bona impetrari poterant, a fortiori haec impetrari possunt sacrificio missae.

II. Ex Traditione. 1. *Quoad valorem propitiatorium. Origenes* comparans panes propositionis cum sacrificio eucha-

ristico dicit[1]: « Parva satis et tenuis est huiuscemodi intercessio... Si redeas ad illum panem, qui de coelo descendit et dat huic mundo vitam, illum panem propositionis, quem proposuit Deus *propitiationem* per fidem in sanguine eius, et si respicias ad illam commemorationem, de qua dicit Dominus: hoc facite in meam commemorationem, invenies, quod ista est commemoratio sola, quae *propitium facit hominibus Deum* ». — In *liturgia coptica s. Cyrilli Alex.* orat sacerdos: « Offeramus tibi hoc sacrificium sanctum, rationale, spirituale et incruentum *ad remissionem delictorum nostrorum* et veniam ignorantiarum populi tui ». — *Graeci schismatici* in conc. Hieros. a. 1672. habito dicunt cap. 17: « Item (credimus eucharistiam) verum ac *propitiatorium* esse sacrificium, quod *pro fidelibus omnibus tum vivis tum defunctis* necnon et pro utilitate omnium offertur, uti et in huiusce sacramenti precibus (liturgiis) exprimitur, quas pro ea, quam a Domino receperant, disponendi potestate *apostoli ecclesiae tradidere* ».

2. *Quoad valorem impetratorium. Tertull.*[2]: « *Sacrificamus pro salute imperatoris* ». — Cyrill. Hieros.[3]: « Super illam propitiationis hostiam obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, pro militibus et sociis;... et universim *pro omnibus*, qui opis indigent, precamur nos omnes et *hanc victimam offerimus*. — Idem apparet ex liturgiis et verbis conc. Graecorum Hieros. sub 1. citati: (eucharisticum sacrificium) *pro utilitate omnium offertur*.

III. **Ratione theologica.** Sacrificium missae successit in locum omnium sacrificiorum veteris testamenti; sed in vetere testamento erant non solum sacrificia latreutica et eucharistica, sed etiam propitiatoria et impetratoria, quod constat ex Lev. 4. sqq.

Scholion I. Efficacia missae ex parte Christi est ex opere operato; ex parte Ecclesiae quasi ex opere operato, quemadmodum efficacia sacramentalium; ex parte hominis sacerdotis est ex opere operantis. Sed quamvis ex parte Christi sit ex

---

[1] In Levit. h. 13, n. 3.
[2] Ad Scapulam, 2.
[3] Cat. 23, n. 8.

opere operato, tamen respectu singulorum hominum ac beneficiorum *non est absolute infallibilis*, sive quoad propitiationem sive quoad impetrationem. Nam efficaciae infallibili varia *impedimenta* obstare possunt et ea quidem 1. *ex parte obiecti* petiti, quod potest esse vel nocivum vel alioquin beneplacito divino adversans; 2. *ex parte hominis*, qui *a)* criminibus tam gravibus obnoxius esse potest, ut ad placandum Deum una alterave missa non sufficiat; — *b)* gratiis virtute sacrificii missae obtentis potest resistere. Deus enim omnibus hominibus sub quavis conditione et non obstante quantacunque perversa voluntate gratias efficaces conferre non vult.

Scholion II. Sacrificium missae etiam *in honorem Sanctorum* offerri potest. Definitum est a Tridentino sess. 22, can. 5. dicente: Si quis dixerit imposturam esse missas celebrare in honorem Sanctorum et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, a. s. — Sacrificium missae, quod soli Deo offerri potest, in honorem Sanctorum offerri haec duo significat: 1. Per illud, quatenus *eucharisticum* est, Deo gratiae aguntur pro donis gratiae et gloriae, quae Sanctis ab ipso sunt collata. 2. Per illud, quatenus *impetratorium* est, Deus rogatur, ut intercessionem Sanctorum exaudiat ac propter eam maiorem sacrificii fructum nobis communicet et ut qua causa prima omnium Sanctos ad orandum pro nobis moveat et etiam, ut cultum eorum promoveat. — Non offertur in honorem Sanctorum, quatenus est latreuticum et propitiatorium.

De ceteris omnibus ad efficaciam missae spectantibus agitur in compendiis theologiae moralis.

PARS QUINTA.

DE POENITENTIA.

Praenotanda de notione et nominibus poenitentiae.

I. Sacramentum poenitentiae *definitur:* sacramentum novae legis, quo per sententiam iudicialem sacerdotis homini contrito et confesso et ad satisfaciendum parato peccata post baptismum commissa remittuntur.

II. Hoc sacramentum *appellatur:*

1. *Ratione materiae proximae:* confessio (ἐξομολόγησις).

2. *Ratione effectus:* reconciliatio.

3. *Ratione relationis ad baptima:* secunda post naufragium tabula et laboriosum baptisma.

CAPUT I.

De Exsistentia Sacramenti Poenitentiae.

PROPOSITIO GENERALIS. **Christus sacramentum poenitentiae instituit.**

De fide ex Trid. sess. 14, can. 1: Si quis dixerit in catholica Ecclesia poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum, a. s.

Opponitur novatoribus saec. 16.

Docetur Io. 20, 21-23: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται αὐτοῖς· ἄν τινων κρατῆτε, κεκράτηνται.

Accuratius determinatur et probatur thesibus specialibus.

THESIS I. **Ecclesiae a Christo data est potestas peccata vere remittendi.**

De fide ex Trid. sess. 14, can. 3: Si quis dixerit verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento poenitentiae, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem contra institutionem huius sacramenti ad auctoritatem praedicandi evangelium, a. s.

Probatur: I. Ex Scriptura. Verbis evangelii in propositione citatis:

1. Christus potestatem dedit peccata vere *remittendi.* Patet ex eo, quod:

a) Remittere peccata secundum naturalem significationem verborum et usum Scripturae est aliquem *a peccato* ita *liberare,* ut eodem coram Deo non amplius gravetur.

Cf. Matth. 6, 12: *Et dimitte* (ἄφες) *nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* — 14: Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet (ἀφήσει) et vobis Pater vester coelestis delicta vestra. — Marc. 11, 26: *Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in coelis est, dimittet* (ἀφήσει) *vobis peccata vestra.* — Matth. 9, 2: *Et videns Iesus fidem illorum dixit paralytico: Confide fili, remittuntur* (ἀφέωνται) *tibi peccata tua.*

b) Remittere peccata hoc loco *non* potest esse idem ac *declarare* peccata esse remissa, ut adversarii volunt. Nam verba illa neque usu vulgari neque ullo Scripturae loco significant declarare peccata remissa esse; ergo neque hoc loco; idque eo minus, quod additur: *remittuntur eis,* sc. a Deo. Nam: α) Admitti nequit eandem vocem uno spiritu bis pronuntiatam modo hanc, modo illam significationem habere; modo significare declarare peccata esse remissa, modo eadem peccata remittere. — β) Peccatorum remissio saltem natura prior sit necesse est, quam declaratio eandem factam esse. Absona atque inepta est sententia: Quorum peccata remissa esse declaraveritis, iis remittuntur. — γ) Neque repugnat potestatem illam peccata remittendi hominibus communicari. Nam eadem potestas in hominibus nec principalis nec naturalis est, sed est ministerialis seu instrumentalis et supernaturalis. Deus autem, cui potestate naturali et auctoritate propria competit peccata remittere, potestatem eadem

remittendi ministerialem seu instrumentalem creaturis supernaturaliter conferre potest.

2. Christus potestatem peccata remittendi dedit *Ecclesiae*, i. e. eam non dedit discipulis suis qua personis privatis ideoque his mortuis exstinguendam, sed eam dedit in Ecclesia sua permansuram. Nam: *a)* Quilibet societatis fundator, qui in ea instituit auctoritatem eique dat aliquam potestatem, intendit, ut haec permaneat. — *b)* Etiam aliae potestates Apostolis datae, in his potestas baptizandi et praedicandi, adversariis concedentibus in Ecclesia ex voluntate Christi semper manent. — *c)* Finis, propter quem potestas illa data est, semper obtineri potest. Nam in Ecclesia semper sunt peccatores, qui remissione peccatorum indigeant.

II. **Ex Traditione.** 1. *Ex ss. Patribus*, qui hanc potestatem Ecclesiae disertis verbis vindicant. Sic *s. Ambros.* scribit [1]: « Cum ipse in evangelio suo dixerit Dominus Iesus: Accipite etc., Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum et alliget et *relaxet* ». *S. August.* interrogat [2]: « Aut non sunt istae in Ecclesia claves, ubi peccata quotidie *dimittuntur* »?

Quodsi s. Augustinus et aliqui alii Patres verba Io. 20, 21-23 etiam referunt ad praedicationem evangelii etc., sensum eorum obvium et catholicum non negant.

2. *Ex controversia* saec. 2. et 3. habita *cum Montanistis et Novatianis*, qui per hoc, quod ambitum potestatis ecclesiasticae peccata remittendi nimis restrinxerunt, exsistentiam eiusdem sunt confessi.

Nota. Potestas Ecclesiae per sacramentum poenitentiae peccata remittendi vocari solet *potestas clavium*, idque merito. Nam 1. per eam coelum peccato clausum aperitur; 2. metaphora illa adhibita est ab ipso Christo (Matth. 16, 19.) et a s. Ioanne (Apoc. 1, 18; 3, 7.) et usu Ecclesiae recepta est (Trid. sess. 14, cap. 5.). — Attamen non solum haec potestas vocatur potestas clavium, sed eodem nomine etiam insignitur potestas per indulgentias remittendi poenam temporalem pro peccatis iam remissis adhuc debitam, imo quaelibet potestas a Christo Ecclesiae collata.

THESIS II. **Potestas illa ad omnia peccata extenditur.**

De fide, ut patet ex ordinario magisterio Ecclesiae et ex eo, quod haec pro haereticis habuerit Montanistas illud negantes.

---

[1] De poenit. l. 1, c. 2, n. 6.

[2] Serm. 149. al. 24. de divers. n. 7.

Probatur I. Ex Scriptura. Verbis Io. 20. supra citatis a Christo nulla limitatio facta est sive quoad personas sive quoad peccata, sive quoad horum genus sive quoad eorum numerum; econtra nomen peccatorum ponitur cum articulo (τὰς ἁμαρτίας).

II. Ex Traditione. 1. *Ex ss. Patribus. S. Ambros* [1]: « Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus et relaxandi licentiam sacerdotibus suis *sine ulla exceptione* concessit ». — *S. August.* [2]: « Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei *omnia* posse peccata dimittere ».

2. *Ex praxi Ecclesiae,* quae semper ad poenitentiam vocavit peccatores omnes, Montanistarum ac Novatianorum doctrinam reiecit, poenitentias quibuslibet peccatis constituit.

Nota. Ad solvendas varias obiectiones haec notantur:

1. *Quoad dicta s. Scripturae.* Matth. 12, 31. 32 *Spiritus blasphemia,* quae non remittetur, est positiva impoenitentia, qua quis gratiam sibi oblatam ex malitia respuit. — Hebr. 6, 4-6. *Impossibilitas renovationis ad poenitentiam,* quae praedicatur de iis, qui tot ac tantis gratiis abusi sunt, non est absoluta, sed moralis, ad quam superandam gratia omnino extraordinaria requiritur, quae non est exspectanda. Ab aliis, praesertim veteribus, intelligitur renovatio per baptismum, quae perfectior est, quam renovatio per sacramentum poenitentiae, quaeque baptizato absolute est impossibilis. — Hebr. 10, 26, 27. Voluntarie *peccantes post acceptam notitiam veritatis,* quibus iam non relinquitur hostia pro peccatis, sunt ii, qui a religione Christiana ad Iudaismum defecerunt. His enim, cum sacrificia veteris legis sint abrogata et sacrificium novae legis ab ipsis sit reiectum, iam nullum est sacrificium ad Deum placandum. — 1. Io, 5, 16. *Peccatum ad mortem* fratris, pro quo ut oretur non praecipitur, est apostasia a vera religione, ob quam ille est excommunicatus et participatione orationum publicarum privatus.

Etiam aliquot dicta *ss. Patrum* in eundem vel similem modum explicanda sunt. Quaedam esse possunt exaggerationes rhetoricae.

2. *Quoad praxim antiquam.* Distinguendum est inter poenitentiam publicam et privatam; inter reconciliationem perfectam, qua omnia iura ac bona ecclesiastica restituebantur, et imperfectam, quae sola absolutione constabat denegata perfecta communione cum Ecclesia. Concedi potest ac debet poenitentiam publicam semel tantum permissam et proinde reconciliationem perfectam solummodo semel exhibitam fuisse. Praeterea est distinguendum inter Ecclesiam universalem et ecclesias particulares et concedendum in aliquibus ecclesiis particularibus quibusdam peccatis veniam absolute

---

[1] De poenit. l. 1, c. 3, n. 10.

[2] De agon. Christ. c. 31.

fuisse negatam. Sed concedendum non est Ecclesiam universalem ullis poenitentibus sacramentum poenitentiae denegasse.

3. *Quoad libros poenitentiales.* Nullus ex his libris est, qui ab universa Ecclesia agnitus aut a Romano pontifice praescriptus sit. Nulla igitur in iis inest auctoritas definiendi quidquam circa fidem vel mores. In nonnullis ex iis continentur erronea.

THESIS III. **Potestas illa est potestas iudicialis et a potestate baptizandi distincta.**

De fide ex Trid. sess. 14, can. 9: Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem..., a. s. — Et can. 2: Si quis sacramenta confundens ipsum baptismum poenitentiae sacramentum esse dixerit, quasi haec duo sacramenta distincta non sint..., a. s.

Probatur: I. Ex Scriptura. Loco supra citato dicitur: Quorum remiseritis..., quorum retinueritis... Itaque peccata aliorum remittenda, aliorum retinenda sunt; ergo de iis iudicium ferendum est; ergo potestas peccata remittendi illic Ecclesiae data *actu iudiciali est exercenda* seu est potestas iudicialis. Proinde *distincta est a potestate baptizandi,* cum haec non sit potestas iudicialis nec stricte loquendo potestas peccata retinendi. Deinde potestas peccata remittendi indefinite extenditur, cum a Christo dictum sit: *quorum* (ἄν τινων) et *peccata* (τὰς ἁμαρτίας); sed potestas baptizandi exercetur solum quoad aliquos, sc. non baptizatos idque tantummodo semel. Denique potestas et mandatum baptizandi alias sunt data.

II. Ex Traditione. S. Hieron. [1]: « Apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt... claves regni coelorum habentes quodammodo ante iudicii diem *iudicant* ». — S. Gregor. M. [2]: « Apostoli principatum superni *iudicii* sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent... Ecce qui districtum Dei iudicium metuunt, animarum *iudices* fiunt ».

THESIS IV. **Potestas illa data est solis Apostolis eorumque successoribus.**

De fide ex Trid. sess. 23, cap. 1: Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam... peccata dimittendi

---

[1] Ep. 14. ad Heliod. n. 8.

[2] Hom. in ev. 26.

et retinendi sacrae litterae ostendunt et catholicae Ecclesiae traditio semper docuit.

Probatur: I. Ex Scriptura et ratione theologica. Ii, quibus potestas remittendi peccata a Christo est collata, vocantur Io. 20, 19 discipuli (οἱ μαθηταί). Iam vero in novo testamento discipuli intelliguntur non solum Apostoli, sed etiam alii Christi sectatores, imo in Actibus Apostolorum omnes Christiani. Insuper, quando Christus verba illa pronuntiavit, non solum Apostoli, sed etiam alii adfuerunt, ut colligitur ex Luc. 24, 33. Nihilominus concludendum est potestatem illam a Christo non omnibus fidelibus collatam esse, sed solis Apostolis eorumque successoribus.

1. *Non* est collata *omnibus fidelibus*. Nam nulla est societas bene constituta, in qua potestas iudicialis omnibus eius membris competat.

2. Collata est *solis Apostolis*. Nam potestas quoque docendi ac baptizandi et eucharistiam conficiendi testante Scriptura iis solis collata est.

Matth. 28, 16-19: Undecim *autem discipuli abierunt in Galilaeam... Iesus locutus est eis dicens... docete omnes gentes baptizantes eos* etc. — Luc. 22, 14. 19: *Discubuit, et* duodecim Apostoli *cum eo... Et accepto pane... dedit eis dicens... hoc facite in meam commemorationem.*

3. Collata est una cum Apostolis etiam *eorum successoribus*. Nam *a)* etiam aliae potestates Apostolis collatae ad eorum successores transeunt; *b)* finis, propter quem potestas illa data est, semper obtineri potest, cum semper sint peccatores, qui remissione indigeant.

II. Ex Traditione. Testes sunt praeter alios ss. Hieron. et Greg. M. in thesi III. citati, quorum prior potestatem illam tribuit illis, qui Apostolico gradui succedunt, alter Apostolis.

THESIS V. **Potestas illa est sacramentalis seu exercetur administrando sacramentum.**

De fide ex Trid. sess. 14, can. 1. citato in prop. gen.

Probatur: I. Ex Scriptura et ratione theologica. In potestate illa peccata remittendi exercenda omnia praesto sunt, quae ad constituendum sacramentum requiruntur, scilicet: 1. *Signum externum*. Nam ut poenitens sciat peccata sua remitti, remissio exterius danda est, et ut homo, qui nomine

Christi peccata remittere seu ab iis absolvere potest, sciat, utrum remittendum an retinendum sit, a poenitente status ipsius aliquo modo est manifestandus. 2. *Collatio gratiae.* Nam in praesenti ordine peccata non remittuntur sine infusione gratiae. 3. *Institutio Christi* in perpetuum valitura. Quae quidem verbis Christi in prop. gen. citatis exprimitur.

II. Ex Traditione et praescriptione. Quae pag. 174-176. de septem sacramentis generatim dicta sunt, et speciatim valent de sacramento poenitentiae.

Scholion. Sacramentum poenitentiae: 1. *Praefiguratum* est *a)* lustrationibus et expiationibus legis Mosaicae, quibus immunditiae legales auferebantur; — *b)* iudicio sacerdotum de lepra ferendo (Levit. 14.). 2. *Promissum et praeordinatum* est, cum Christus dixit discipulis Matth. 18, 18: *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Nam haec verba iuxta Trid. sess. 14, can. 10. de sacramento poenitentiae intelligi debent, licet non unice; et ita quidem optimo iure intelligi possunt. Nam iisdem certe significatur potestas legifera et iudiciaria et ea quidem amplissima (ut patet ex vocabulo « quaecunque »), ratione habita indolis et finis Ecclesiae, potestati tamen s. Petro antea (Matth. 16, 19) speciatim datae subordinata. 3. *Institutum* vel potius, ut Trid. dicit sess. 14, cap. 1. praecipue institutum est, cum Christus post resurrectionem in discipulos suos insufflavit et dixit: *Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis* etc. Io. 20, 22. 23.

CAPUT II.

De Materia et Forma Poenitentiae.

Sacramenti poenitentiae proprium est non habere materiam remotam ex qua. Quae quidem in eo haberi nequit, quia hoc consistit in sola actione, actio autem non est aliquid, quod, ut res proprie dicta, v. g. aqua et chrisma, indigeat speciali applicatione. Actio vero illa versatur circa peccata post baptismum commissa; ergo haec sunt materia remota circa quam.

THESIS I. **Materia proxima poenitentiae est confessio dolorosa.**

Est sententia ~~nunc~~ *fere communis.*

Explicatur: Confessio dolorosa brevitatis causa in thesi dicta est loco plurium actuum poenitentis, qui in illam quodammodo sunt contracti. Et ii quidèm actus sunt *contritio et confessio et satisfactio* i. e. voluntas accipiendi ac praestandi satisfactionem a confessario debite impositam. Contritio vero et voluntas satisfaciendi eatenus sunt sacramenti materia, *quatenus extrinsecus manifestantur*, id quod sufficienter fit per confessionem, quae naturaliter est aliquid externum. Itaque actus illi poenitentis una cum absolutione confessarii, quae est forma sacramenti poenitentiae, sunt signum externum internae gratiae ac remissionis peccatorum.

Probatur: I. Ratione theologica. Sacramentum poenitentiae a Christo institutum est ad modum iudicii. Sed in quolibet iudicio sententia iudicis optimo iure considerari potest ut forma, et accusatio ac testificatio ut materia, quae iudicis sententia informatur. Ergo eodem iure in sacramento poenitentiae absolutio confessarii ut forma considerari potest, et accusatio dolorosa poenitentis ut materia.

Nota. Iudicium sacramentale ex natura rei id peculiare habet, quod ipse poenitens est et accusator et testis.

Confirmatur. A concilio Florentino in decreto pro Armenis edito (D. 594) et a Tridentino sess. 14, cap. 3. (D. 776) et a theologis absolutio vocatur forma poenitentiae; ergo a pari confessio dolorosa vocanda est materia.

II. Ex Tridentino. 1. *Directe.* Trident. sess. 14, cap. 3. haec habet: « Docet praeterea sancta Synodus sacramenti poenitentiae formam, in qua *praecipue* ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo etc. ». Sed si sacramenti vis praecipue tantum in absolutione sita est, *etiam* in aliqua alia re sita sit oportet. Atqui haec res nihil aliud esse potest nisi dolorosa confessio. Sed id, in quo vis sacramenti sita est, necessario aut est forma aut est materia. Iam vero dolorosa confessio non est forma, cum forma sit absolutio; ergo est materia.

2. Indirecte. Non obstat, quod a Trid. sess. 14, cap. 3. *a)* actus poenitentis vocantur *quasi* materia. Id enim ideo fa-

ctum esse censeri potest, quod actus illi non sunt res substantialis, ut aqua et chrisma, eiusque applicatio; — *b)* docetur eosdem actus requiri ad sacramenti *integritatem*. Nam etiam recte dici potest corpus e. g. pertinere ad integritatem hominis, quamvis sit pars hominis eaque essentialis. Nec verba illa favent iis, qui censent actus poenitentis habere tantum rationem dispositionis. Nam quis unquam dixit vel audivit dispositionem requisitam ad alia sex sacramenta digne suscipienda pertinere ad illorum sacramentorum integritatem?

Scholion. Quamquam materia huius sacramenti a poenitente exhibetur et forma tantum a confessario, nihilominus solus confessarius est et vocatur sacramenti *minister*. Nam minister sacramenti ille solus est et vocatur, qui aut materiam et formam simul ponit, aut formam materiae applicat.

THESIS II. **Confessio sacramentalis a Christo instituta est.**

De fide ex Trid. sess. 14, can. 6: Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse iure divino, aut dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi et inventum esse humanum, a. s.

Opponitur Protestantibus.

Probatur I. Ex Scriptura et ratione theologica. Ex verbis Christi Io. 20, 23. sic concludere fas est: Sacramentum poenitentiae a Christo institutum est per modum iudicii, ut probatum est, et ad emendationem eius, qui illud suscipit, ut per se patet. Ergo in eo:

1. *Sententia iusta est dicenda.* Sed ut haec dici possit, requiritur: *a) Cognitio causae* i. e. peccatorum. Sufficiens autem cognitio peccatorum sine confessione ipsius poenitentis haberi nequit idque eo minus, quod in hoc tribunali agitur potissimum de actu interno voluntatis, qui solus ratione sui peccatum est. — *b) Cognitio dispositionis debitae*, quae includit quoque propositum vitandi occasiones proximas, faciendae restitutionis etc. Haec vero dispositio sine aliqua confessione regulariter satis cognosci nequit.

2. *Reo poena seu satisfactio imponi debet.* Atqui haec, ut iudicium sit iustum, secundum magnitudinem ac multitudi-

nem peccatorum dimetienda est. Ergo peccata confessione aperiantur oportet.

3. *Animae morbis medicina applicanda est.* Sed, ut singulis morbis sua medicina applicari possit, ipsi morbi medico noti esse debent. Morbi autem animae sine confessione sufficienter noti esse non possunt.

II. Ex Traditione. 1. *Ex ss. Patribus. Origenes* [1]: « Est adhuc et dura et laboriosa per poenitentiam remissio peccatorum, cum... peccator... non erubescit sacerdoti Domini *indicare peccatum* et quaerere medicinam ». — *S. Cypr.* [2]: « *Confiteantur singuli... delictum suum,* dum adhuc, qui deliquit, in saeculo est, dum admitti *confessio* eius potest, dum satisfactio et remissio (facta) per sacerdotes apud Dominum grata est ». — *S. Basilius* [3]: « Necesse est iis *peccata confiteri,* quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei ». — *S. Hieron.* comparat sacerdotes novae legis cum sacerdotibus veteris legis, qui debebant discernere inter lepram et lepram et dicit [4]: « Sic et hic in novo testamento alligat vel solvit episcopus et presbyter (non eos, qui insontes vel noxii, sed pro officio suo, *cum peccatorum audierit varietates,* scit, qui ligandus, qui solvendus ». — *S. Leo M.* [5]: « Ne de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publice recitetur, cum *reatus conscientiarum sufficit solis sacerdotibus indicari* confessione secreta ».

2. *Ex canonibus poenitentialibus antiquis.* In iis enim continentur variae poenitentiae pro variis peccatis imponendae. Ergo iisdem supponitur peccata confessione manifestari.

3. *Ex conciliis antiquis,* quae confessionem praescribunt, imprimis Laodiceno (a. 372.), Carthag. (a. 397.), Remensi (saec. 7.), Germanico I. (saec. 8.).

4. *Ex consensu Ecclesiae latinae cum graeca et sectis orientalibus,* unde apparet confessionem saec. 5., quo hae sectae ortae sunt, in Ecclesia iam viguisse.

5. *Argumento praescriptionis.* Si Ecclesia cursu temporis conata esset instituere confessionem, quae tam confessariis quam

---

[1] Hom. 2. in Levit. n. 4.
[2] De lapsis, c. 29.
[3] Reg. 288.
[4] In Matth. c. 16, v. 19.
[5] Ep. 168 ad universos episcopos Campaniae, c. 2.

confitentibus est onus gravissimum, absque dubio orti fuissent magni tumultus, quorum vestigia in monumentis non possent non exstare.

Scholion. Confessio *consentanea* est:

1. *Iustitiae et sapientiae divinae,* quae superbiae et inobedientiae peccatoris opponit humilem confessionem et subiectionem sub iudicio hominis.

2. *Fini Ecclesiae,* qui est docere, idque non solum integras nationes, sed etiam singulos homines, eosque promovere in via salutis.

3. *Hominibus confitentibus,* qui sic obligantur ad examinandam conscientiam, confessione relevantur, incitantur ad fugiendas occasiones etc.

4. *Societati humanae,* cuius bonum a prudenti et diligenti confessario promovetur reconciliando inimicos, procurando restitutiones, impediendo vel reparando scandala etc.

THESIS III. **Forma poenitentiae est absolutio sacramentalis.**

De fide ex Trid. sess. 14, cap. 3. in thesi I. huius cap. cit.

Explicatur: 1. Forma, ut possit dici absolutio, *formaliter indicativa* sit necesse est. Nam absolutio est actus iudicialis. Sed mera precatio actus iudicialis non est. 2. *Materialiter* tamen potest esse *deprecativa.* Nam fieri potest, ut ex intentione ministri, acceptione fidelium, circumstantiis formae materialiter deprecativae sensus indicativus indatur. 3. Apud omnes *Orientales,* si excipias Armenos, testante Denzinger (rit. orient.) adhibetur forma materialiter *deprecativa.* Etiam apud Latinos usque ad saec. 9. vel 10. sola haec forma adhibebatur, cui tunc temporis sensim et paulatim addebatur forma indicativa, quae saec. 12. vel 13. communiter recepta est. 4. In Ecclesia *latina* forma *nunc est mere indicativa,* et mere deprecativa invalida habetur. Nam Trid. sess. 14, cap. 3 docet poenitentiae formam in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo etc., « quibus quidem », inquit, « de Ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter adiunguntur, ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant ». Postquam igitur ab oecumenico Concilio declaratum est formam deprecativam in Ecclesia latina non esse habendam legitimam, haec eo ipso secundum communem acceptionem iam non habet sensum indicativum et

propterea iam non est valida. Econtra si Ecclesia formae materialiter deprecativae sensum indicativum adnectit, valida est habenda.

Illustratur simili. Si in aliquo regno statueretur, ut omnes iudices, qui personam regis gerunt, sententiam ferrent dicendo: « rex te puniat hac vel illa poena, rex te absolvat », vera ferretur sententia.

Thesis sufficienter iam est probata cap. I. thesi III., qua demonstratum est potestatem remittendi peccata esse potestatem iudicialem.

CAPUT III.

De Ministro Poenitentiae.

THESIS I. **Soli sacerdotes sunt ministri sacramenti poenitentiae.**

De fide ex Trid. sess. 14, can. 10: Si quis dixerit sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere, aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis..., a. s.

Explicatur: Sicut in aliis sacramentis, ita etiam in poenitentia homo non est minister nisi secundarius, Christus autem est minister primarius. Is igitur, qui homini contrito atque confesso nomine proprio peccata remittit, est Dominus noster Iesus Christus. Ipse vero hoc facit mediante sacerdote, cuius absolutionem adhibet ut instrumentum. Itaque si homo confessus remissione dignus non est, Christus, sicut ipse peccata non remittit, ita nec absolutione sacerdotis utitur ut instrumento ea remittendi, unde haec tunc mere humana ac vana est.

Probatur: I. Ex Scriptura et ratione congrua. Cap. I. thesi IV. probatum est per verba Christi a S. Ioanne relata potestatem remittendi peccata datam esse Apostolis et eorum successoribus. Iam vero successores Apostolorum sunt episcopi et sacerdotes, ita quidem, ut aliae illorum potestates transierint ad solos episcopos, aliae ad episcopos et sacerdotes simul. Sed non est probabile Christum potestatem ubique et tam saepe exercendam conferre voluisse solis episcopis, quippe qui in Ecclesia sint relative paucissimi.

II. **Ex Traditione.** 1. *Ex ss. Patribus.* Iam cap. II. thesi II., qua demontratum est confessionem a Christo esse institutam, aliqui Patres citati sunt, qui testantur ministros poenitentiae esse sacerdotes, sc. *Origenes, Cyprianus, Basilius, Hieronymus, Leo M.* Praeter hos *s. Ambros.* scribit [1]: « Ius hoc (solvendi et ligandi) *solis* permissum *sacerdotibus* est ». — S. Chrysost. ex potestate remittendi peccata colligit dignitatem *sacerdotum* regum dignitati excellere. Scribit enim [2]:

« Potestatem acceperunt (sacerdotes), quam neque angelis neque archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est: Quaecunque ligaveritis... Habent quidem ii, qui in terra imperant, potestatem ligandi, verum corpora solum; hoc autem vinculum ipsam attingit animam coelosque transcendit; ac quaecunque inferne sacerdotes faciunt, eadem Deus superne confirmat servorumque sententiam ipse Dominus ratam facit. Quid enim aliud illis dedit, quam omnem coelestium potestatem? Nam quorum, inquit, remiseritis peccata... Quae maior hac potestas fuerit?.. Insania enim manifesta est tantum principatum despicere, sine quo neque salutem neque promissa bona consequi possumus... Neque enim tantum nos regenerant, sed etiam post regenerationem *admissa condonare possunt* ».

Insuper ss. Patres, qui docent ministrum extraordinarium baptismi posse esse laicum, idem respectu poenitentiae non admittunt.

2. *Ex libris poenitentialibus,* in quibus sacerdotes iique soli potestate absolvendi instructi exhibentur.

Scholion. 1. A saeculo 8. saltem non pauci theologi docuerunt et fideles crediderunt deficiente sacerdote *confessionem,* non tamen sacramentalem, *inferiori clerico vel etiam laico* utiliter fieri posse aut etiam urgente necessitate debere, quia putabant tunc faciendum esse, quod fieri possit, et Christum ipsum spectata dispositione et bona voluntate confitentis absque interventu hominis peccata remittere.

2. Munus *reconciliandi* peccatores cum Ecclesia *in foro externo* antiquitus in casu necessitatis *diaconis* concessum est, ita ut illi sic reconciliati, si fuerint contriti, ad eucharistiam suscipiendam admitti potuerint.

THESIS II. **Ad valide absolvendum praeter potestatem ordinis requiritur potestas iurisdictionis in foro interno.**

---

[1] De poenit. l. 1, c, 2, n. 7.
[2] De sacerdot. l. 3, n. 5.

Fidei proximum ex Trid. sess. 14, cap. 7: Quoniam igitur natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem. — can. 11. — Conc. Flor. decr. pro Arm. (D. 594).

Explicatur: Potestas iurisdictionis: 1. *Est* potestas regendi fideles subditos in iis, quae pertinent ad finem supernaturalem. Potestas regendi comprehendit potestatem legislativam, iudicialem, coactivam. 2. *Distinguitur* duplex: fori externi et fori interni. Prior directe et primario refertur ad publicam utilitatem Ecclesiae; altera ad privatam utilitatem uniuscuiusque fidelis. Hinc potestas iudicialis fori externi respicit actiones fidelium, prout hae actiones spectant ad visibilem Ecclesiae societatem; potestas vero iudicialis fori interni easdem respicit, prout spectant ad Deum.

3. *A potestate ordinis distincta est* eo potissimum, quod *a)* si excipias iurisdictionem Summi Pontificis, non immediate confertur a Deo, sed ab Ecclesia, idque extra sacramentum; — *b)* non est inamissibilis, sed potest auferri; — *c)* non est aequalis in omnibus, sed alia in aliis.

Probatur: I. Ex Scriptura et ratione theologica. Iuxta Io. 20, 23. sacramentum poenitentiae habet rationem iudicii, seu absolutio sacramentalis est *actus iudicialis*. Sed actus iudicialis non potest exerceri nisi a superiore *in subditos*. Atqui per ordinationem subditi non assignantur. Ergo hi aliunde assignentur necesse est, sc. per hoc, quod sacerdoti ab Ecclesia conferatur superioritas necessaria ad iudicium illud ferendum i. e. iurisdictio.

II. Ex Traditione et mente Ecclesiae. Haec semper fuit persuasio non solum Ecclesiae *latinae*, sed etiam *graecae*, quae hac de re cum illa numquam movit controversiam.

Scholion 1. Iurisdictio ad valide absolvendum necessaria cum ab Ecclesia detur, ab eadem etiam *limitari* potest: quoad homines, locum, tempus, peccata, ut diserte docet Trid. sess. 14, cap. 7.

2. Etiam ad absolvendum a peccatis *venialibus* iurisdictio necessaria est, quia absolutio sacramentalis, circa quaecunque

peccata fit, semper est actus iudicialis, qui sine iurisdictione exerceri nequit. Et quamquam nemo sacramentum poenitentiae suscipere debet, ut remissionem peccatorum venialium obtineat, tamen, si illud libere suscipere vult, illud debet ut id suscipere, ut quod est institutum, sc. ut iudicium. Errarunt igitur, qui contrarium docuerunt, ut ipse s. Thomas [1]. Non vero errarunt illi veteres theologi, qui putarunt ipsorum temporibus ex concessione Ecclesiae per consuetudinem manifestata quemlibet sacerdotem habuisse iurisdictionem a venialibus absolvendi.

CAPUT IV.

De Effectibus Poenitentiae.

§ I. *De iis, quae per poenitentiam semper obtinentur.*

I. *Gratia sanctificans* datur, aut, si adest, augetur. *Remittuntur* omnia peccata mortalia et ea peccata venialia, quae clavibus quodammodo sunt subiecta et quae sufficienter sunt retractata: mortalia quoad culpam et poenam aeternam, venialia quoad culpam et partem saltem poenae temporalis.

II. Datur ius ad obtinendas *gratias actuales*, quibus adiuti pro peccatis commissis satisfactionem praestemus et alia peccata caveamus.

III. *Merita* per peccatum grave mortificata *reviviscunt*, idque:

1. *Certe aliquatenus. a)* Deducitur ex *Ezech.* 33, 12: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.* Sed nisi merita reviviscerent, impietas homini converso quam maxime noceret. Nec infirmatur haec conclusio eo, quod culpa remissa plerumque restat poena temporalis, quae aut in hac vita aut in altera luenda est. Nam ea, quae in hac vita luenda est, ab homine reddi potest salutaris; ea vero, quae in altera vita est luenda, potest evitari.

Deduci quoque solet ex Hebr. 6, 10: *Non enim iniustus Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis et ministratis,* tamen, ut videtur, sine sufficienti ratione,

[1] L. IV. sent. dist. 18, q. 2, a. 3, qnaestiuncula 3, sol. 1, ad 3.

cum s. Paulus non supponat Hebraeos iam esse lapsos, sed studeat eos a lapsu deterrere.

b) Admittitur a ss, Patribus, ut a *s. Hieronymo*, qui dicit[1]: « Spes (est), quod quicunque ob fidem Christi laboraverit et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine causa dicitur passus fuisse, dum peccat, sic rursus *non perdat ea*, si ad pristinam fidem et ad antiquum studium revertatur ».

c) Eruitur ex *Trid.*, quod sess. 6, cap. 16. et can. 32. tria postulat, ut opera vitam aeternam mereantur, sc. ut sint honesta, ut fiant ab homine iusto, ut homo in gratia decedat. Sed haec omnia verificari possunt quoad opera mortificata.

d) Post Trid. *communiter* docetur.

2. *Probabilius perfecte*, i. e. secundum totum valorem, non magis vel minus pro maiore vel minore poenitentis dispositione. Nam secus non raro fieret, ut peccata condonata re vera punirentur idque poena aeterna, sc. privatione maioris gradus gloriae. Consequenter gratia sanctificans probabilius infunditur pro ratione non solum dispositionis praesentis, sed etiam meritorum praeteritorum. Id tenetur contra aliquos, qui concedunt quidem ius ad totum praemium operum mortificatorum statim restitui, tamen negant statim restitui totum gradum gratiae meritis illis respondentem, nisi homo habeat aequam dispositionem atque habuit ante peccatum commissum.

E contrario *peccata remissa* ob subsequens peccatum *numquam redeunt* seu homini rursus imputantur: nec quoad culpam nec quoad poenam aeternam nec quoad poenam temporalem iam remissam. Rom. 11, 29: *Sine poenitentia enim sunt dona... Dei.*

IV. Non raro sequitur placidissima animi *pax*, maxime si hoc sacramentum cum magno fervore ac singulari devotione susceptum est.

§ II. *De eo, quod per poenitentiam non semper obtinetur.*

THESIS: **Una cum culpa non semper remittitur tota poena.**

De fide ex Trid. sess. 14, can. 12: Si quis dixerit totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo..., a. s.

---

[1] Comment. ad Gal. l. 1, c. 3.

Explicatur: 1. Si culpa per poenitentiam remittitur, aliqua poena temporalis luenda relinqui potest. Imo haec plerumque relinquitur. Atque ea non solum est praeservativa seu medicinalis, sed etiam vindicativa, id quod communiter tenetur.

2. Respectu peccatorum mortalium haec quoque phrasis adhiberi potest: Remissa culpa gravi poena aeterna commutatur in temporalem, i. e. in locum poenae aeternae succedit poena temporalis.

3. Haec poena temporalis communiter saltem est poena purgatorii.

Probatur: I. Ex Scriptura, iuxta quam:

1. *Adae* peccatum est condonatum, cum Sap. 10, 2. dicatur de Sapientia: *Eduxit illum a delicto suo*, et quidem, ut videtur et ut admitti solet, non ita multo post lapsum. Ex altera tamen parte ei gravissimae poenae per totam vitam luendae sunt impositae (Gen. 3, 17-19).

2. *Filiis Israel* contra Moysen et Aaron murmurantibus Deus veniam dedit. Legitur enim Num. 14, 20: *Dixitque Dominus: Dimisi iuxta verbum tuum* i. e. ad deprecationem tuam. Attamen in poenitentiam illius peccati omnes in deserto mori debuerunt (Num. 14, 22. 23).

3. *Davidi*, postquam adulterium et homicidium commisit, Nathan dixit 2. Reg. 12, 13. 14: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum... Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc* (= rem hanc), *filius, qui natus est tibi, morte morietur.*

II. Ex Traditione. 1. *Ex ss. Patribus*, qui toties recommendant satisfactionem post peccata remissa subeundam, ut Calvinus dicat[1]: « Parum me movent, quae in *veterum* scriptis de satisfactione *passim* occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter: omnes fere, quorum libri exstant, aut hac in parte lapsos esse aut nimis aspere et dure locutos ». — *S. Aug.*[2]: « Cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis... Productior est enim poena, quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et poena... Temporaliter hominem detinet poena, et quem iam ad damnationem sempiternam

---

[1] Inst. l. 3, c. 4, n. 38.

[2] Tract. 124, n. 5. in Io.

reum non retinet culpa ». — *S. Greg. M.*[1]: « Delictum sine ultione non deserit (Deus). Aut enim ipse hoc homo in se poenitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit ».

2. *Ex praxi* in Ecclesia semper vigente fidelibus confitentibus imponendi satisfactiones seu poenitentias, quae antiquitus erant gravissimae.

III. **Rationibus congruis**, quae desumuntur:

1. *Ex parte poenitentiae.* Poenitentia non est, sicut baptismus, sacramentum regenerationis, sed sanationis. Sanatio autem uno actu perfecte fieri non solet.

2. *Ex parte peccatorum commissorum.* Peccata a baptizatis commissa ceteris paribus maioris malitiae sunt, quam peccata a non baptizatis commissa, unde et conveniens est ea magis puniri.

3. *Ex parte peccatorum cavendorum.* Homines poenis satisfactoriis a committendis peccatis saepius arcentur. Trid. sess. 14, cap. 8.

Scholion. Sicut ex una parte non semper omnis poena temporalis remittitur, si remittitur culpa, ita ex altera parte fieri potest, ut per poenitentiam sola poena temporalis remittatur, quin remittatur ulla culpa. Atque id tunc evenit, cum clavibus non subiiciuntur nisi peccata quoad culpam iam remissa, sive mortalia sive venialia.

CAPUT V.

De Necessitate Poenitentiae.

THESIS. **Sacramentum poenitentiae omnibus post baptismum graviter lapsis iure divino necessarium est.**

De fide ex Trid. sess. 14, can. 6: Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse iure divino..., a. s.

Explicatur: 1. Sacramentum poenitentiae peccatoribus baptizatis i. e. iis, qui post baptismum peccatum mortale commiserunt, ad salutem obtinendam aeque necessarium est, ac sacramentum baptismi peccatoribus non baptizatis. Itaque ne-

[1] Moral. l. 9, c. 34.

cessarium est *necessitate medii hypothetica* et pro iis, in quorum potestate est, etiam *necessitate praecepti.*

2. *Suppleri potest* iisdem, quibus sacramentum baptismi potest suppleri, sc. sacramenti voto i. e. supernaturali actu perfectae caritatis vel contritionis cum seria voluntate confitendi saltem implicita et martyrio coniuncto cum attritione.

Probatur: I. Ex Scriptura. Io. 20, 23. Christus Apostolis eorumque successoribus dedit potestatem peccata remittendi et *retinendi.* Atqui, si receptio sacramenti poenitentiae ad obtinendam remissionem peccatorum non esset necessaria, Apostoli etc. peccata retinere non possent, cum quilibet independenter ab eorum absolutione remissionem eorum posset obtinere. Apparet in peccatis venialibus.

Confirmatur. Apostoli eorumque successores a Christo per verba Io. 20, 23. in regno ipsius constituti sunt iudices in omnibus causis criminalibus; sed in unoquoque regno bene constituto causae criminales iudicibus legitimis non libere subiiciuntur, sed subiici debent.

II. Ex Traditione. 1. *Ex ss. Patribus. S. Basilius*[1]: « *Necesse est peccata confiteri* iis, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei ». Et[2]: « Servanda est ratio eadem in peccatorum confessione, quae in detegendis corporis morbis. Ut igitur corporis morbos non omnibus patefaciunt homines nec quibusvis, sed iis, qui horum curandorum periti sunt, ita etiam peccatorum *confessio fieri debet* apud eos videlicet, qui ea curare possunt ». — *S. Aug.*[3]: « *Nemo sibi dicat: Occulte ago (poenitentiam),* apud Deum ago; novit Deus qui mihi ignoscat, quia in corde meo ago. Ergo sine causa dictum est: Quae solveritis in terra, soluta erunt in coelo? Ergo sine causa sunt claves datae Ecclesiae Dei? Frustramus evangelium? Frustramus verba Christi? Promittimus vobis, quod ille negat? Nonne nos decipimus »? — Et[4]: « Si a catechumeno factum est (homicidium), baptismate abluitur, et si a baptizato, *poenitudine et reconciliatione sanatur* ». — *S. Leo*[5]: Divina bonitas

---

[1] Reg. 288.
[2] Reg. brev. 229.
[3] Serm. 392, n. 3.
[4] De adult. conj. l. 2. n. 16.
[5] Ep. 108.

ordinavit, « ut indulgentia Dei nisi *supplicationibus sacerdotis* nequeat obtineri ». Et: « Oportet unumquemque Christianum conscientiae suae habere iudicium, ne converti ad Deum de die in diem differat et illius temporis angustias eligat, quo vix inveniat spatium vel *confessio poenitentis vel reconciliatio sacerdotis.*

2. *Ex consensu ecclesiarum orientalium.*

3. *Ex continua Ecclesiae praxi.* Lex adeo difficilis a potestate humana introduci non potuit, quin magna et pervulgata oppositio esset orta, cuius vestigia non possent non exstare.

APPENDIX.

Doctrina De Indulgentiis.

A. Expositio doctrinae.

Indulgentia est remissio poenae temporalis post remissam culpam Deo adhuc debitae ab Ecclesia per applicationem satisfactionum Christi et Sanctorum extra sacramentum concessa. Itaque:

I. Indulgentia *non* est remissio *culpae* vel poenae aeternae. In hoc omnes consentiunt. Attamen:

1. *Quidam veteres*, perperam opinantes peccatum veniale habituale consistere tantummodo in reatu poenae temporalis, consequenter etiam perperam putabant illud indulgentiis posse remitti.

2. *In bullis Pontificiis* indulgentia interdum concessa est nomine remissionis omnium *peccatorum*. Quod si factum est, vel reatus poenae seu poena pro peccato debita vocata est peccatum, id quod etiam alias fit, vel indulgentia consideratur ut confessionem sacramentalem supponens et eum ea aliquid unum morale constituens.

Ille enim, qui indulgentiam plenariam perfecte lucratus est, re vera liber est ab omni culpa et poena: a culpa quidem et poena aeterna vel parte poenae temporalis per absolutionem sacramentalem, a poena temporali adhuc restante per indulgentiam.

3. *Interdum* indulgentia *a culpa et a poena* pronuntiata est. Quod eundem sensum potest habere, aut etiam ex imprudentia quaestorum provenit, unde a Clemente V. est improbatum. 1314

II. Indulgentia est remissio poenae temporalis debitae non solum in foro Ecclesiae, sed etiam *in foro Dei*. Et haec quidem poena maxime est poena purgatorii. Nam poenae huius vitae nulla lege universali, imo interdum nulla conditione remittuntur.

III. Remissio poenae temporalis potest esse ex toto et ex parte, unde indulgentia *distinguitur* duplex: plenaria et partialis.

1. Indulgentia *plenaria nunc* semper est remissio omnis poenae temporalis pro culpis iam remissis Deo debitae. Non vero est remissio illius poenae temporalis, quae debetur pro culpis nondum remissis. Nam nulla poena temporalis debita pro quacunque culpa condonatur, nisi culpa ipsa est deleta. Attamen eo, quod aliqua culpa levis nondum est deleta, non impeditur, quominus per indulgentiam plenariam remittatur omnis poena temporalis debita pro iis culpis, quae iam sunt deletae. Improbabilis est enim sententia eorum, qui tenent, si aliqua culpa levis nondum sit deleta, nihil poenae temporalis condonari. Nam si hoc esset, indulgentia plenaria pro magno numero hominum esset illusoria ideoque minoris valoris, quam indulgentia partialis, id quod nequaquam est secundum mentem concedentis.

Olim indulgentia, quae non erat partialis, interdum vocabatur remissio poenarum vel plena vel plenior vel plenissima. Remissio *plena* probabilius erat remissio poenarum canonice impositarum et poenae Deo debitae iis respondentis; *plenior* erat remissio poenarum et impositarum et secundum rigorem canonum imponendarum necnon poenae Deo debitae tam illis quam his respondentis; *plenissima* erat remissio omnis poenae Deo debitae, etiamsi excedebat proportionem cum poena secundum canones imponenda.

2. Indulgentia *partialis*, quae *nunc* concedi solet, est indulgentia tot dierum vel annorum vel annorum et quadragenarum.

Quadragenae adduntur, quia in poena canonica distinguebantur tempora quadragesimalia, quibus poenitentia severior peragenda erat, quam aliis temporibus.

Olim indulgentia partialis non raro extendebatur ad v. g. tertiam partem peccatorum.

Per indulgentiam partialem:

a) Ecclesia tantum poenae temporalis in foro Dei debitae remittere *habet in animo*, quantum per respondentem poenam canonicam, si fieret, remitteretur.

b) Homini, qui eam lucratur, *re vera* remittitur plus vel minus eiusdem poenae pro maiore vel minore ipsius fervore, contritione, devotione etc. Nam etiam poenitentia canonica olim facta a Deo pluris vel minoris aestimabatur et in eius foro pluris vel minoris valebat pro maiore vel minore fervore, contritione, devotione etc. illius, qui eam peregit.

IV. Indulgentia alia est respectu vivorum, alia respectu defunctorum.

1. *Respectu vivorum* est absolutio a poena temporali adiunctam habens solutionem.

a) Est vera *absolutio*, per potestatem iurisdictionis facta. Eam enim praedicant omnes bullae Pontificiae.

b) Adiunctam habet *solutionem*. Nam secundum ordinem iustitiae divinae sine sufficienti satisfactione seu solutione remissio poenae post culpam deletam residuae nemini conceditur. Itaque sine hac solutione absolutio illa esset inefficax. Solutio autem fit hoc modo: Ille, qui indulgentiam concedit, pro iis quibus eam concedit, Deo auctoritative offert satisfactionem infinitam Christi et satisfactiones abundantes Sanctorum, tam viventium quam mortuorum. Sunt autem abundantes satisfactiones Sanctorum eae, quas Sancti praestiterunt supra debitum solvendum iustitiae divinae pro peccatis propriis. Hae satisfactiones praestitae sunt a Sanctis virtute gratiae supernaturalis, tam habitualis quam actualis, ideoque virtute meritorum Christi, unde satisfactioni ac merito Christi non sunt coordinatae, sed omnino subordinatae. Eas, cum re vera adsint, fructu suo privari Dei bonitas non patitur, unde, cum ipsi Sancti iis non indigeant vel indiguerint, Deus eas acceptat pro aliis Ecclesiae membris. Satisfactiones illae Christi et Sanctorum vocari solent thesaurus Ecclesiae.

2. *Respectu defunctorum* indulgentia non est absolutio, quia defuncti non sunt subiecti Ecclesiae iurisdictioni, sed est *tantummodo solutio*. Et ea quidem defunctis non applicatur nisi mediantibus vivis, quibus ab eo, qui indulgentiam concedit, auctoritative datur facultas satisfactiones ex thesauro Ec-

clesiae pro animabus purgatorii Deo offerendi. Quia igitur respectu defunctorum indulgentia non est absolutio, pro iis conceditur sub forma: per modum suffragii (fürbittweise). Eiusmodi indulgentia:

a) Probabiliter *non semper* ei animae in purgatorio detentae prodest, cui applicatur. Multo minus eidem semper prodest *quoad totum valorem*, id quod omissis aliis rationibus satis apparet ex responso *s. Congreg. indulg.* a. 1840. dato, quo declaratur per indulgentiam altari privilegiato annexam, si spectetur mens concedentis et usus potestatis clavium, intelligendam esse indulgentiam plenariam, quae animam statim liberet ab omnibus purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse indulgentiam, cuius mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondeat.

b) Si *plenaria* est et pro *pluribus* animabus offertur atque a Deo acceptatur, ab ipso aut secundum certam mensuram accipitur et inter plures dividitur aut uni illarum animarum perfecte applicatur, ita ut haec ob eam rem ex purgatorio liberetur.

Indulgentia non solet ita concedi, ut eam unus vivus pro altero *vivo* lucrari possit, neque id expedit. Indulgentia tamen altaris privilegiati, ut patet ex declaratione s. Congreg. indulg. a. 1897. data interdum etiam pro vivis conceditur atque id per modum iurisdictionis. Ad quaestionem enim, quomodo intelligenda sit inscriptio, quae reperiatur in aliquibus altaribus: *Altare privilegiatum pro vivis atque defunctis*, Congregatio illa respondit: « Interpretanda est ita, ut tam pro vivis, si in ipso altari pro vivis applicatur, quam pro defunctis, si pro his applicatur, intelligatur concessa plenaria indulgentia ».

V. Ad valorem indulgentiae *haec requiruntur:*

1. *A concedente: a) Potestas.* Quae quidem primario residet in Romano Pontifice, summo Ecclesiae principe, cuius est dispensare thesaurum bonorum eiusdem Ecclesiae communium. Secundario et dependenter residet in principibus Ecclesiae subordinatis, Episcopis sc. et Cardinalibus. — *b) Iusta causa.* Nam indulgentiae largitor non est dominus, sed solummodo dispensator thesauri Ecclesiae. Ea vero causa: α) Secundum alios obiective re vera iusta ac proportionata esse debet, secundum alios, ut Suarez, subiective tantum iusta ac proportionata prudenter debet haberi, etiamsi obiective talis non sit. β) Merito censetur adesse, si actus vel opera ad indulgentiam

lucrandam praescripta apta media sunt ad finem, cuius assecutio Deo magis placet, quam satisfactio poenalis per indulgentiam remissa, quippe quum ex illa plus honoris in Deum et utilitatis in Ecclesiam vel in homines redundet, quam ex hac.

2. *A lucrante: a) Status gratiae sanctificantis,* et is quidem α) certe, ut indulgentia pro se ipso obtineatur; β) ut pro defunctis obtineatur, certe tunc, si in concedenda indulgentia additur formula « corde contrito » vel alia similis; utrum etiam alias, minus certum est. — *b) Impletio operum praescriptorum.* Quae quidem opera iuxta sententiam *communiorem* sunt tantum *conditiones* indulgentiae lucrandae, ita ut tota et immediata causa poenae remittendae consistat in thesauro Ecclesiae.

Sed licet opera praescripta censeantur habere rationem tantum conditionis, tamen influunt in determinandam indulgentiae mensuram. — At contra *de Lugo* censet opera fidelium indulgentiis dotata a Summo Pontifice etc. virtute potestatis clavium elevari ad habendam vim satisfactivam ex opere operato et longe maiorem, quam ex se habeant eamque iis attribui ex thesauro Ecclesiae.

c) Intentio lucrandi indulgentiam, saltem habitualis, et ea quidem, ut pro lucrante ipso obtineatur, implicita.

B. Demonstratio doctrinae.

Thesis I. **Indulgentiae ab Ecclesia concedi possunt, idque ita, ut valeant in foro Dei.**

I. Pars est *de fide,* II. pars est *fidei proxima.*

Trid. sess. 25 decreto de indulgentiis: Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, atque huiusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit; sacrosancta Synodus indulgentiarum usum, Christiano populo maxime salutarem et sacrorum conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet et praecipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.

Probatur: I. Ex Scriptura. Matth. 16, 19. Christus dixit Petro: *Quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Quibus verbis s. Petro datur potestas solvendi quodcunque vinculum spirituale. Sed poena temporalis post culpam

dimissam exsolvenda vinculum spirituale est; impedit enim hominem, quominus coelum ingrediatur. Deinde potestas illa solvendi ita datur, ut solutio rata habeatur in coelo i. e. in foro Dei.

2. Cor. 2, 10. s. Paulus scribit se Corinthio incestuoso in persona Christi (ut Vulgata habet, iuxta textum graecum melius in conspectu Christi) condonasse partem poenae temporalis, quam ei in nomine Christi 1. Cor. 5, 3-5. imposuerat.

1. Cor. 5, 3-5: *Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, iam iudicavi ut praesens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu Christi tradere huiusmodi* (τὸν τοιοῦτον) *satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Iesu Christi.* — 2. Cor. 2, 10: Cui autem aliquid donastis, et ego; nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi (καὶ γὰρ ἐγὼ ὃ κεχάρισμαι, εἴ τι κεχάρισμαι, δι' ὑμᾶς ἐν προσώπῳ Χριστοῦ).

Sed non est valde probabile s. Paulum Corinthio solummodo permisisse, ut a poena in foro Ecclesiae luenda cessaret, illumque hoc tam emphatice praedicasse ipso Corinthio obnoxio manente graviori poenae in foro Dei luendae.

II. Ex Traditione. Ostendi potest Ecclesiam inde a saeculo 2. modo hac modo illa ratione indulgentiam concessisse. Antiquitus enim poenitentes interdum reconciliati sunt, antequam satisfactionem integram praestiterunt, idque praesertim ob intercessionem martyrum, quorum cruciatus ab Ecclesiae praesulibus loco satisfactionis ab ipsis peccatoribus praestandae admittebantur. *Reconciliatio* autem illa:

1. Non erat absolutio sacramentalis a culpa (et consequenter a poena aeterna), quae statim post confessionem per formulam in ordinibus poenitentialibus praescriptam data esse merito putatur, sed *erat absolutio a poena temporali.*

Nam *a)* non semper dabatur ab illo episcopo, qui confessionem exceperat; imo interdum dabatur a *diacono.* — *b)* Si absolutio illa fuisset absolutio sacramentalis, α) poenitentes interdum saltem et respectu aliquorum peccatorum obligati fuissent ad eadem *bis confitenda,* tunc sc., si inter confessionem initio poenitentiae canonicae factam et absolutionem in fine eiusdem datam aliquot intercessissent anni; β) poenitentibus non raro per multos annos *in statu peccati mortalis rema-*

nendum fuisset. Sed non est verisimile Ecclesiam sive hoc sive illud voluisse.

2. Non solum valebat in foro ecclesiastico, sed etiam *in foro divino*, id quod colligitur *a)* ex *orationibus* in reconciliatione illa adhibitis; — *b)* ex *constitutionibus Apostolicis*, in quibus dicitur [1]: « eritque *in loco baptismi* impositio manuum; — *c)* ex nonnullis epistolis s. *Cypriani*, e. g. 18., in quibus asseritur eos, qui libellos a martyribus acceperint, praerogativa eorum *apud Deum* adiuvari posse; — *d)* ex modo, quo *Tertullianus*, postquam Montanista factus est, consuetudinem illam reprehendit. Scribit enim praeter alia [2]: « Qua securitate et possessione martyris quis permittit homini donare, quae Deo reservanda sunt?... Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei Filius »?

III. Ratione theologica quoad II. partem. Si indulgentia esset solummodo remissio poenae canonicae in foro Ecclesiae nec valeret in foro Dei, haec absurda et falsa de ea essent tenenda:

1. *Respectu eius naturae.* Indulgentia esset liberatio ab onere, quod non est impositum, solutio vinculi, quo nemo constringitur. Nam poenae canonicae a multis saeculis non iam imponuntur.

2. *Respectu eius lucrationis.* Indulgentia non posset obtineri quoad ea peccata, quibus poena canonica olim non erat constituta, atque haec sunt plurima. Consequenter ii tantum indulgentiam lucrari possent, qui crimen commiserunt, quod antiquitus ab Ecclesia publice vindicari solebat. Econtra alii, quorum maximus est numerus, nullam indulgentiam possent lucrari.

3. *Respectu eius utilitatis.* Indulgentia noceret potius, quam prodesset. Nam homines eo quod a poenis canonicis absolverentur, remitterentur ad graviores poenas purgatorii.

4. *Respectu eius applicationis.* Indulgentia non posset applicari defunctis.

THESIS II. **Exstat thesaurus Ecclesiae, constans ex satisfactionibus Christi et Sanctorum, quas Ecclesia per indulgentias dispensare potest.**

---

[1] L. 2, c. 41.

[2] De pudicitia, c. 22.

Est *fidei proximum* ex damnatione propositionis 17. Lutheri et 41. synodi Pistoriensis.

Prop. 17. Lutheri: « Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et Sanctorum ». (D. 641). Damnata est in globo. — Prop. 41. syn. Pist.: « Item in eo, quod subditur *scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum, et claraе notioni a poena canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum,* quasi thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et Sanctorum: falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis iniuriosa, dudum in art. 17. Lutheri damnata.

Probatur ratione theologica: 1. Satisfactio Christi est infinita, et Patri coelesti oblata est pro omni hominum debito. Multi Sancti satisfactiones praestiterunt ultra eas, quas pro se praestare debuerunt; imo B. M. V. pro se ipsa nullas debuit praestare. Omnes hae satisfactiones semper sunt in cognitione et acceptatione Dei.

2. Exsistit communio Sanctorum, vi cuius inter omnia membra Ecclesiae, et militantis et triumphantis et patientis, sub Christo capite quaedam intercedit communicatio bonorum.

3. Hinc satisfactio infinita Christi capitis et satisfactiones abundantes membrorum Christi aliis membris ita communicari possunt, ut a poenis temporalibus pro culpis debitis liberentur.

4. Haec communicatio vel dispensatio per se pertinet ad Christum. Sed Christus in Ecclesia militante, sicut ad alia efficienda, ita etiam ad faciendam hanc dispensationem constituit vicarios, praesertim Summum Pontificem. Ita Clemens VI in Extrav. « Unigenitus ».

THESIS III. **Indulgentiae per modum suffragii animabus purgatorii applicari possunt.**

Certum est ex damnatione propositionis 22. Lutheri et 42. synodi Pistoriensis.

Probatur: I. Ex mente Ecclesiae et praxi Summorum Pontificum. Iam saec. 9. Paschalis I. et Ioannes VIII. eiusmodi indulgentias concesserunt pro iis, qui in bello ad defendendam Ecclesiam suscepto ceciderant, Ioannes IX pro Arnulfo imperatore defuncto.

II. Ratione theologica: Deducitur ex doctrina communionis Sanctorum. Ex una enim parte vivi satisfactiones suas pro defunctis Deo offerre possunt. Ex altera vero parte iidem

satisfactiones ex thesauro Ecclesiae sibi applicare possunt. Ergo nihil obstat, quominus easdem satisfactiones thesauri Ecclesiae etiam pro defunctis Deo offerri possint. Quod si faciunt auctoritate Ecclesiae, id a Deo ratum haberi et semper in genere saltem acceptari merito communiter censetur.

Conclusio. Ex omnibus his patet indulgentias populo Christiano salutares esse, id quod a Conc. Trid. sess. 25. est definitum.

PARS SEXTA.

DE EXTREMA UNCTIONE.

Praenotanda de notione et nominibus extremae unctionis.

I. Extrema unctio definitur: sacramentum novae legis, quo per unctionem olei benedicti et orationem sacerdotis baptizatus graviter aegrotans confortatur.

II. Hoc sacramentum vocatur:

1. *Ratione materiae:* oleum sanctum et sacra unctio.

2. *Ratione materiae et subiecti:* oleum infirmorum, unctio infirmorum.

3. *Ratione materiae et relationis ad alias unctiones:* unctio extrema.

4. *Ratione subiecti:* sacramentum exeuntium.

5. *Ratione effectuum:* medicina sancta.

CAPUT I.

De Exsistentia Extremae Unctionis.

THESIS. **Extrema unctio est verum novae legis sacramentum.**

De Fide ex Trid. sess. 14. de sacr. extr. unct., can. 1: Si quis dixerit extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum et a b. Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus aut figmentum humanum, a. s.

Probatur: I. Ex Scriptura. Iac. 5, 14. 15: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei*

salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.

Tria illa adsunt, quae ad novae legis sacramentum requiruntur, sc.

1. *Signum externum:* unctio oleo facta et oratio fidei, i. e. oratio, quae a fide Ecclesiae procedit.

2. *Collatio gratiae*, quae *a)* certe exprimitur per verba: si in peccatis sit, remittentur ei; nam in hac vita nullum peccatum remittitur sine infusione gratiae; — *b)* probabiliter exprimitur per verbum « alleviabit » (ἐγερεῖ), quippe quod etiam Rom. 13, 11; Eph. 5, 14; 2. Petr. 3, 1. excitationem vel confortationem animae significet.

3. *Institutio a) Christi*, quia non Apostolus, sed solus Christus effectus illos cum unctione coniungere poterat; — *b) in perpetuum valitura*, quia tempus, per quod valeat, non limitatur, et quia unumquodque institutum tamdiu maneat oportet, quamdiu manet eius finis.

II. Ex Traditione. 1. *Ex ss. Patribus. Origenes* ait[1] Deum peccatori dolenti remittere velle, in quo impleatur et illud Iacobi: Infirmatur quis etc. — *S. Chrysost.* ait sacerdotes peccata condonare posse, cum dicatur: Infirmatur quis etc. — Innoc. I. Decentio Eugubino scripsit oleum, quo aegrotantes ungantur, esse *genus sacramenti* neque applicandum esse publicis poenitentibus, utpote quibus etiam cetera sacramenta negentur. — *S. Greg. M.* in sacramentario suo modum administrandi hoc sacramentum descripsit.

S. Chrysost.[2] « Illi (parentes) ne corporalem quidem interitum a liberis amoliri possunt, non ingruentem morbum depellere; hi (sacerdotes) vero aegram et mox interituram animam saepe servarunt, aliis remissiorem poenam reddentes, alios prorsus labi non sinentes: idque non doctrinae tantum atque monitionum, sed etiam orationum auxilio. Neque enim tantum, cum nos regenerant, sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt. Nam infirmatur, inquit Apostolus, quis in vobis, advocet etc. — Innocentius I[3]: « Infirmatur quis etc. Quod non est dubium de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab episcopo confecto non solum sacerdotibus, sed

---

[1] Hom. 2. in Lev. n. 4.

[2] De sacerd. l. 3, n. 6.

[3] Ep. 25, n. 8. ad Decentium.

omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo. Ceterum illud superfluum videmus adiectum, ut de episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco presbyteris dictum est, quia episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si episcopus aut potest aut dignum ducit aliquem a se visitandum, et benedicere et tangere chrismate sine cunctatione potest, cuius est ipsum chrisma conficere. Nam (publice) poenitentibus istud infundi non potest, quia *genus est sacramenti.* Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi»? (D. 61). — **Nota.** Hoc loco non est sermo de confirmatione; nam in eadem epistola immediate ante dictum est confirmationem administrari non posse nisi ab episcopo. Chrisma igitur hoc loco latiore sensu accipiendum est. Innuitur autem eadem epistola illis temporibus sacrum oleum non solum pro sacramento extremae unctionis adhibitum esse, sed etiam per modum sacramentalis ad curandos morbos apud fideles in usu fuisse.

2. *Ex Conciliis. a)* Conc. *Cabillonense* II. (Châlons-sur-Saône) a. 813. docuit infirmos a presbyteris oleo ab episcopis benedicto ungi debere. — *b)* Conc. *Ticinense* (Pavia) a. 850. dixit hoc salutare sacramentum a s. Iacobo commendatum sollerti praedicatione populis innotescendum esse.

Conc. Cabill. II. can. 48: «Secundum b. Apostoli Iacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent. Sic enim ait: Infirmatur quis etc. Non est itaque parvi pendenda huiuscemodi medicina, quae *animae corporisque medetur languoribus*». *Conc. Tic.* c. 8: «Illud quoque *salutare sacramentum,* quod commendat Iacobus Ap. dicens: Infirmatur quis etc., sollerti praedicatione populis innotescendum est: *magnum sane ac valde appetendum mysterium,* per quod, si fideliter poscitur, et *remittuntur peccata* et consequenter corporalis salus restituitur».

3. *Ex constanti consensu Ecclesiae,* non solum occidentalis, sed etiam orientalis, qui patet ex ritualibus et euchologiis.

III. **Ratione congrua.** Maximam Christi misericordiam decuit pro aegrotis moribundis instituere sacramentum speciale:

1. Ut ii, qui in statu peccati mortalis versantes usu rationis sunt privati vel sensibus destituti et consequenter sacramentum poenitentiae suscipere nequeunt, remissionem peccatorum obtinere et salvari possint, dummodo aut antea actum attritionis elicuerint nec post eum iterum in peccatum grave lapsi fuerint, aut postea usu rationis recuperato actum attritionis eliciant. (Cf. de reviviscentia sacram. pag. 208, c).

2. Quia etiam aliis gravioribus vitae humanae momentis peculiaria sacramenta recipi solent, sc. eo tempore, quo homo

in vitam est ingressus (bapt.), quo pervenit ad maturitatem (confirm.), quo ingreditur perpetuum vitae statum (ord. et matrim.). Conveniens igitur est etiam momento vitae gravissimo, a quo pendet sors animae aeterna, speciale sacramentum posse recipi.

3. Ut tempore morbi periculosi gratiae speciales concedantur, quae per modum spiritualis medicinae valeant ad sanandam infirmitatem animae, quaeque dentur per sacramentum, quod etiam in ratione signi naturam medicinae prae se ferat.

Scholion. Sacramentum extremae unctionis 1. testante Conc. Trid. (sess. 14, de extr. unct. cap. 1.) *insinuatum seu adumbratum* est Marc. 6, 13, ubi de Apostolis dicitur: *Et ungebant oleo multos aegros et sanabant;* 2. probabiliter a Christo est *promissum et explicatum* in ultima coena; 3. probabilius est *institutum* post eius resurrectionem. Nam tunc temporis etiam sacramentum poenitentiae institutum est, respectu cuius extrema unctio habet rationem complementi.

CAPUT II.

De Materia Ac Forma Et Ministro Extremae Unctionis.

Ea omnia copiose tractantur a moralistis, unde solummodo haec notantur:

1. Oleum est *materia apta* extremae unctionis, quia, sicut illud corpus, ita haec animam sanat, lenit, roborat.

2. *Forma materialiter indicativa* olim in quibusdam ecclesiis adhibita est, quin fundata dubitatio de eius validitate moveri possit.

3. *A pluribus sacerdotibus* extrema unctio valide administrari potest (et apud Graecos et Orientales administratur), dummodo aut ab uno peragatur una unctio cum sua forma, v. g. in oculis, ab alio alia cum sua forma, v. g. in labiis; — aut a pluribus unaquaeque unctio simul peragatur. Si vero alius post alium omnes peragit unctiones, unctio primi tantum videtur habere rationem sacramenti, unctiones aliorum rationem solummodo sacramentalium habere videntur. Goar tamen censet in eo casu sacramentum tum suscipi, cum fiat unctio

sacerdotis ultimi, propterea quod sacerdotes praecedentes intentionibus suis effectum sacramenti usque ad ultimam unctionem perfectam suspendant.

Nota. Ex eo, quod s. Iacobus dicit: inducat presbyteros, non presbyterum, concludi nequit plures sacerdotes ungere debere, siquidem in Scriptura numerus pluralis nonnumquam adhibetur ad significandum certum hominum genus. Cf. Luc. 17, 14. *Quos* (leprosos) *ut vidit* (Iesus), *dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus.* — Marc. 15, 32: *Et qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei.* Econtra Luc. 23, 39.

CAPUT III.

De Effectibus Extremae Unctionis.

I. *Gratia sanctificans:*

1. Ex primaria huius sacramenti institutione *augetur*. Pariter peccata *venialia* remittuntur.

Unctionem extremam ex primaria institutione gratiam sanctificantem non conferre, sed tantummodo augere patet ex constanti Ecclesiae doctrina et praxi, secundum quam hoc sacramentum post sacramentalem absolutionem, imo post s. viaticum suscipi solet.

Hinc omnis, qui est mentis compos et gravis peccati nondum remissi sibi conscius, ante susceptionem extremae unctionis aut sacramentum poenitentiae recipere aut contritionem perfectam cum voto sacramenti poenitentiae elicere debet.

2. Ex secundaria eius institutione (non solum per accidens) *datur*, et consequenter peccata *mortalia* delentur. Id contingit, si ille, qui hoc sacramentum recipit, peccata sua gravia attritione retractavit et aut citra culpam gravem ignorat se esse in statu peccati mortalis aut usu rationis est destitutus. Hoc, quod omnes fere pro certo habent, ex eo concludi potest, quod illimitate dicitur *a)* a s. Iacobo: et si in peccatis sit, remittentur ei; — *b)* in forma huius sacramenti: indulgeat tibi Dominus, quidquid... deliquisti; — *c)* a Trid. sess. 14. de extr. unct. cap. 2: « unctio *delicta*, si quae sint adhuc expianda... abstergit », et can. 2: Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam nec remittere peccata..., a. s.

II. *Animus confortatur,* seu, ut Trid. dicit (de extr. unct. cap. 2.) *reliquiae peccati absterguntur.* Quae quidem reliquiae sunt spiritualis quaedam debilitas seu infirmitas ex peccato originali et actuali in mente hominis remanens: sc. diffidentia ob peccata praeterita, pusillanimitas ob aerumnas praesentes, trepidatio ob agonem instantem et iudicium futurum etc. Contra spiritualem illam infirmitatem homo per unctionem extremam roboratur, quatenus accipit ius ad gratias actuales, quarum auxilio eam possit superare. Hic effectus indicari videtur verbis Apostoli: *alleviabit eum Dominus.*

III. *Sanitas corporalis restituitur,* in quantum expedit, ut Florentinum loquitur, vel interdum, ubi saluti animae expedierit, ut Tridentinum habet. Verbum enim s. Iacobi « *salvabit* » (σώσει) cum specialiter dicatur de infirmo, per se videtur esse intelligendum de salute seu sanatione corporis, praesertim, cum etiam aliis Scripturae locis, ut Matth. 9, 22; Marc. 5, 23; Io. 11, 12. ad sanationem corporis referatur. Hic effectus:

1. Est *secundarius et conditionatus,* unde saepissime ex nulla alia ratione non obtinetur, nisi quia Deus non vult.

2. Communiter *non obtinetur miraculo;* obtinetur tamen speciali providentia, qua Deus curat, ut vires naturae et naturalia remedia sanitatem efficiant. Consequenter:

3. Culpa hominum *potest impediri,* et id quidem: *a)* ob nimium morbi progressum, ita ut sanatio non possit fieri nisi per miraculum; — *b)* ob defectum dispositionis requisitae, imprimis fiduciae.

PARS SEPTIMA.

DE ORDINE.

Praenotanda de notione et nominibus ordinis.

I. Sacramentum ordinis *definitur:* sacramentum novae legis, quo confertur potestas spiritualis et gratia ad munia ecclesiastica rite obeunda.

II. A Graecis *vocatur:* χειροτονία = extensio manuum et χειροθεσία = impositio manuum, quod nomen nunc tamen solummodo de ordinibus minoribus adhiberi solet.

III. Nomen ordinis exprimit potius genericam quandam rationem, quam infimas species vel partes. Sacramentum ordinis est aliquid *unum totale*, quod sub se comprehendit plura partialia.

CAPUT I.

De Exsistentia Ordinis.

ARTICULUS I.

DE EXSISTENTIA SACRAMENTI ORDINIS IN GENERE.

THESIS. **Exsistit in Ecclesia sacramentum ordinis.**

De fide ex Trid. sess. 23, can. 3: Si quis dixerit ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum, a. s.

Probatur: I. Ex Scriptura. 2. Tim. 1, 6: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem*

manuum mearum. — 1. Tim. 4, 14: *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.*

Tria illa adsunt, quae ad sacramentum novae legis requiruntur.

1. *Signum externum*, sc. impositio manuum. « Per impositionem manuum mearum ». Quae quidem manuum impositio non est eadem, quae fit in confirmatione, sed est alia, et quidem *ordinis propria.* Colligitur ex eo, quod *a)* 1. Tim. 4, 14. dicitur: cum impositione manuum *presbyterii* i. e. collegii sacerdotalis. Nam in administranda confirmatione impositio manuum presbyterii nec fit nec unquam facta est, in conferendo sacramento ordinis fit. — *b)* In utraque illa epistola s. Timotheus spectatur ut *pastor animarum.* Ergo etiam gratia, ad quam curandam et resuscitandam admonetur, est ea gratia, quae ipsi ut animarum pastori data est. Ergo et impositio manuum Apostoli, qua illam gratiam accepit, est ea manuum impositio, qua pastor animarum est factus.

2. *Collatio gratiae*, et quidem non solum gratis datae, sed etiam gratum facientis. Nam *a)* immediate post locum priorem haec dicuntur: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis.* Ergo per impositionem manuum data est ea gratia, quae complectitur vel producit *virtutes* fortitudinis, dilectionis, sobrietatis, quae quidem gratia non est gratis data, sed gratum faciens. — *b)* De illa gratia ea praedicantur, quae multo aptius intelliguntur de gratia gratum faciente, quam de charismatibus, sc. α) eam per se esse aliquid *permanens*, (« quae in te est ») — β) eam *posse negligi et iterum resuscitari* (« Noli negligere Μὴ ἀμέλει. — Admoneo te, ut resuscites ἀναζωπυρεῖν » = excitare velut ignem). — *c)* Nec obstat, quod ad significandam gratiam in textu originali positum est « τὸ χάρισμα ». Nam hoc vocabulum a s. Paulo non solum adhibetur ad significandas gratias gratis datas, sed etiam ad significandum *quodcunque donum supernaturale* gratia gratum faciente haudquaquam exclusa. Constat ex multis locis, ut Rom. 1, 11; 5, 16; 1. Cor. 1, 7; 7, 7; 12, 31. coll. 13, 1.

Rom. 5, 16: *Gratia* (τὸ δὲ χάρισμα) *autem ex multis delictis in iustificationem.* — Ceterum vocabulum χαρίσματος consulto apteque est positum.

Nam per ordinem non solum gratia gratum faciens datur, sed etiam spiritualis potestas, quae pertinet ad genus gratiae gratis datae et insuper primis temporibus charismata plerumque addebantur.

3. *Institutio Christi atque ea in perpetuum valitura* eodem pacto supponi debet, quo in confirmatione et extrema unctione, idque eo magis, quod, ut in tractatu de Ecclesia probatur, Christus in ipsa instituit statum clericalem a statu laicali distinctum.

II. Ex Traditione. 1. *Ex ss. Patribus,* qui:

a) Ordinem vocant sacramentum. (Ss. Aug., Leo M., Greg. M.)

Aug.[1] comparans baptismum et ordinem dicit: « Utrumque *sacramentum est* et quadam consecratione datur; illud, cum baptizatur, istud, cum ordinatur, ideoque in catholica utrumque non licet iterari ». — Et[2]: « Si utrumque sacramentum est, quod *nemo dubitat,* cur illud non amittitur (per apostasiam) et illud amittitur? Neutri sacramento iniuria facienda est ». — *Leo M.* loquens de ordine admonet[3] ut recolatur, « quanta et dantium et accipientium devotione curandum sit, ne *tantae benedictionis sacramentum* negligenter videatur impletum ». — *Greg. M.*[4]: « *Sacrorum ordinum sacramenta* ab ecclesiae doctoribus foris accipimus, sed sacramentorum virtute ab omnipotenti Deo interius roboramur. Virtus vero sacramenti gratia est Spiritus septiformis. Quam certe gratiam qui accipiunt, quasi alio accepto corde immutantur, quia, quos gratia sua Spiritus Sanctus roborat, eos facit esse protinus, quod non erant ».

b) Ordinem comparant cum aliis sacramentis. (Ss. Hieron. et Aug.).

Hieron.[5]: « Si in fide sua baptizato baptizans nocere non potuit, et in fide sua sacerdotem constitutum constituens non inquinavit ». — *Aug.* sub *a).*

c) Docent per ordinem gratiam conferri. (Ss. Greg. Nyss., Chysost., Cyrill. Alex., Greg. M.).

Greg. Nyss.[6]: « Eadem verbi vis etiam sacerdotem augustum et honorandum facit novitate benedictionis a communitate vulgi separatum. Cum enim antea unus e multitudine ac plebe fuerit, repente fit praeceptor, praeses, doctor pietatis et mysteriorum occultorum praesul; eaque contingunt ei, cum nihil vel corpore vel forma mutatus, quod ad speciem externam attinet, ille sit, qui erat, *invisibili quadam vi ac gratia* invisibilem animam in melius

---

[1] Contra ep. Parm. l. 2, c. 13, n. 28.
[2] Ib. n. 30.
[3] Ep. 9. ad Diosc.
[4] In 1. Reg. l. 4, c. 5, n. 23.
[5] Adv. Lucif. c. 11.
[6] Or. in bapt. Christi.

transformatam gerens ». — *Chrys.*[1]: « Nisi nunc etiam esset arrhabo spiritus... sacerdotes non habuissemus; neque enim has ordinationes sine *tali descensu* fieri est possibile ». — *Cyrill. Alex.*[2]: « Dominus noster Iesus Christus, in veritatis vim figura legis (veteris) translata, divinorum altarium sacerdotes per se ipsum perfecit... Perfecit vero *per veram sanctificationem* suae naturae participes *communicatione Spiritus* efficiens ». — *Greg. M.* sub *a)*.

d) Sacerdotium appellant potestatem vel dignitatem supernaturalem vel supernaturaliter concessam. (Ss. Greg. Nyss. et Chrysost., qui de sacerdotio scripsit sex libros eosque praestantissimos).

Greg. Nyss. sub *c)*. — *Chrysost.*[3]: « Sacerdotium in terra peragitur, sed coelestium ordinum classem obtinet, et iure quidem merito. Non enim homo, non angelus, non archangelus, non alia quaepiam creata potestas, sed *ipse Paracletus hoc officium ordinavit,* qui manentibus in carne auctor fuit, ut angelorum ministerium animo conciperent... Si quis secum reputat, quantum illud sit... tunc probe intelligat, *quanto honore Spiritus gratia sacerdotes ornaverit.*

2. *Ex consensu* Graecorum, etiam schismaticorum aliorumque orientalium.

III. Ratione congrua. Per ordinem homo instruitur potestate spirituali, et publicus Ecclesiae minister constituitur. Sed id ritu externo fiat necesse est, cum secus neque ipsi neque aliis innotescere posset. Praeterea divinae bonitati congruit per eundem ritum conferre gratiam, qua homo valde indiget ad munus dispensationis mysteriorum Dei (1. Cor. 4, 1.) debite administrandum. Denique per sacramenta fit, ut homines constituantur membra gregis Christi et milites exercitus eius; ergo etiam congruit homines per sacramentum constitui gregis pastores et exercitus duces.

Scholion. *Figurae* sacramenti ordinis fuerunt ritus, quibus sacerdotes et levitae veteris testamenti initiabantur.

ARTICULUS II.

DE SACRAMENTALITATE DIVERSORUM ORDINUM IN SPECIE.

1. In Ecclesia *latina* sunt *quatuor ordines minores* seu non sacri, sc. ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, acolythatus. In Ecclesia *graeca* sunt *duo:* lectoratus et subdiaconatus.

---

[1] Hom. de resurr. mort. n. 8.

[2] In Io. 20.

[3] De sacerd. n. 4. et 5.

2. In Ecclesia *latina* sunt *tres ordines maiores* seu sacri, nimirum subdiaconatus, diaconatus, sacerdotium, atque id duplicis ordinis, nempe sacerdotium secundi ordinis seu presbyteratus et sacerdotium primi ordinis seu episcopatus. In Ecclesia *graeca* sunt *duo:* diaconatus et sacerdotium utriusque ordinis.

3. Ad rogatum, quinam ex his ordinibus sint *a Christo instituti,* respondetur a Trid. sess. 23, can. 6. sic definiente: Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, a. s.

Ministri illi iuxta sententiam certam sunt diaconi. Si enim hi non sunt, quinam sunt? Nam diaconi inter ministros primum locum obtinent, et omnia ministeria inferiora, ut longe plurimi haud immerito censent, non a Christo, sed ab Ecclesia sunt instituta.

Tres illos ordines re vera esse divinitus institutos probari solet in theologia generali.

§ I. *De ordinibus non sacramentalibus.*

I. Quatuor ordines minores iuxta opinionem nunc multo communiorem neque a Christo sunt instituti neque habent rationem sacramenti.

Probatur: 1. *Ex parte eorum exsistentiae: a)* Ante saeculum tertium ordinum minorum nullibi fit mentio; ne ibi quidem, ubi omnes gradus clericatus enumerantur, ut in scriptis s. Ignatii M., Clementis Alex., Origenis. — *b)* A saeculo tertio non semper ubique vigebant iidem ordines. — *c)* In Ecclesia graeca solus lectoratus reperitur.

2. *Ex parte effectuum.* Ministeria, ad quae clerici minores deputantur, nec sunt ea, quae characterem et gratiam sacramentalem postulent, et nunc a laicis solent exerceri.

3. *Ex parte ritus.* Ordines minores non conferuntur impositione manus nec verbis, quae ullo modo exprimant collationem gratiae. Gratia igitur, quae ad susceptionem eorum datur, non datur ex opere operato, sed ita confertur, ut mediantibus aliis sacramentalibus conferri solet.

II. Etiam subdiaconatus iuxta opinionem nunc communiorem non est a Christo institutus nec rationem habet sacramenti.

Probatur: 1. *Ex parte eius exsistentiae.* Antiquissimis Ecclesiae temporibus non videtur exstitisse. Nam prima eius mentio continetur epistola Cornelii Papae (251-252).

2. *Ex parte vel ritus vel aestimationis.* In Ecclesia latina nec impositione manus confertur nec verbis collationem gratiae exprimentibus. In Ecclesia graeca confertur quidem per impositionem manus coniunctam cum oratione, qua gratia Spiritus sancti super ordinandum imploratur, sed non habetur ordo sacer. Nec in Ecclesia latina primis saeculis erat in numero ordinum sacrorum.

Scholion. Scholastici quidem longe plurimi putabant non solum subdiaconatum, sed etiam quatuor ordines minores et divinitus institutos esse et rationem sacramenti habere. Tamen aliqui eorum id aut quoad ordines minores tantum aut etiam quoad subdiaconatum impune negabant, unde apparet illud numquam fuisse sententiam vere communem.

Ordines minores esse sacramenta iam implicite negabant *Hugo Victorinus* et *Petrus Lomb.* [1], docendo sc. hos ordines primitus in Ecclesia non fuisse et sola auctoritate ecclesiastica institutos esse. Postea illud magis explicite negabant *Durandus, Caietanus, Dom. de Soto, Vasquez,* alii. Item *Gratianus* et cum eo plurimi *canonistae.* — Subdiaconatum esse sacramentum iidem fere negabant, qui ordines minores non habebant pro sacramentis, si excipias praesertim Dom. de Soto et Vasquez. — Sunt quoque, qui sententiam negantem et affirmantem conciliare conentur statuendo subdiaconatum atque ordines minores in tantum esse divinae institutionis, in quantum includantur in diaconatu et ex eo tamquam rivuli promanent, atque hoc sensu vocari posse sacramenta imperfecta seu incompleta. Ita *Thomassinus* et *Liebermann.*

§ II. *De ordinibus sacramentalibus.*

THESIS I. **Diaconatus habet rationem sacramenti.**

Est *certum.*

Probatur: 1. Diaconatus in tota Ecclesia, tam occidentali quam orientali, confertur impositione manuum et verbis, quae collationem *gratiae* Spiritus Sancti aliquo modo exprimunt. In latina diserte dicitur: Accipe Spiritum Sanctum etc. Sed *Trid.* sess. 23, can. 4. definivit: Si quis dixerit per sacram

[1] 4, dist. 24.

ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum..., a. s.

2. *S. Hieron.* de episcopis diaconos ordinantibus dicit [1] eos Christi *sacramenta* distribuere.

S. Chrysost. de septem primis diaconis scribit [2]: «Vide, quam non superflue scriptor loquatur. Non enim dicit, quomodo, sed simpliciter, quod ordinati sint impositione manuum et prece. Hoc enim est ordinatio. Manus viri superimponitur; *totum vero Deus operatur*, eiusque manus est, quae tangit caput ordinati, si, quemadmodum oportet, ordinetur».

Nota. Act. 6, 1-6. legitur: *In diebus autem illis crescente numero discipulorum factum est murmur Graecorum adversus Hebraeos, eo quod despicerentur in ministerio* (ἐν τῇ διακονίᾳ) *quotidiano viduae eorum. Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt: Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis. Considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus... Et elegerunt Stephanum... etc. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus.* — Ex quibus verbis non apparet, septem illos viros institutos esse diaconos; nam ii, qui eliguntur, non modo non hoc sed ne alio quidem Scripturae loco diaconi vocantur. Traditione autem antiqua et universa discimus ibi sermonem esse de institutione diaconorum. Sed hac traditione doctrina certa et communis, iuxta quam diaconatus et a Christo institutus est et habet rationem sacramenti, non labefactatur.

Nam. 1. Ex eo, quod querela illa occasio fuit primos diaconos ordinandi, non licet concludere diaconatum non esse institutum a Christo. Econtra non est dubium, quin Christus, qui ipse tres ordines sacramentales instituit, Apostolis dederit potestatem ac mandatum eos, cum tempus poposcerit, inducendi atque conferendi.

2. Diaconos neque unice neque principaliter ad curam de pauperibus agendam institutos esse colligitur *a)* ex historia Stephani (Act. 6, 7; 7, 59) et Philippi (Act. 8, 5-40) et posteriore historia ecclesiastica; *b)* ex testimoniis ss. Patrum, qui dicunt diaconos esse ministros mysteriorum Christi (Ign.), in liturgia distribuere eucharistiam (Iust. M.), pertinere ad hierarchiam ecclesiasticam (Clem. Alex.), praesidere fidelibus (Orig.).

THESIS II. **Presbyteratus habet rationem sacramenti.** Est *certissimum.*

Probatur: I. Ratione theologica. Si ordo in genere est sacramentum, absque dubio ille ordo rationem sacramenti habet, quo datur potestas consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Christi et remittendi vel retinendi peccata (Trid.

[1] Adv. Vigilantium, n. 2.
[2] Hom. 14. in Act. n. 3.

sess. 23, can. 1.), quo ordinantur ministri extremae unctionis, ministri ordinarii baptismi, extraordinarii confirmationis, in cuius collatione episcopus dicit: Accipe Spiritum Sanctum (Ib. can. 4.), quem si quis accepit, laicus rursus fieri non potest (Ib.).

II. Ex Traditione. In Ecclesia presbyteratus ab initio et passim sacramentum est habitum.

Nota. Iuxta 1. Petr. 2, 9. et Apoc. 1, 6. omnes fideles sunt sacerdotes, sed ii tantum improprie dicti, quippe qui sacrificia improprie dicta Deo offerant.

THESIS III. **Episcopatus habet rationem sacramenti.** Est sententia *nunc communis*.

Probatur: I. Quodammodo ex Scriptura. Ordinatio s. Timothei 1. Tim. 4, 14. et 2. Tim. 1, 6. commemorata sacramentum est. Sed ordinatio illa videtur esse ordinatio episcopalis. Hoc enim 1. colligi potest ex eo, quod Apostolus ibi agit de iis officiis, quae sunt episcoporum; 2. satis communiter docetur ab expositoribus, non solum modernis, sed etiam antiquis, ut s. Chrysostomo et Oecumenio.

II. Ex Traditione. Ss. Patres eodem modo loquuntur de ordine episcoporum, quo de ordinibus presbyterorum et diaconorum. Itaque, si admittitur presbyteros et diaconos constitui per sacramentum, id de episcopis negari nequit.

Nonnulli ss. Patrum de ordine episcopatus ut de sacramento etiam magis expresse loquuntur. Ita *s. Aug.*, qui in sermone habito ad plebem Caesariensem de episcopis Donatistis ad Ecclesiam redeuntibus (n. 2.) haec dicit: « Non sic illos suscipimus, ut sunt; absit a nobis; nam haeretici sunt. Suscipimus autem catholicos; mutantur, suscipiuntur... Bona, quae in illis agnoscimus, non sunt sua: Domini nostri habent bona; Ecclesiae habent bona. *Baptismus* non est ipsorum, sed Christi. Invocatio nominis Dei super caput ipsorum, quando ordinantur *episcopi*, invocatio illa Dei est, non Donati... In errante et deserente milite crimen est desertoris, character autem non est desertoris, sed imperatoris ». His igitur verbis ordinatio episcopalis aequiparatur baptismo, unde concludere fas est s. Augustinum illam non minus quam hunc pro sacramento habuisse.

III. Ratione theologica desumpta:

1. *Ex ritu ordinationis episcopalis.* Qui quidem ritus tam apud Latinos quam apud Graecos est impositio manuum (et libri evangeliorum), et apud illos verba: Accipe Spiritum

Sanctum, quae non frustra dici Trid. sess. 23, can. 4. definivit, ac preces subsequentes, apud hos sola oratio.

2. *Ex effectu ordinationis episcopalis.* Praeter potestatem ordinariam administrandi confirmationem datur potestas inamissibilis administrandi sacramentum ordinis. Sed haec potestas supponit respondentem characterem aeque inamissibilem, quocum gratiam dari non sine causa potest coniici.

Scholion. Quamquam medio aevo scholastici communiter fere opinati sunt ordinationi episcopali rationem sacramenti non competere, tamen pauci tunc fuerunt, qui eandem sacramentum esse admitterent, ut Gulielmus Altisiodorensis (Auxerre — saec. 13.), Durandus, Paludanus (O. P. — Gallus — saec. 14). Ex canonistis autem multi hoc affirmarunt.

CAPUT II.

De Materia et Forma Sacramenti Ordinis.

I. De essentiali materia et forma *omnium* ordinum sacramentalium *totius Ecclesiae* hoc statuendum est: Materia eorum est impositio vel etiam extensio manus vel manuum episcopi; forma sunt verba ei respondentia. Haec in Ecclesia latina sunt potissimum, in graeca unice deprecativa, eaque materiam partim concomitantur, partim immediate subsequuntur. In his materiam et formam ordinum illorum consistere respectu Ecclesiae graecae indubitatum est, quia in ea nihil aliud invenitur, de quo quaestio possit esse; respectu Ecclesiae latinae nunc communiter fere est receptum.

II. De *singulis* ordinibus sacramentalibus, prout in Ecclesia *latina* conferuntur, haec sunt notanda:

1. In collatione *diaconatus et episcopatus:*

a) Traditio vel impositio *libri evangeliorum* a Christo instituta esse *non* potest, quia neque scriptio eorum praecepta est et plurimi episcopi ac diaconi valide ordinati sunt, priusquam evangelia in lucem sunt edita.

b) Verba: *Accipe Spiritum Sanctum* etc., quae impositionem manus vel manuum episcopi concomitantur, *antiquitus non* dicebantur.

2. In collatione *presbyteratus:*

a) Traditio instrumentorum, quae a plurimis scholasticis sola, ab aliis una cum impositione manuum materia essentialis est habita, ea *non* est. Nam:

α) S. Scriptura et ss. Patres effectum ordinationis numquam traditioni instrumentorum, semper impositioni manuum adscribunt.

β) Traditio instrumentorum in Ecclesia graeca non fit. Eadem nec in Ecclesia latina novem saltem prioribus saeculis facta est. Nam in nullis libris ritualibus tunc temporis scriptis invenitur.

γ) Non obstat, quod Eugenius IV. in decreto pro Armenis edito traditionem instrumentorum materiam appellat. Nam Pontifex loquitur, ut ipse Benedictus XIV. affirmat, de materia integrante atque accessoria, quae manuum impositioni ab Armenis semper adhibitae sit superaddenda.

b) Forma et materia essentialis habeatur non solum *exhortatio ad orandum* facta per verba: Oremus, fratres carissimi etc. coniuncta cum *extensione manus dexterae,* sed etiam *impositio manuum ante eam* silentio facta et praesertim *Oratio:* Exaudi nos etc. post eam recitata.

CAPUT III.

De Ministro Sacramenti Ordinis.

THESIS. **Solus episcopus est minister ordinarius sacramenti ordinis.**

De fide ex ordinario magisterio Ecclesiae et Trid. sess. 23, cap. 4. et can. 7. etc.

Probatur: I. Ex Scriptura, in qua legimus potestatem ordinandi a solis Apostolis esse exercitam et solis episcopis adscribi. Act. 6, 6; 14, 22; 1. Tim. 4, 14; 5, 22. 2. Tim 1, 6. Tit. 1, 5.

II. Ex Traditione. 1. *Ex ss. Patribus,* ut Athan., Epiph., Hieron., qui scribit [1]: « Quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat »?

[1] Ep. 146. ad Evang. n. 1.

Athan.[1]: « Se presbyterum actitabat (Ischyras); tametsi non presbyter (fuit). Ordinatus quippe fuit a Collutho presbytero, qui falso episcopi nomine gloriabatur demunque in communi synodo ab Hosio et sociis eius episcopis celebrata ad priorem presbyteri ordinem redactus est. Ac consequenter quotquot a Colutho fuerant ordinati, ii sunt ad priorem reversi conditionem ». — *Epiph.*[2]: « Totum illud (Aerii dogma) stoliditatis esse plenissimum prudens quisque facile perspicit, velut cum episcopum ac presbyterum adaequare conatur. Hoc enim constare qui potest? Siquidem episcoporum ordo *ad gignendos patres* praecipue pertinet. Huius enim est patrum in Ecclesia propagatio. Alter, cum patres non possit, filios Ecclesiae regenerationis lotione producit, non tamen patres aut magistros. Quinam vero fieri potest, ut is presbyterum constituat, *ad quem creandum manuum imponendarum ius nullum habeat?* Aut quomodo presbyter episcopo dici potest aequalis » ?

2. *Ex conciliis,* quae docent ordinationes faciendas esse ab episcopis. Ita Nicaen. I. can. 4.

3. *Ex consensu* totius Ecclesiae et sectarum orientalium.

« Ministrum sacramenti ordinis esse solum episcopum, ut in tota Dei Ecclesia, ita et *apud Orientales* pro irrefragabili fundamento semper habitum est ». Denzinger, Rit. orient. I, 141.

III. Ratione congrua. In quolibet regno *principum* est munera publica distribuere; sed principes in Ecclesia sunt episcopi.

Scholion. Est quidem de fide presbyterum non esse ministrum *ordinarium* sacramenti ordinis. Sed praeterea *certum* est eum *nec extraordinarium* ministrum posse esse respectu ordinum *presbyteratus et episcopatus,* seu eum per delegationem non posse accipere potestatem hos ordines valide conferendi. Idem *probabilius* est quoad conferendum ordinem *diaconatus.* Nam constat delegationem eum conferendi nostris temporibus presbytero numquam dari; eandem autem aliquando (sc. ab Innocentio VIII. quinque abbatibus Cisterciensibus) datam esse nequaquam constat. Itaque poni potest hoc axioma: Tres ordines sacramentales non possunt valide conferri nisi ab episcopo. Id certum est quoad episcopatum et presbyteratum, probabilius quoad diaconatum.

---

[1] Apol. contra Arianos, n. 75.
[2] Haer. 75, n. 4.

CAPUT IV.

De Effectibus Sacramenti Ordinis.

Per sacramentum ordinis:

I. Modo *valide* suscipiatur, *character* sacramentalis imprimitur, et quidem iuxta sententiam multo communiorem *per unumquemque* trium ordinum sacramentalium *proprius*. Sententia enim paucorum, ut Paludani, secundum quam per susceptionem ordinis episcopatus character sacerdotalis solummodo ampliatur, satis communiter reiicitur. Ratio vero, cur per quemvis ordinem proprius character imprimatur, haec affertur: Ordine diaconatus characterem imprimi non minus certum est, quam eum esse sacramentum. Nam ex una parte a Trid. sess. 7, can. 9. (cf. pag. 203.) definitum est sacramento ordinis characterem imprimi, et ex altera parte diaconatus est primus ordo sacramentalis, qui proinde characterem ordinis, quem possit ampliare, non invenit: ordine autem presbyteratus confertur potestas, quae diacono non competit, et ordine episcopatus potestas datur, quae non est presbyteri. Sed potestas ordinis emanat ex ordinis charactere; ergo per eas ordinationes, per quas datur propria ordinis potestas, etiam imprimitur proprius sacramentalis character.

Per triplicem illum characterem homo plus minusve perfecte fit minister Christi sacerdotis.

Nota. Ordines non sacramentales, cum et ipsi stabilitatem quandam afferant, characterem conferunt legalem et ecclesiasticum ad instar graduum municipalium vel academicorum.

II. Si etiam *digne* suscipitur:

1. *Gratia sanctificans* una cum donis annexis augetur.

2. Datur *ius ad gratias actuales* suo tempore accipiendas ad officia ordinis respondentis digne ac devote implenda.

CAPUT V.

De Subiecto Sacramenti Ordinis.

Iuxta sententiam communem diaconatum et presbyteratum quilibet mas baptizatus valide suscipere potest. Episcopatum

vero nemo nisi presbyter valide potest recipere. Cuius ratio haec est: Episcopus est summus *sacerdos*. Praecipua autem potestas sacerdotalis est potestas consecrandi; sed haec per ordinationem episcopalem, qualis reapse fit, non datur, sed supponitur; ergo eam praecedere debet alia ordinatio, qua potestas consecrandi re vera detur, et ea est ordinatio presbyterialis.

PARS OCTAVA.

DE MATRIMONIO.

Praenotanda de notione matrimonii.

1. Matrimonium spectari potest active seu in fieri et passive seu in facto esse. Active spectatum est contractus matrimonialis, qui fit mutuo viri et mulieris consensu de praesenti aliquo modo expresso. Hic contractus a Christo ad dignitatem sacramenti est evectus, quo coniunctio Christi cum Ecclesia significatur et coniugibus gratia confertur.

2. Sacramentum igitur matrimonii breviter *definiri* potest: contractus matrimonialis a Christo ad dignitatem sacramenti evectus; vel plenius: contractus matrimonialis, quo significatur unio Christi cum Ecclesia et coniugibus confertur gratia ad statum ipsorum accommodata.

CAPUT I.

De Exsistentia Sacramenti Matrimonii.

THESIS I. **Matrimonium est verum novae legis sacramentum.**

De fide ex Trid. sess. 24, can. 1: Si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum neque gratiam conferre, a. s.

Opponitur Protestantibus.

Probatur: I. Quodammodo ex Scriptura. Eph. 5, 22-32: *Mulieres viris suis subditae sint... Sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. Viri*

diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret... Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae; et erunt duo in carne una. (Quae verba ab Ada divinitus inspirato sunt pronuntiata. Gen. 2, 24.) *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (Τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστίν· ἐγὼ δὲ λέγω εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν); i. e. ego autem hoc dico respiciens ad Christum et ad Ecclesiam. — Sensus igitur verborum illorum hic videtur esse: Mysterium magnum in eo consistit, quod vir relinquens patrem et matrem et adhaerens uxori suae, ut cum ea unam carnem se faciat, repraesentat Christum descendentem de coelo et adhaerentem Ecclesiae suae, ut cum ea qua caput eius unum corpus mysticum constituat. Ex loco ita intellecto haec deducuntur:

1. Matrimonium ex positiva ordinatione Dei repraesentat seu *significat unionem* Christi cum Ecclesia.

2. Unio Christi cum Ecclesia fit per gratiam gratum facientem, quam in eam continuo infundit (v. 26: ut illam sanctificaret). Ergo matrimonium significando illam unionem etiam hanc *gratiam significat*, quippe quae sit vinculum, quo extrema uniantur.

3. In novo testamento seu in Ecclesia quivis ritus, qui a Deo vel Christo ipso institutus est, ut gratiam significet, hanc etiam *producere videtur*. Hoc enim *a)* respondet indoli novae legis, quae est lex gratiae; — *b)* concordat cum mente s. Pauli in epistola ad Galatas potissimum expressa, in qua (4, 9) omnes ritus veteris legis, consequenter etiam eae, quae gratiam significabant, elementa vocantur infirma atque egena. Si igitur repraesentatio unionis Christi cum Ecclesia in novo testamento gratiam solummodo significaret, ipsa non minus quam ritus veteris testamenti ex mente s. Pauli vocanda esset elementum infirmum atque egenum. Sed repraesentationem unionis illius mirabilis esse eiusmodi tantum elementum vix est probabile, idque eo minus, quod eadem repraesentatio ab Apostolo *magnum* vocatur mysterium. In lege enim gratiae id, quod gratia destituitur, vere magnum vix potest dici.

Conclusio. Ex iis igitur, quae exposita sunt, haec concludere fas est: Matrimonium in nova lege significat et confert gratiam, seu est signum efficax gratiae. Est quoque signum

externum; nam est consensus viri et mulieris expressus, sine quo matrimonium fieri nequit. Hoc autem ex sola institutione divina et ea quidem in perpetuum valitura habere, ut gratiam conferat, eodem pacto coniiciendum est, quo in aliquot aliis sacramentis. Ergo contractus matrimonialis in novo testamento est sacramentum.

II. Ex Traditione. 1. *Ex ss. Patribus*, iuxta quos: *a)* Matrimonium Christianum est contractus non profanus, sed sacer, et celebratur coram Ecclesia. (Tertull., ss. Ambr., Siricius Papa).

Tertull.[1]: « Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem eius matrimonii, quod *Ecclesia conciliat*, et confirmat oblatio, et *obsignat benedictio*, angeli renuntiant, Pater rato habet ». — *Ambr.*[2] scribit « ipsum coniugium velamine sacerdotali et benedictione *sanctificari* ». — *Siricius*[3] docet « instar sacrilegii esse, si ulla transgressione violetur illa *benedictio*, quam nupturae sacerdos imponit ».

b) Matrimonium a Christo in nuptiis Canae habitis speciali modo est consecratum et sanctificatum (Ss. Aug., Cyrill. Alex.).

Aug.[4]: « Ad hoc ergo Dominus invitatus venit ad nuptias, ut coniugalis castitas firmaretur, et ostenderetur *sacramentum nuptiarum* ». — *Cyrill. Alex.*[5]: « Cum nuptiae celebrarentur, caste nimirum et honeste, adest quidem Mater Salvatoris, sed et ipse una cum discipulis suis invitatus venit, non tam epulaturus, quam ut miraculum faceret ac propterea generationis humanae principium *sanctificaret*, quod ad carnem nimirum attinet. Conveniebat enim, ut, qui naturam ipsam hominis renovaturus erat, non solum iis, qui iam in ortum vocati erant, benedictionem impertiret; sed et iis quoque, qui postea nascituri essent, gratiam praestrueret et eorum ortum sanctum efficeret ».

c) Matrimonium Christianum est sacramentum. *S. Aug.*[6]: « Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam *in sanctitate sacramenti*.

Idem vero de sacramentis haec dicit[7]: « Si discernimus duo testamenta, vetus et novum, non sunt eadem sacramenta... quia alia sunt sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi testamenti *dant salutem*, sacramenta veteris testamenti promiserunt Salvatorem ». — Si

---

[1] Ad uxor. l. 2, c. 9.
[2] Ep. 19. ad Vigil. n. 7.
[3] Ep. 1. ad Siric. Tarrac. c. 4.
[4] In Io. tr. 9, n. 2.
[5] C. 2. in Io. 2, 1.
[6] De bono coniug. c. 24, n. 32.
[7] In ps. 73, n. 2.

igitur s. Aug. ex una parte docet in matrimonio Christianorum rationem sacramenti inesse, et ex altera parte affirmat sacramenta novi testamenti dare salutem seu gratiam, concludendum est eum matrimonium habuisse pro sacramento stricte dicto.

2. *Ex consensu totius Ecclesiae,* tam latinae quam graecae, et sectarum orientalium, qui quidem consensus patet ex antiquissimis ritualibus et sacramentariis.

3. *Argumento praescriptionis.*

III. Ratione congrua. Matrimonio coniugibus onera atque officia gravissima imponuntur. Indoli autem religionis Christianae convenit, ut illis, quibus ea imponuntur, respondentes conferantur gratiae. Sed gratiae fidelibus dari solent per sacramenta, et quidem per plura, quae singulis necessitatibus spiritualibus respondeant. Ergo congruum est etiam gratias statui matrimoniali speciatim necessarias dari per speciale sacramentum.

Glossatores et aliqui canonistae per errorem negarunt matrimonium rationem sacramenti habere. — Dictum illud Petri Lombardi [1] coniugium esse ad remedium tantum (baptismum econtra ad remedium et gratiam, eucharistiam ad gratiam tantum) sic potest intelligi: Gratia sacramentalis matrimonii proxime datur ad reprimendam inordinatam concupiscentiam, non ad augendam caritatem.

Scholion. Christus sacramentum matrimonii probabilius instituit post resurrectionem, quando cum discipulis loquebatur de regno Dei (Act. 1, 3).

Alii censent Christum id instituisse, quando Canae interfuerit nuptiis, alii, quando illud ad primaevam indissolubilitatem reduxerit (Matth. 19, 6).

THESIS II. **Sacramentum matrimonii nihil aliud est nisi ipse contractus matrimonialis Christianorum.**

Est sententia *nunc communis.*

Opponitur: 1. *Gallicanis multis et Iosephinistis,* qui docuerunt solam benedictionem sacerdotalem contractui matrimonii superadditam habere rationem sacramenti. 2. *Melchiori Cano,* qui putavit contractum esse materiam, benedictionem esse formam sacramenti matrimonii.

Explicatur: Vera igitur doctrina haec est: Matrimonium a Christo non sic factum est sacramentum, ut contractui na-

[1] L. 4, d. 2.

turali additum sit aliquod signum externum et efficax gratiae, nempe benedictio sacerdotalis; sed sic, ut ipse contractus ad dignitatem sacramenti sit elevatus. Itaque ex absoluta Dei voluntate ratio sacramenti a contractu matrimoniali valido Christianorum seiungi nequit.

Probatur: I. Quodammodo ex Scriptura. Iuxta Eph. 5, 31. 32. apud Christianos ibi est sacramentum magnum, ubi fit verum illud: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* Sed hoc evenit in omni matrimonio valido.

II. Ex Traditione et mente Ecclesiae. 1. *Ex Conciliis.* *a) Florent.* in decreto pro Armenis in bulla Eugenii IV. haec habet: Causa efficiens matrimonii (sc. sacramenti matrimonii, de quo unice agitur) regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus, = est mutuus consensus de praesenti regulariter seu ordinarie per verba (extraordinarie alio modo) expressus. Sed hic mutuus consensus est ipse contractus matrimonialis. Ergo ipso contractu sacramentum matrimonii conficitur. Quo si non conficeretur, alia causa assignari debuisset.

b) Trident. sess. 24, cap. 1. (Tametsi)[1] decreti de reformatione matrimonii docet matrimonia clandestina esse rata et vera matrimonia, quamdiu ab Ecclesia non sint facta irrita, et eos, qui hoc negant, anathemate damnat. Sed matrimonium ratum ex loquendi usu Ecclesiae proprio illud est, quod, cum contrahitur, habet rationem sacramenti. Ergo ea matrimonia, quae sine ulla benedictione sacerdotali contrahuntur, rationem sacramenti possunt habere. Ergo haec ratio sita esse non potest nisi in ipso matrimoniali contractu.

[1] Dicit e. g. Innocentius III. in decret. l. 4, tit. 19, cap. 7: « Nam etsi matrimonium verum inter infideles exsistat, non tamen est ratum; inter fideles autem et verum et ratum exsistit, quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, numquam amittitur, sed ratum efficit coniugii sacramentum ».

2. *Ex declarationibus Summorum Pontificum.*

a) Pius VI. a. 1788. ad episcopum Motulensem scripsit: « *Contractus* matrimonialis est vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis ».

b) Pius IX.: α) A. 1852. in litteris ad Victorem Emmanuelem regem missis et *in allocutione* habita asseruit: « Nemo ex catholicis ignorat aut ignorare potest matrimonium esse

vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, *quin* uno eodemque tempore *sit sacramentum* ». Sed ubi lex Tridentina, qua matrimonia clandestina irrita esse iubentur, promulgata non est, matrimonium clandestinum Christianorum est validum; ergo est etiam sacramentum. — β) *In syllabo* damnavit hanc propositionem: Matrimonii sacramentum non est nisi *quid contractui accessorium* ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

c) Leo XIII. a. 1880. in encyclica « Arcanum » docuit in matrimonio Christiano contractum a sacramento *non esse dissociabilem*, atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum.

3. *Ex consensu theologorum*, qui usque ad saec. 16. fuit unanimis.

Scholion. De sacramentalitate variorum contractuum matrimonialium haec sunt tenenda:

I. *Matrimonium infidelium* i. e. non baptizatorum:

1. *Non est sacramentum.* Sed licet gratiam non conferat, tamen probabilius significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, id quod docent Innocentius III., qui illud vocat sacramentum, Honorius III., Leo XIII. in encyclica « Arcanum » dicendo: « Cum matrimonium habeat Deum auctorem *fueritque vel a principio quaedam incarnationis Verbi Dei adumbratio*, idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam ».

2. *Fit sacramentum, quando ambo baptizantur*, ut theologi nunc communiter sentiunt contra multos Thomistas et Vasquez. Sacramentum autem fit, licet consensus expresse non renovetur, id quod contra alios Thomistas et Bellarminum nunc plurimi tenent. Qui quidem contendunt consensum olim expressum in coniugibus habitualiter perseverare eosque per idipsum, quod suscipiunt baptisma, ostendere se velle in futurum esse coniuges Christianos.

3. *Non fit sacramentum, si tantummodo alteruter coniugum baptizatur.* Id inde concluditur, quod, licet fuerit consummatum, tamen positis certis conditionibus quoad vinculum solvi potest, cum matrimonium, quod habet rationem sacramenti, post consummationem quoad vinculum solvi omnino non possit.

II. Matrimonium, quod cum dispensatione Ecclesiae inter *fidelem* i. e. baptizatum *et infidelem* i. e. non baptizatum contrahitur, *pro contrahente fideli probabilius habet rationem sacramenti*. Nam: 1. Non repugnat eundem contractum rationem sacramenti habere pro ea parte, quae sacramenti recipiendi est capax, non habere pro parte incapaci. Simili enim modo, si matrimonium contrahitur a duobus Christianis, fieri potest et saepius fit, ut idem contractus gratiam conferat uni parti, sc. parti dispositae, non conferat alteri parti, sc. parti indispositae. 2. Ecclesia in matrimonium eatenus habet potestatem, quatenus hoc est sacramentum. Sed Ecclesia sibi vindicat potestatem in matrimonium a fideli cum infideli contrahendum, quod quidem ostendit per hoc, quod statuit impedimentum dirimens disparitatis cultus.

Sunt tamen, qui censeant cum *Sanchez* matrimonium illud nec pro parte fideli rationem sacramenti habere, cum contractus matrimonialis non magis possit esse sacramentum pro una parte, non sacramentum pro altera, quam validus esse possit pro una, invalidus pro altera parte.

III. Matrimonium, quod *per procuratores vel litteras* etc. contrahitur, secundum opinionem communem eo tempore rationem sacramenti habet, quo *ita contrahitur*. Itaque, ut sit sacramentum, non eget ratihabitione ab utraque parte praesente postea facta, ut voluit Melchior Canus. Nam quidquid non repugnat matrimonii contractui, non repugnat matrimonii sacramento, cum illud et hoc sit unum idemque. Contractui autem matrimoniali non repugnat, quod non repugnat contractui generatim dicto.

CAPUT II.

De Ministro Et Materia Ac Forma Et Effectibus Sacramenti Matrimonii.

I. Consequenter iis, quae hucusque dicta sunt:

1. *Soli contrahentes sunt ministri* sacramenti matrimonii. Hi enim eo ipso, quod contractum perficiunt, sacramentum inter se administrant, scl. vir mulieri et mulier viro. Sacramentum igitur matrimonii ministros consecratos non habet, unde recte vocatur sacramentum laicorum.

2. *Sacerdos*, coram quo contractus ille perficitur, solummodo est: *a) testis* ab Ecclesia, ad cuius forum matrimonium pertinet, constitutus; — *b) minister solemnitatis* matrimonii, quod, cum sit aliquid ad religionem pertinens, ab eadem Ecclesia quibusdam caeremoniis est circumdatum.

II. *Materia (proxima) et forma* est ipse mutuus contrahentium *consensus* de praesenti expressus. Qui quidem consensus materia est, quatenus per eum ius matrimoniale (quod est materia remota circa quam) datur, forma est, quatenus per eum ius matrimoniale acceptatur. Nam in contractu, quo aliqua res traditur et acceptatur, traditio rei est inchoatio contractus seu pars determinabilis; acceptatio rei est consummatio contractus seu pars determinans.

Iuxta Rituale matrimonium sic contrahitur: Sponsus interrogatus, velitne accipere sponsam in legitimam uxorem, respondet: volo. Quo quidem uno verbo duo exprimuntur, quae sunt correlativa, sc. sponsum accipere sponsam in uxorem et sponsum se tradere sponsae in maritum. Consensus igitur per verbum « volo » expressus sub priore respectu consideratus est forma, sub altero materia. Idem valet mutatis mutandis de sponsa.

III. Per sacramentum matrimonii confertur:

1. *Gratia sanctificans per se secunda.*

2. *Ius ad gratias actuales* tempore suo dandas ad confirmandum amorem coniugalem, ad servandam mutuam fidelitatem, ad refrenandam libidinem, ad prolem bene educandam et familiam gubernandam etc.

CAPUT III.

De Proprietatibus Matrimonii.

Proprietates matrimonii sunt unitas et indissolubilitas. Hinc:

ARTICULUS I.

DE UNITATE MATRIMONII.

Unitate matrimonii excluditur simultanea polyandria ac polygamia. Polyandria simultanea matrimonio intrinsecus repugnat, quia per eam finis matrimonii primarius, sc. procreatio

et educatio prolis, labefactatur. Propterea neque unquam licita fuit et apud ipsas gentes feras ac barbaras raro est in usu. Econtrario simultanea polygamia matrimonio intrinsecus simpliciter non repugnat. Unde a Deo et permitti potest et aliquando ante promulgationem legis Christianae permissa est.

§ 1. *De unitate matrimonii ante legem Christianam.*

I. *Prima generis humani aetate* monogamia perfecta:

1. *Certe viguit.* Dicit enim Christus Matth. 19, 4. 5: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una* (εἰς σάρκα μίαν).

2. Iuxta sententiam *satis communem*, cui quidem adversantur Tostatus et Maldonatus, *sola fuit licita*, seu polygamia a Deo fuit prorsus vetita.

II. *Postero tempore* (post diluvium?) *polygamia a Deo permissa* est:

1. *Certe populo Iudaico.*

Nam: *a)* Teste Scriptura Abraham, Iacob, David aliique viri praestantes habebant plures uxores. Neque probabile est eos aut malitiam adulterii ignorasse aut per totam fere vitam mala fide in adulterio vixisse.

b) In Scriptura polygamia numquam reprehenditur, sed e contrario:

α) Insinuatur polygamiam a Deo esse permissam.

Deut. 21, 15-17: *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam et alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, et fuerit filius odiosae primogenitus, volueritque substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectae facere primogenitum et praeferre filio odiosae, sed filium odiosae agnoscet primogenitum dabitque ei de his quae habuerit cuncta duplicia: iste est enim principium liberorum eius, et huic debentur primogenita.* — 2. Reg. 12, 7. 8: *Dixit autem Nathan ad David:... Haec dicit Dominus... dedi tibi domum domini tui et uxores domini tui in sinu tuo.*

β) Pro aliquo casu, sc. ad ineundum matrimonium leviratus, polygamia postulatur.

Deut. 25, 5: *Quando habitaverint fratres simul et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius* (non additur: caelebs; ergo etiam uxoratus) *et suscitabit semen fratris sui.*

2. *Verisimiliter etiam aliis populis.* Secus enim populus Iudaeorum aliis populis grave scandalum praebuisset per hoc, quod eos exemplo suo ad polygamiam ipsis interdictam provocasset.

3. *Probabiliter mediante Noe,* qui a plurimis habetur alter generis humani parens.

Nota: 1. Lamech, qui ante diluvium plures habuit uxores (Gen. 4, 19), a Patribus reprehenditur, imo adulterii accusatur (ab Hieron. et Nicolao I.). — 2. Uxores secundariae in vetere testamento saepe vocantur concubinae.

III. Polygamia *a Deo permitti potuit.* Nam: 1. Per eam neque procreatio neque educatio prolis impossibilis est reddita. 2. Inferioritas mulieris per eam inducta a Deo, omnium iurum domino, statui potuit. 3. Incommoda ex ea provenientia, quae in eo potissimum consistunt, quod educatio prolis redditur difficilior et concordia domestica multis exponitur periculis, a Deo permitti aut speciali providentia potuerunt praecaveri.

§ II. *De unitate matrimonii sub lege Christiana.*

THESIS. **Lege evangelica, qua non solum fideles, sed etiam infideles obligantur, perfecta monogamia est restituta.**

Est *de fide, quoad fideles saltem* ex Trid. sess. 24, can. 2: Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, a. s.

Probatur: I. Ex Scriptura. Marc. 10, 11: *Et ait illis* (discipulis Iesus): *Quicunque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam* (μοιχᾶται ἐπ' αὐτήν): i. e. iuxta plerosque in eam, adversus eam, quam dimisit; iuxta alios cum ea, quam duxit. Quomodocunque intelligitur, aliam ducere solummodo tunc adulterium esse potest, si non licet plures habere uxores.

Rom. 7, 3: (Mulier) *vivente viro vocabitur* (= erit) *adultera* (μοιχαλίς), *si fuerit cum alio viro.*

II. **Ex mente et praxi Ecclesiae,** quae:

1. Polygamiam numquam permittit.

2. Infideles baptismum suscepturos obligat, ut omnes uxores praeter primam dimittant. Iam vero matrimonia, quae sunt valida, nec baptismo redduntur invalida nec lege Christiana

dirimi iubentur. Ergo solum primum infidelium coniugium fuit iam ante baptismum susceptum matrimonium verum.

Insuper *Congr. s. Officii* a. 1860. de polygamia Gallarum (Gallas) hoc decretum edidit: « Postquam Iesus Christus (Matth. 19) matrimonium ad pristinam reduxit sanctitatem,... nec infidelibus nec Iudaeis nec ulli mortalium licuit plures sibi copulare uxores. Consequenter divinitus sic restituta monogamia nonnisi unam uni legitimo validoque coniugio devinciri posse inconcussum fidei dogma est ».

Ecclesiae hanc mentem iam fuisse antiquitus apparet ex testimoniis *ss. Patrum*, declarationibus veterum *Pontificum* etc. Sic dicit *s. Theoph. Antioch.*[1]: Apud Christianos « temperantia adest, continentia exercetur, *monogamia servatur* ». — *S. Ambr.*[2]: « Non licet tibi uxore vivente uxorem ducere; nam et aliam quaerere, cum habeas tuam, crimen est *adulterii* ». — *Nicolaus I.*[3]: « Duas tempore uno habere uxores nec ipsa origo humanae conditionis admittit *nec lex Christianorum ulla permittit* ».

III. **Rationibus congruis**, quae desumuntur:

1. *Ex parte uxoris.* Polygamia infert eam *inferioritatem uxoris* prae marito, quae cum libertate legis evangelicae etiam ad mulieres pertinente non congruit.

2. *Ex parte prolis et familiae.* Polygamia, quamvis non tollat, tamen multum impedit *prolis educationem et pacem familiae,* unde perfectioni legis Christianae non convenit.

3. *Ex parte marium.* Polygamia non concordat cum eo, quod in genere humano numerus marium aequat fere numerum feminarum, unde concesso polyandriam matrimonio intrinsecus repugnare etiam concedendum est polygamiam cum eo non perfecte congruere, cum alioquin multis viris invitis afferri posset necessitas vitam caelibem degendi.

4. *Ex parte significationis matrimonii.* Polygamia non perfecte repraesentat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quae est coniunctio unius capitis cum uno tantum corpore mystico.

ARTICULUS II.

DE INDISSOLUBILITATE MATRIMONII (QUOAD VINCULUM).

Nota. In hoc toto articulo indissolubilitas etc. si nihil additur, semper intelligenda est indissolubilitas etc. quoad vinculum.

---

[1] Ad Autolyc. l. 3, n. 15.
[2] De Abraham l. 1, c. 7.
[3] Ad consulta Bulg. c. 51.

§ I. *De indissolubilitate matrimonii, prout generatim et pro omni tempore valet.*

I. Matrimonium pro omni tempore a Deo ita institutum est, ut *non possit solvi:*

1. *Ex sola conventione coniugum,* sive:

a) pro mero arbitrio, id quod certissimum est, cum secus bonum commune labefactaretur et matrimonium mutaretur in vagum concubitum; sive:

b) ob specialem rationem ipsis coniugibus probatam, v. g. ob sterilitatem uxoris vel ob adulterium, ut nunc communiter tenetur contra Bellarminum et Sanchez. Nam etiam ex hoc gravissima mala orirentur, cum multi hominum consulto facerent vel fingerent id, quo solveretur vinculum, cuius ipsos pertaederet.

2. *Ab auctoritate publica mere humana.* Nam damnata est prop. 67. syllabi: In variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

II. Matrimonium ob speciales rationes *a Deo* tam per se ipsum quam per alios *solvi potest.* Nam eo bonum commune non labefactatur; et mala inde provenientia aut, ut maiora mala evitentur, tolerari, aut speciali Dei providentia minui possunt.

§ II. *De indissolubilitate matrimonii, quae valuit ante promulgatam legem Christianam.*

I. *Primis generis humani temporibus* matrimonium fuit *penitus indissolubile.* Patet ex verbis Christi Matth. 19, 4. 5 supra citatis, quibus ipse Dominus haec addit: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet... Ab initio autem non fuit sic* (sc. ut dimissio aliquando permitteretur).

II. *Postea solutio* quoad vinculum speciali de causa facienda *a Deo permissa est,* idque ad vitanda mala graviora:

1. Iuxta opinionem nunc communem *Iudaeis,* ut colligitur ex Deut. 24, 1. et Matth. 19, 8. coll. Marc. 10, 3-5.

Deut. 24, 1: *Si acceperit homo uxorem et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam foeditatem* (Septuag.: ἄσχημον πρᾶγμα),

scribet libellum repudii et dabit in manu illius et dimittet eam de domo sua. — His verbis Moyses repudium non tam permittit, quam permissum supponit. Quodsi Christus dicit Matth. 19, 8: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras,* id sic intelligi potest: Moyses usum repudii a maioribus acceptum ob duritiam cordis populi non revocavit. Nam recte dicitur legislatorem alicuius populi illos eiusdem usus publicos iam vigentes permittere, quos non vetat.

Quamvis solutio illa a Deo ob duritiam populi sit permissa, tamen, postquam permissa est, sine peccato fieri poterat.

Olim econtra multi putabant verbis Moysis permissum esse divortium, non quoad vinculum, sed solummodo quoad torum et cohabitationem, aut immunitatem a poena tantum civili esse concessam.

Solutio autem illa iuxta legem Mosaicam Iudaeis permissa est:

a) Ob aliquam *foeditatem,* quae probabilius intelligenda est actio inhonesta fidelitati coniugali adversa.

b) Ea *sub conditione,* ut mulieri daretur libellus repudii.

2. *Probabiliter etiam gentilibus,* cum vix credibile sit eos ad servandam integritatem morum perfectiorem fuisse obligatos, quam ipse populus Dei fuit.

Quando permissio illa divina tam Iudaeis quam gentibus data sit, accurate non potest determinari. Si nihil aliud obstat, consultius esse videtur admittere eam datam esse non diu post diluvium.

§ III. *De indissolubilitate matrimonii post promulgatam legem Christianam.*

A. Summa doctrinae. (Trid. sess. 24).

I. Matrimonium Christianum (i. e. matrimonium aut a duobus Christianis aut ab alterutro Christiano obtenta dispensatione contractum):

1. Si *consummatum* est, a nulla auctoritate et ex nulla causa, ne ob adulterium quidem, solvi potest (can. 7).

2. Si consummatum non est, quo in casu vocatur matrimonium *ratum,* tantummodo:

a) Solvitur solemni professione religiosa utriusque aut alterutrius coniugis (can. 6).

b) Solvi potest ex gravi seu iusta causa a Summo Pontifice.

II. Matrimonium infidelium, quod vocatur matrimonium *legitimum,* penitus indissolubile est excepto casu, quo unus

coniux ad fidem convertitur altero in infidelitate remanente. Tunc enim:

1. Si coniux infidelis cum fideli aut nullatenus vult cohabitare aut non est cohabitaturus sine periculo perversionis vel divini nominis blasphemia, solvitur per novas nuptias a coniuge fideli initas.

2. Si alia gravis causa adest, a Summo Pontifice, eoque solo, potest solvi.

B. Determinatio, explicatio, probatio doctrinae.

I. Quoad matrimonium Christianorum consummatum.

THESIS. **Matrimonium Christianorum consummatum est plane indissolubile, ita ut ne ob adulterium quidem alterius coniugis solvi possit.**

Est *fidei proximum* ex Trid. sess. 24, can. 7: Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet iuxta evangelicam et Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge vivente aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit, a. s.

Opponitur: 1. Protestantibus, qui docent matrimonium consummatum Christianorum propter adulterium ab altero coniuge commissum et etiam ob alias causas posse solvi. — 2. Graecis schismaticis, aliis plurimis Orientalibus, aliquot Graecis unitis, nonnullis theologis Romano-Catholicis, praesertim Caietano, Catharino, Launoy, permittentibus, ut idem matrimonium solummodo ob adulterium ab altero coniuge commissum solvatur.

Ne Graeci schismatici ob illam rem damnarentur haereseos, testante Pallavicino a Tridentino can. cit. non est pronuntiatum: Si q. d. matrimonii vinculum posse dissolvi, a. s.; sed: Si q. d. Ecclesiam errare, cum docet matrimonii vinculum non posse dissolvi, a. s.

Probatur: I. Ex Scriptura. 1. *Directe.*

a) Verbis *Christi* Domini relatis a Marco et Luca.

Marc. 10, 2-12: *Et accedentes Pharisaei interrogabant eum: Si licet viro uxorem dimittere? tentantes eum.*

At ille respondens dixit eis: Quid vobis praecepit Moyses? Qui dixerunt: Moyses permisit libellum repudii scribere et dimittere. Quibus respondens Iesus

ait: Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis praeceptum istud. Ab initio autem creaturae masculum et feminam fecit eos Deus. Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit ad uxorem suam; et erunt duo in carne una (εἰς σάρκα μίαν = caro una; cf. Gen. 2, 7). *Itaque iam non sunt duo, sed una caro.*

(9) *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* (10) *Et in domo iterum discipuli eius de eodem interrogaverunt eum.* (11) *Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam.* (12) *Et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, moechatur.*

Ut patet ex vv. 2-9, Christus matrimonium reducit ad institutionem primaevam, qua dissolutio omnino excludebatur. Interrogatus enim a Pharisaeis, num dimissio uxoris quoad vinculum sit concessa, respondet hanc dimissionem a Moyse esse quidem concessam, sed concessam non esse nisi propter duritiam cordis Iudaeorum et contra primaevam institutionem. Postquam hoc probavit verbis Scripturae (Gen. 2, 24): *Propter hoc relinquet* etc., ipse addit: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Qua quidem sententia dissolutio matrimonii simpliciter ac prorsus interdicitur. Neque excipitur, si ab altero coniuge adulterium commissum est. Nam si id exciperetur, utique *homo* separaret, *homo* vinculum solveret, « et quod in vetere lege non licebat nisi variis illis de libello repudii observatis, in novo foedere homo peccato admisso multo facilius perficeret ». Knabenbauer [1].

Ut patet ex vv. 11. et 12., eadem dissolutio a Christo altera vice coram discipulis suis plane prohibetur. Nam propositio: *Quicumque* etc. universalis est, spectans ad omnes viros dimittentes uxores et alias ducentes; sed inter hos etiam is comprehenditur, qui uxorem dimittit ob adulterium ab ea commissum; ergo etiam hic moechatur, si aliam ducit; ergo vinculum prius per adulterium non est solutum. Item propositio: *Et si uxor* etc. est universalis, e qua nulla uxor, nec uxor adulteri excipitur.

Luc. 16, 18: *Omnis, qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, moechatur; et qui* (πᾶς ὁ) *dimissam a viro ducit, moechatur.* Christus his verbis generaliter et illimitate dicit,

---

[1] In Marc. pag. 263.

eos *omnes* (πᾶς ὁ ἀπολύων) reos esse adulterii, qui dimissa una uxore alteram ducant, et eos *omnes* (πᾶς ὁ γαμῶν), qui ducant uxorem illam a viro dimissam. Ergo nulla de causa dissolutionem matrimonii permittit.

Contra utrumque testimonium non valet obiicere Christum illa verba dicendo addidisse respectu adulterii exceptionem, evangelistas autem eam reticuisse, cum evangelistis sit mos non omnes circumstantias rerum aut sermonum commemorandi. Nam quamvis hoc evangelistis sit mos, tamen neque fas neque iis usitatum est, cum aliquid narrant, illud omittere, quo omisso historia aut sententia evadat falsa. Iam vero, si Christus illam exceptionem fecisset, id, quod a Marco et Luca refertur, esset falsum. Nam tunc verae essent hae sententiae: Non, quicunque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam; non omnis, qui dimittit uxorem et aliam ducit, moechatur. Hae autem sententiae sunt contradictoriae sententiis a Marco et Luca relatis; ergo a nobis, si Marco et Lucae credimus, non possunt haberi sententiae Christi.

b) Verbis *Pauli* Apostoli propositis Rom. et 1. Cor.

Rom. 7, 2. 3: *Nam, quae sub viro est, mulier vivente viro alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* — 1. Cor. 7, 39: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit. Quod si dormierit vir eius, liberata est; cui vult nubat, tantum in Domino.* — S. Paulus his locis aperte docet vinculum matrimonii esse eius firmitatis, ut solummodo per mortem mariti (et consequenter etiam uxoris) dissolvatur, quin ullo modo innuat illud etiam per adulterium dissolvi.

1. Cor. 7, 10. 11: *Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed* (praecipit) *Dominus uxorem a viro non discedere* (χωρισθῆναι); *quod si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* luxta textum originalem: (Sin nihilominus separata sit, maneto innupta aut viro reconcilietur) et virum uxorem non dimittere sc. praecipit Dominus. — Teste Apostolo Christus Dominus simpliciter praecipit, ut uxor, i. e. ut *quaevis* uxor,

quae a marito suo discessit, aut maneat innupta aut viro suo reconcilietur. Nec fas est dicere id non praecipi mulieri, quae ob iustam causam, praesertim ob adulterium mariti, a viro suo discesserit, sed tantummodo ei, quae sine iusta causa discesserit. Nam et hoc gratis asseritur et, si loco citato sermo esset de sola uxore, quae sine iusta causa discessit, ei non praeciperetur, ut ad arbitrium suum aut maneret innupta aut ad maritum rediret, sed ei unice praeciperetur, ut ad virum suum iniuste derelictum reverteretur.

2. *Indirecte.* Non obstant duo Christi dicta, prout referuntur a Matthaeo.

a) Matth. 5, 32 Christus dixit in oratione in monte habita: *Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa* (παρεκτὸς λόγου πορνείας), *facit eam moechari; et qui dimissam duxerit, adulterat* (seu moechatur). — Nam dimittere hoc loco est dimittere quoad torum, non quoad vinculum; fornicatio est adulterium ab uxore commissum; uxorem facere moechari est uxori contra ius ac fas praebere occasionem moechandi, seu uxorem propria culpa adducere in magnum periculum committendi adulterium. Sensus igitur illorum verborum est: Quicunque quoad torum dimittit uxorem suam, quae non commisit adulterium, eam contra ius ac fas in periculum adducit moechandi; proinde, si ipsa post dimissionem sua culpa moechatur, hoc uxoris peccatum etiam marito moraliter est imputandum. E contrario, si uxor adulterium iam commisit, maritus, qui eam quoad torum dimittit, eam adulteram non facit, quia ipsa se adulteram iam fecit, neque ille sibi imputare debet, si haec iterum adulterium committit, quia iure suo est usus.

Quod Christus solum adulterium ut causam separationis (quoad torum) legitimam commemorat, licet etiam aliae causae esse possint, ideo fit, quia solum adulterium est causa separationis, quae matrimonio interna est, et quia illud solum dat ius separationis absolutum ac perpetuum.

Nulla autem dimissione, sive licita sive illicita, solvi matrimonii vinculum declaratur verbis sine exceptione dictis et intelligendis: *Qui dimissam duxerit, adulterat.*

b) Matth. 19, 9 Christus interrogatus a Pharisaeis: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? sic re-

spondit: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem* (μὴ ἐπὶ πορνείᾳ) *et aliam duxerit, moechatur.* Ex his verbis, quomodocumque intelliguntur, de quo infra in Scholio, non potest merito concludi: Ergo, quicumque dimiserit uxorem suam ob fornicationem et aliam duxerit, non moechatur. Nam eiusmodi conclusioni:

α) Obstat *sensus incertus* illius textus. Incisum enim illud « nisi ob fornicationem » in variis codicibus tam graecis quam latinis varie legitur, ita ut accurata verborum forma certo definiri nequeat.

Cf. Knabenbauer, Comment. in Matth. pag. 138. (lect. var.) Quapropter Leonardus Hug, licet immerito, genuinitatem ipsius negavit. (Cf. Palmieri, de matrimonio Christiano pag. 171, num. II.) — Vincenzi autem aeque immerito negavit genuinitatem verborum « et aliam duxerit » (Cf. Palmieri, 172, III).

Unde totus textus non habet eam perspicuitatem, quam habent verba Domini (Marc. 10, 2-12. Luc. 16, 18) et Apostoli (Rom. 7, 2. 3. 1. Cor. 7, 10. 11. 39) supra citata. Iam vero verba obscuriora interpretanda sunt per verba clariora.

β) Obstant ea, quae *praecedunt* (v. 4-8).

Et accesserunt ad eum Pharisaei tentantes eum et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? Qui respondens ait eis: Non legistis, quia, qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una; itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii et dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic.

Nam verbis Christi: « Non legistis etc. » innuitur ipsum eam matrimonii indissolubilitatem voluisse restituere, quae ex institutione divina viguit in paradiso. — Verbis: « Quod Deus coniunxit, homo non separet » dissolutio matrimonii simpliciter atque universaliter prohibetur. — Ex responsione data ad obiectionem ex libello repudii petitam apparet Christum concessionem illam Mosaicam pro novo foedere velle abolere.

γ) Obstat id, quod *sequitur* (v. 10-12).

Dicunt ei discipuli eius: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi etc. Qui potest, capere, capiat.

Si enim Christus voluisset dicere matrimonium ob adulterium ab altera parte commissum et ob id quidem solum quoad vinculum posse solvi, nihil aliud dixisset nisi quod etiam severiores Iudaei, ii sc., qui hac in re sequebantur Schammai admittebant. Sed quomodo tunc discipulis per verba Christi tanta admiratio incussa esset, ut concluderent satius esse a matrimonio ineundo prorsus abstinere?

II. **Ex Traditione.** 1. *Ex ss. Patribus,* iuxta quorum doctrinam:

a) Maritus, qui uxore etiam ob adulterium patratum dimissa aliam ducit, adulterat, peccat.

Hermas[1]: « Si quis uxorem habet fidelem in Domino eamque deprehendit in adulterio aliquo, numquid peccat vir, si convivit cum ea? Quid igitur, inquam Domine, faciat maritus, si uxor in hac libidine permanserit? Dimittat eam, inquit, et vir maneat secum (ἐῳ ἑαυτῷ); sin vero uxore dimissa aliam duxerit, et ipse adulterium committit ». — *Tertull.*[2]: « Illi (gentiles) etiam non repudiantes commiscent adulteria; nobis, etsi repudiemus, ne nubere quidem licet ». — *Hieron.* explicans Matth. 19, 9: « Sic priorem dimittere iubetur uxorem, ut secundam prima vivente non habeat ». — *Aug.*[3] « Eum, qui praeter causam fornicationis uxorem dimiserit et aliam duxerit, moechum pronuntiamus; nec ideo tamen eum, qui propter causam fornicationis dimiserit et aliam duxerit, ab huius peccati labe defendimus. Ambos enim, licet alterum altero gravius, moechos tamen esse cognoscimus ».

b) Item uxori, quae maritum etiam ob adulterium commissum dereliquit, alteri viro nubere non licet.

Hieron.[4]: Mulier, quae sub viro est, vivente viro astricta est legi. Quod si mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri. Ergo vivente viro adultera erit, si duxerit alterum virum... Omnes igitur causationes Apostolus amputans apertissime definivit vivente viro adulteram esse mulierem, si alteri nupserit... Quamdiu vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus et ab uxore propter haec scelera derelictus, maritus eius reputatur, cui (uxori) alterum virum accipere non licet ». — *Aug.*[5]: « Mulier nullius viri posterioris uxor incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinit uxor prioris, si morietur in eius; non, si fornicetur ».

c) Vir, qui alicuius uxorem etiam ob adulterium repudiatam in matrimonium ducit, moechatur.

---

[1] Mand. 4, 6.
[2] De monogam. c. 9.
[3] De adult. coniug. l. 1, c. 9.
[4] Ep. 55 ad Amand. n. 3.
[5] De adult. l. 4. c. 4.

Iustinus. M.[1]: « Qui ducit repudiatam ab altero viro, moechatur ». — *Clemens Alex.*[2]: « Quod autem consulit Scriptura uxorem ducere, et nec a coniugio unquam permittit discedere, legem aperte statuit: Non dimittes uxorem praeterquam propter fornicationem. Adulterium autem existimat coniungi matrimonio vivo altero ex separatis... Qui autem dimissam accipit uxorem, moechatur, inquit ». — *Basil.*[3]: « Quod non licet viro uxore dimissa aliam ducere; nec fas est repudiatam a marito ab alio duci uxorem ». — *Chrysost.*[4]: « Perpende illum semper ad virum sermonem referre. Qui dimittit, inquit, uxorem suam, facit eam moechari; et qui dimissam ducit, moechatur. Ille enim, etsi alteram non duxerit, hoc ipso se criminis reum constituit, quod eam adulteram faciat; hic vero, quod alienam ducat, moechus et ipse fit. Ne mihi enim dicas: Ille eiecit. Nam eiecta adhuc manet eiicientis uxor. Deinde ne totum coniiciens in eiicientem arrogantiorem faceret uxorem, ipsam accipere volenti ianuam claudit dicens: Qui dimissam duxerit, moechatur, uxorem vel invitam pudicam reddens et ad alium virum aditum ipsi claudens ». — *Aug.*[5]: « Si dixerimus: Quicunque mulierem a marito praeter causam fornicationis dimissam duxerit, moechatur, procul dubio verum dicimus; nec tamen ideo illum, qui propter causam fornicationis dimissam duxerit, ab hoc crimine absolvimus, sed utrosque moechos esse minime dubitamus ».

d) Illi episcopi, qui legi civili divortium permittenti morem gesserunt, vituperantur.

Orig.[6]: « Iam vero contra Scripturae legem mulieri vivente viro nubere quidam Ecclesiae rectores permiserunt agentes contra id, quod scriptum est, in quo sic habetur: Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit; et contra illud: Igitur vivente viro mulier vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; non omnino tamen permiserunt sine ratione; haec enim contra legem ab initio latam et scriptam ad vitanda peiora alieno arbitrio morem gerentes eos permisisse verisimile est... Quemadmodum autem adultera est uxor (dimissa), etiamsi viro alteri nupta videatur priore etiamnum vivo, ita et virum repudiatam duxisse virum non tam ipsius maritum quam adulterum esse dicendum a Servatore nostro demonstratum est ».

2. *Ex Concilis*, praesertim *Eliberitano* a. 313. et *Milevitano II* a. 418. habitis.

Dicit *Elib.*: « Fidelis femina, quae adulterum maritum reliquerit fidelem et alterum ducit, prohibeatur, ne ducat; si autem duxerit, non prius accipiat Communionem, nisi, quem reliquerit, prius de saeculo exierit, nisi forte necessitas infirmitatis compulerit ». — Et *Milev.*: « Placuit, ut se-

---

[1] Apol. c. 1, n. 15.
[2] Strom. l. 2, c. 23.
[3] Reg. 73, c. 2.
[4] Homil. 17 in Matth. n. 4.
[5] De adult. coniug. l. 1, c. 9.
[6] In Matth. tom. 14, n. 23.

cundum evangelicam et apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore neque dimissa a marito alteri coniungantur; sed ita maneant aut sibimet reconcilientur. Quodsi contempserint, ad poenitentiam redigantur ».

III. **Rationibus congruis.** Si matrimonii vinculum propter adulterium solvi posset: 1. Multo melior esset conditio mulieris adulterae, quam mulieris honestae a viro suo dimissae. Illa enim alii viro nubere posset, haec non posset.

2. Illi coniuges, quos coniugii atque convictus pertaedet, incitari possent ad committendum adulterium, quippe quo coniugium possit dissolvi.

3. Firmitas ac sanctitas matrimonii minus sarta esset in novo, quam in vetere testamento. Nam in hoc ius repudii datum erat soli viro; in illo concessum esset etiam mulieri. Insuper in vetere testamento et uxor, quae adulteravit, et vir, qui cum ea adulteravit, morte multabantur (Lev. 20, 10); sed haec poena in novo testamento est sublata.

Scholion. De Matth. 19, 9: *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur* variae sunt Catholicorum interpretationes, quarum praecipuae sunt sequentes:

I. *Quantum ad verba: Quicumque dimiserit uxorem suam.* Haec verba non sunt dicta de matrimonio Christianorum, sed Iudaeorum et consequenter de solutione eius quoad vinculum; seu haec verba non proponunt legem evangelicam, sed interpretantur legem Mosaicam. Nam Christus a Pharisaeis interrogatus erat, utrum secundum legem Mosaicam liceret uxorem dimittere *ex quacunque causa*, ut docuit schola *Hillel*, an *solummodo ob adulterium*, ut tenuit schola *Schammai*. Unde Dominus non respondit nisi ad mentem interrogantium et sententiam scholae Schammai approbavit.

Iuxta hanc interpretationem verba « nisi ob fornicationem » etiam referenda sunt ad sententiam: *Et qui dimissam duxerit, moechatur.*

II. *Quantum ad verba: Nisi ob fornicationem.*

1. Haec verba spectant ad *primum* tantum propositionis membrum: *Quicumque dimiserit uxorem suam*, non ad alterum: *Et aliam duxerit.* Quod ut possit teneri:

a) Verbum « *moechatur* » seorsum et sensu diverso acceptum ad utrumque refertur membrum. Sententia igitur Chri-

sti aequivalet his: « Quicumque quoad torum dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, moechatur. Et quicumque aliam duxerit (sive uxore priore dimissa sive non dimissa), moechatur ». Prior moechatur moechia aliena seu moechatur per cooperationem, i. e., ut dicitur Matth. 5, 32, *facit eam moechari*, quatenus sc. uxorem suam contra ius ac fas in periculum moechandi adducit. Alter moechatur moechia propria.

Quam quidem interpretationem fieri posse demonstratur hac propositione simili: « Quicumque feria sexta comedit carnes nisi ob dispensationem et se inebriat, peccat ». In qua propositione exceptio « nisi ob dispensationem » unice pertinet ad membrum prius, et vox « peccat » duplicem habet rationem, sc. peccati inobedientiae et peccati intemperantiae. Unde illa propositio aequivalet his: « Quicumque feria sexta comedit carnes nisi ob dispensationem, peccat (peccato inobedientiae). Et quicumque se inebriat, peccat (peccato intemperantiae).

Attamen magna est disparitas. Nam vox « peccat » in utraque sententia sensu proprio accipitur. Vox autem « moechatur » nequaquam. Nam per iniustam dimissionem in periculum moechandi adducere non est moechari.

b) Coniunctio condicionalis « *nisi* » valde large accipitur pro: « quod non licet nisi », ita ut sensus sententiae sit: Quicumque quoad torum dimiserit uxorem suam, quod (simpliciter ac pro semper) non licet nisi ob fornicationem, et aliam duxerit (sive uxor dimissa adultera fuit sive non fuit), moechatur.

2. Illa verba accipienda sunt non exceptive, sed *praecisive*, ita ut sensus sententiae sit: Quicumque dimiserit uxorem suam (si omitto loqui de illo, qui eam ob fornicationem dimisit) et aliam duxerit, moechatur. Christus igitur interrogatus a Pharisaeis, num liceret uxorem quoad vinculum dimittere ex causa quacunque, respondet id non licere, sed virum dimittentem uxorem suam insontem adulterii et aliam ducentem moechari. Utrum ille iuxta legem suam (Christianam) moechetur, qui dimittat uxorem adulterii ream, necne, Dominus Pharisaeis iustis de causis tunc aperte dicere noluit. Responsio autem affirmativa a Pharisaeis ex iis, quae Christus de primaeva matrimonii institutione antea dixerat, poterat colligi. Insuper eadem responsio iuxta Marcum discipulis paulo post domi aperte est data.

Marc. 10, 10. 11: *Et in domo iterum discipuli eius de eodem interrogaverunt. Et ait illis: Quicumque dimiserit* etc., ut supra in thesi.

Haec est explicatio *Bellarmini* et quodammodo s. *Aug.*[1]

III. *Quantum ad verbum fornicationis.*

1. Fornicatio, ob quam maritus uxorem quoad vinculum dimittere potest, est fornicatio ab ea *ante matrimonium* initum commissa et post initum matrimonium patefacta. Qua re posita Christus divortium permisit, quia in quovis viro nationis Iudaicae matrimonio se cum muliere iungente praevaluit intentio se non coniungendi nisi cum virgine. Ita *Doellinger.*

« At haec doctrina est inaudita in Ecclesia, quae non agnoscit fornicationem ante matrimonii celebrationem commissam esse impedimentum dirimens ab ipso Christo institutum ». Tepe[2].

2. Fornicatio illa est *concubinatus*, Christus respexit casum, quo coniunctio non est vere matrimonialis, sed fornicaria seu concubinalis, quae utique est dissolvenda. Ita *Patrizi.*

« Huic explicationi obstat, quod Christus evidenter loquitur de dimissione legitimae uxoris, non vero de expulsione concubinae. Praeterea omnes Patres omnesque theologi accipiunt verba Christi de adulterio ab alterutro coniugum commisso cum persona extranea; atque ex iis probare consueverunt in casu adulterii a Christo concessum esse perpetuum divortium quoad torum et cohabitationem. Neque obstat vox « πορνεία, fornicatio » ; nam hae voces secundum significationem genericam indicant quemcunque concubitum illegitimum. Cf. Io. 8, 41. 1. Cor. 5, 1 ». Tepe (ib.) Praeterea cf. Amos, 7, 17. Os. 3, 3. Eccli. 26, 9.

II. Quoad matrimonium ratum.

THESIS I. **Matrimonium Christianorum non consummatum solemni professione religiosa alterutrius coniugis solvitur.**

Est *de fide* ex Trid. sess. 24, can. 6: Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, a. s.

Explicatur: Ex eo, quod definitum est matrimonium ratum per solemnem professionem religionis dirimi, non pauci concluserunt illud per hanc dirimi iure divino et eo quidem positivo. Sed obstat, quod Bonifacio VIII[3] et Gregorio XIII[4] testantibus tota votorum solemnium institutio omnesque eorum effectus

[1] De adult. coniugiis, 1, 9.
[2] Tom. 4, n. 786.
[3] Sexti Decr. l. 3, t. 15.
[4] In Bulla « Ascendente Domino ».

sunt iuris ecclesiastici. Unde satius est tenere hoc: Deus quidem ipse ordinavit, ut in Ecclesia semper esset perfectus status religiosus, et ut eius professio matrimonium ratum solveret; sed Ecclesiae reliquit determinandum, quinam status religiosus esset perfectus et quibus votis in certa religione emissis effectus ille esset annexus. Unde matrimonium ratum per solemnem professionem religiosam alterutrius coniugis solvi probabilius est iuris *proxime* ecclesiastici.

Canoni igitur citato mente inserendum esse videtur: « non obstante lege ecclesiastica », idem, quod verbis expressis insertum est canoni eiusdem sessionis nono, ubi sermo est de invaliditate matrimonii regularium solemniter professorum etc.

Licet quoque tenere solemni professione religiosa matrimonium dirimi non proxime tantum, sed *unice* iure ecclesiastico.

Probatur: I. Ex Ecclesiae persuasione.

Ecclesiae iam inde antiquitus probata est praxis matrimonio contracto sed nondum consummato maioris perfectionis acquirendae causa relinquendi coniugem et se Deo penitus vovendi.

Ita egisse feruntur s. *Thecla*, discipula s. Pauli, (saec. 1.), quam praedicant ss. Ambrosius [1] et Epiphanius [2]; s. *Alexius* (saec. 4. vel 5.); *Gregoria*, quam laudat Gregorius M. [3]; *Leobardus* (saec. 6.) testante Gregorio Turonensi [4]; *Edildrida*, coniux Egfridi regis (saec. 6.), ut narrat Beda Ven. [5] Plerumque autem non constat matrimonium re vera iam fuisse contractum.

II. Ex ecclesiastica legislatione. Inde a saeculo 12. Romani Pontifices illud expresse declararunt, praesertim *Alexander III et Innocentius III.*

Dicit e. g. Alexander III [6]: « Post consensum legitimum de praesenti licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium (sicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt), dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos; et alteri remanenti (si commonitus continentiam servare noluerit) licitum est ad secunda vota transire. Quia, cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire et alter in saeculo remanere » (D. 334).

---

[1] De virg. l. 2, c. 3, n. 19.
[2] Haer. 78, p. 16.
[3] Dial. 3, 14.
[4] De vitis PP. c. ult.
[5] Hist. Angl. l. 4, c. 19.
[6] Decret. Greg. l. 3, t. 32, c. 2.

III. Ratione congrua. « Ante carnalem copulam est inter coniuges tantum spirituale vinculum, sed post est inter eos etiam vinculum carnale; et ideo, sicut post carnalem copulam matrimonium solvitur per mortem carnalem, ita per ingressum religionis ante carnalem copulam solvitur, quia religio est mors quaedam spiritualis, qua aliquis saeculo moriens vivit Deo ». S. Thom.[1].

Thesis II. **Matrimonium Christianorum non consummatum ex iusta causa auctoritate Summi Pontificis solvi potest.**

Est hodie *sententia communis.*

Explicatur: Causa iusta est insuperabilis coniugum aversio, impotentia dubia, praesertim nullitas matrimonii dubia.

Probatur: I. Quodammodo ex Scriptura. Matth. 16, 19: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* « Hisce verbis Christus Dominus promisit B. Petro eiusque successoribus potestatem solvendi omne vinculum morale fidelium subditorum, cuius insolubilitas aliunde non probatur. Atqui vinculum matrimonii rati fidelium subditorum est vinculum morale, ut patet, et eius insolubilitas aliunde non probatur. Non ex Scriptura. Nam testimonia, quibus supra absolutam matrimonii indissolubilitatem demonstravimus, intelligenda sunt de matrimonio fidelium per carnalem copulam consummato, ut colligitur ex verbis adiectis: « Et erunt duo in carne una ». Etenim coniuges non fiunt una caro nisi per copulam carnalem. « Sane », inquit Alexander III, « quod Dominus in evangelio dicit, non licere viro nisi ob causam fornicationis uxorem suam dimittere, intelligendum est secundum interpretationem sacri eloquii de his, quorum matrimonium carnali copula est consummatum, sine qua consummari non potest » (D. n. 335). — Non ex Traditione. Nam testimonia Patrum, quae absolutam matrimonii indissolubilitatem evincunt, pariter intelligenda sunt de matrimonio consummato. — Non ex lege naturae. Etenim licet matrimonium ratum sit ipso iure naturae indissolubile relative seu hoc sensu, ut nullo in casu auctoritate privata aut mere humana possit dissolvi, tamen probari nequit illud esse iure naturae indissolubile absolute seu hoc sensu, ut ne aucto-

[1] In IV, dist. 27, q. 1, a. 3, qcla. 3, sol. 2.

ritate divina seu divinitus concessa quidem dissolvi possit ». Tepe [1].

II. Ex praxi Summorum Pontificum. A tempore *Martini V* multi Pontifices matrimonium ratum ex causa gravi seu iusta solverunt. Iisdem igitur persuasum fuit se ea potestate pollere. Sed admitti nequit eos in re cum fide et moribus intime connexa sibi adscribere potestatem, quam non habeant.

Ita praeter ipsum Martinum V egerunt e. g. *Eugenius IV, Paulus III, Pius IV, Gregorius XIII.*

III. Rationibus theologicis. 1. « Obligationes iuris divini, quarum exsistentia in particulari casu *ab humana voluntate dependet,* Ecclesia quandoque per dispensationem solvere potest, ut de votis et iuramentis constat. 2. Vinculum *professionis religiosae* fortius est, quam vinculum coniugii (nondum consummati), quia professio religiosa matrimonium ratum solvit; atqui professionem religiosam Summus Pontifex solvere potest; ergo a fortiori matrimonium ratum ». Noldin. [2].

IV. Quoad matrimonium legitimum.

THESIS I. **Matrimonium infidelium etiam consummatum solvi potest, si alter coniux convertitur ad fidem, alter vero cum converso pacifice cohabitare non vult.**

Est sententia ~~communis et~~ *certa.*

Explicatur: 1. Matrimonium, de quo in hac thesi sermo est, illud intelligitur, quod est contractum ab *utroque* coniuge infideli i. e. non baptizato.

Est igitur etiam matrimonium coniugum in Christianismo natorum, si non sunt baptizati; non est matrimonium a fideli cum infideli ex dispensatione contractum.

2. Hoc matrimonium solvi potest, si altera parte ad fidem Christianam conversa ac baptizata altera pars nec vult converti nec vult cum parte conversa cohabitare sive ullo modo sive ita, ut pars fidelis possit consentire, seu *pacifice,* seu, ut dici solet, sine contumelia Creatoris.

« Creatori contumelia irrogari censetur, si fidelis propter cohabitationem cum parte infideli exponitur periculo amittendae fidei vel committendi (aliud) peccatum mortale; item si infidelis Dei laudem et domesticorum conversio-

[1] Tom. 4, n. 789 et 790.
[2] De sacramentis, n. 515.

nem prohibet, si prolis educationem christianam non permittit, si concubinas dimittere renuit etc.» Noldin[1].

Dictum est supra: «*a)* altera parte ad fidem *Christianam* conversa», quia assertum etiam valet, si infidelis ad sectam haereticam convertitur, modo valide baptizetur; — «*b)* conversa ac *baptizata*», quia assertum non valet ante susceptum baptismum seu de catechumeno.

3. Idem matrimonium per hoc solum solvitur, quod coniux baptizatus *aliud init matrimonium*.

Non igitur solvitur per hoc, quod coniux conversus baptizatur; nec per hoc, quod coniux infidelis declarat se cum fideli nolle cohabitare; nec, si coniux fidelis novum matrimonium non contrahit.

4. Facultas illud matrimonium solvendi parti fideli data est *a Christo Domino*, et quidem iuxta sententiam multo communiorem *immediate*, iuxta sententiam aliquorum mediate tantum, per Apostolos sc. et Ecclesiam.

Benedictus XIV dicit[2]: «Certum est infidelium coniugium ex privilegio in favorem fidei *a Christo Domino* concesso et per Apostolum 1. Cor. 7 promulgato dissolvi». Et *Congregatio S. Officii*[3]: Supra scripta postulata intelligi de privilegio *a Christo Domino* in favorem fidei concesso et per Apostolum Paulum 1. Cor. 7, 12 sqq. promulgato. Hoc *divinum* privilegium in eo consistere etc.

5. Facultas illa concessa est in favorem eorum, qui ad fidem Christianam volunt converti, ne sc. eorum conversio sit nimis ardua iique propterea a fide amplectenda absterreantur. Unde *privilegium fidei* vocatur.

Conversio enim «parti fideli valde onerosa esset, si ipsi ad alias nuptias transire non liceret: nam aut innupta manere aut cum molestia vitae et fidei periculo cum coniuge infideli cohabitare deberet». Noldin.[4].

6. Eadem facultas vocatur quoque *privilegium Paulinum*, eo quod a s. Paulo promulgata est, et quidem 1. Cor. 7.

Probatur: I. Ex Scriptura. 1. Cor. 7, 12-15: *Nam ceteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctifi-*

[1] De sacramentis, n. 518.
[2] De syn. dioec. l. 7, c. 4.
[3] In decreto d. 11. Iulii, 1886.
[4] De sacramentis, n. 517.

catus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi (ἐν τοῖς τοιούτοις); *in pace autem vocavit nos Deus.*

Verba textus explicantur: 1. *Nam ceteris:* gr. Ceteris autem. Hi sunt coniuges, quorum una pars est Christiana, altera infidelis, quique matrimonio coniuncti sunt, antequam illa pars est baptizata. Nam: *a)* Ita textus a doctoribus catholicis semper est intellectus. — *b)* Non est probabile Apostolum Christianis dedisse facultatem matrimonium cum gentilibus ineundi ad experiendum, utrum bene an male cederet, illudque, si male cederet, solvendi.

2. *Ego dico... non dimittat.* Quaeritur, utrum his verbis exprimatur praeceptum Apostoli, an tantummodo consilium. Nonnulli quidem Patres et multi exegetae praeceptum imponi sentiunt. Attamen s. Augustinus et omnes fere dogmatici dari censent merum consilium. Quae quidem sententia congruit cum modo loquendi a s. Paulo alias adhibito. Nam Apostolus nonnuptis et virginibus merum dans consilium (ut patet ex v. 25: *consilium autem do*) itidem scribit v. 8: *Dico autem;* postea autem matrimonio iunctis proponens praeceptum scribit: *Praecipio non ego, sed Dominus.* — Manifestum est autem, si coniux fidelis dimittat coniugem infidelem cohabitare volentem, non fieri solutionem vinculi, sed tantummodo separationem cohabitationis.

3. *Sanctificatus est enim* etc. sanctitate quadam externa.

« Sanctificari in Scriptura in genere omnes ii dicuntur, qui specialiore aliquo modo cultui vel servitio divino deputantur; qua in deputatione duplex quasi elementum distinguitur: negativum, quo a regno principis huius mundi eximuntur, positivum, quo Deo ipsi consecrantur; quae duo plerumque quidem inseparabiliter sunt coniuncta, at separata esse possunt, quatenus aliquis regno huius mundi sese subtrahere *incipit,* ut ad Deum accedat. Iam vero Christiani omnes sunt sancti (1, 2), et utpote baptismo in Christum inserti non tantum secundum animum, sed etiam secundum corpus Deo consecrati, quia etiam secundum corpus sunt membra Christi et templa Spiritus S. (6, 15. 19). Porro vir et mulier matrimonio uniti sunt una caro. Dum vero Iudaei immunditiem ethnici coniugis ita praevalere censebant, ut cum eo communicantes ipsi inquinarentur, iuxta Paulum « mundities uxoris fidelis vincit immunditiem viri infidelis, et mundities viri fidelis immunditiem uxoris infidelis » *(Chrys.). In* muliere fideli (ἐν τῇ γυναικί) igitur, i. e. in sua

unione cum uxore fideli et per hanc unionem, infidelis, qui sine contumelia Creatoris cum fideli cohabitare consentiens sese dominio principis huius mundi iam subtrahere coepit, etiam cum Christo, utique imperfecte, coniungitur atque ex hac coniunctione aliquam externam sanctitatem accipit eadem fere ratione, qua iuxta Aug. catechumeni « secundum quendam modum sanctificabantur », ut ius quoddam ad certas Ecclesiae benedictiones possiderent. Praeterea cum Ecclesia, quae sanctis constat, per mulierem fidelem colligatus conversatione eorum sancta et pia sine verbo facilius lucrifieri potest Deo (cf. 1. Petr. 3, 1. 2) ». Cornely [1]. — Cf. supra de bapt. pag. 226.

4. *Quod si infidelis discedit* etc. Si infidelis discedit aut physice aut moraliter i. e. si cum fideli non vult cohabitare aut ullo modo aut pacifice vel ita, ut aliquo modo per fidelem sanctificetur, etc.

5. *Non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi* i. e.: in huiusmodi circumstantiis frater aut soror servituti legis matrimonialis subiectus seu vinculo matrimonii ligatus non est. His praemissis:

Ex textu ducitur argumentum: Ab Apostolo parti fideli, si pars infidelis physice aut moraliter discedit, datur facultas aliud cum fideli matrimonium ineundi et eo ipso prius matrimonium solvendi. Nam: 1. Secus parti fideli prorsus nulla facultas daretur; e contra ipsa servituti esset subiecta. Separatio enim cohabitationis iam efficitur ab infideli, qui discedit; ergo hanc solam Apostolus non potuit velle concedere. Praeterea aperte hic plus conceditur coniugi fideli habenti coniugem infidelem, quam concessum est coniugibus fidelibus. Sed coniugibus fidelibus separatio cohabitationis plures ob causas concessa est. Ergo coniugi fideli habenti coniugem infidelem hic conceditur solutio vinculi. 2. Inde a tempore ss. Patrum *(Chrys., Aug.)* omnes interpretes et doctores catholici verba Apostoli de potestate solvendi coniugale vinculum intellexerunt.

II. Ex legislatione ecclesiastica.

Innocentius III [2]: « Si alter infidelium coniugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo vel non sine blasphemia divini nominis, vel, ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit; et in hoc casu intelligimus, quod ait

---

[1] In 1. Cor. pag. 185.

[2] Decr. Greg. l. 4, t. 19, c. 7.

Apostolus..., et canonem etiam, in quo dicitur: Contumelia Creatoris solvit ius matrimonii circa eum, qui relinquitur » (D. 350).

THESIS II. **Matrimonium in infidelitate contractum alterutra saltem parte ad fidem conversa a Summo Pontifice ex gravi causa potest solvi.**

Est sententia *communior* et, ut videtur, vera.

Eam tenent *s. Alph., Bellarm., Sanchez, Ballerini, Palmieri, Lehmkuhl, Pesch, Noldin,* etc.

« Qui potestatem hanc Summi Pontificis negant, acta s. Sedis circa matrimonia infidelium dicunt authenticas declarationes iuris divini seu privilegii Paulini *(Pontius, Schmalzgrueber, Benedictus XIV, De Angelis etc.)* » Noldin.[1].

Explicatur: « Matrimonium infidelium, quamdiu utraque pars in infidelitate manet, etsi nondum consummatum fuerit, a Summo Pontifice solvi non potest, quia infideles eius iurisdictioni non subiacent; cum primum vero saltem unus coniugum ad fidem convertitur, matrimonium ratione partis fidelis iurisdictioni Summi Pontificis subiicitur, qui pro potestate sua illud solvere potest, etsi in infidelitate consummatum fuerit, modo post utriusque conversionem consummatum non sit ». Noldin ib.

Probatur: I. Ratione interna, quae desumitur « ex minore firmitate, quae matrimoniis infidelium convenit: matrimonium enim *consummatum infidelium* minus firmum est, quam *ratum fidelium*, quia minus perfecte significat unionem indissolubilem Christi et Ecclesiae: matrimonium autem ratum fidelium a Summo Pontifice solvi potest; ergo etiam matrimonium in infidelitate contractum et consummatum ». Noldin ibid.

II. Rationibus externis, quae desumuntur:

1. *Ex Summorum Pontificum factis.* « Etenim constans est praxis Sanctae Sedis permittendi infidelibus neoconversis aliud matrimonium etiam in iis adiunctis, in quibus privilegium Paulinum applicari non potest, quia desunt requisitae conditiones, praesertim vero, quia pars infidelis non *discedit;* atqui id permitti non posset, nisi prius matrimonium potestate Summi Pontificis solvatur.

Et sane permittitur aliud matrimonium:

1. Si pars infidelis de sua voluntate cohabitandi *interrogari non potest,* etsi fieri possit, ut etiam ipsa converti vel saltem pacifice cohabitare velit.

---

[1] De sacram., n. 521.

2. Si maritus fidelis, qui plures uxores habuit, eam retinere cupit, quae cum ipso *convertitur*, etsi haec *non* sit prima seu *legitima*, et legitima cohabitare velit.

3. Non solum, si pars *infidelis non interpellata* cohabitare voluisset, sed etiam si ipsa interim ad fidem *conversa* sit ». Noldin ibid.

2. *Ex Summorum Pontificum verbis.* Nam Summi Pontifices expressis verbis hanc potestatem sibi tribuunt. Dicit enim *Gregorius XIII*[1]: « Nos attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint etc. ». Et *Urbanus VIII*[2] asserit huiusmodi infidelium matrimonia non ita firma censeri, quin necessitate suadente dissolvi possint.

Scholion. Ex eo, quod matrimonium consummatum infidelium est minus firmum, quam matrimonium non consummatum fidelium, recte deducitur illud etiam solvi per *professionem religiosam.*

CAPUT IV.

De Potestate Ecclesiae in Matrimonium Christianum.

A. Doctrina Ecclesiae.

Ecclesiae, et ei quidem soli, potestas in vinculum matrimonii Christiani a Christo est data. Proinde ad Ecclesiam iure proprio seu originario (non ex concessione principum) et exclusivo pertinet:

1. Impedimenta matrimonii statuere, eaque non solum impedientia, sed etiam dirimentia;

2. Causas matrimoniales vocare ad suum tribunal.

Trident. enim sess. 24. definivit *can. 4.* Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, a. s. Et *can. 12.* Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, a. s.

---

[1] Constit. *Populis ac nationibus* 25 Ian. 1585.

[2] In litteris die 20 Oct. 1626 et die 17 Sept. 1627 datis.

Cf. synod. Pist. prop. 59. 60 (D. 1422 etc.). Syllab. prop. 68. 69. 70. 74 (D. 1616 etc.). Leonis XIII encycl. « Arcanum ».

Protestantes negant potestatem illam Ecclesiae competere; canonistae *curiales* negant eam competere Ecclesiae *soli*, docentes ea, quae sint contractus, pertinere ad auctoritatem civilem, ea, quae sint sacramenti, ad auctoritatem ecclesiasticam. Qua quidem doctrina omnes fere leges civiles de matrimonio latae innituntur.

B. Demonstratio doctrinae.

I. Tota doctrina proposita directe probatur:

1. *Ratione theologica.* Quodvis matrimonium active sumptum est contractus. Sed de ratione contractus est esse subordinatum publicae auctoritati, idque ita, ut ab hac etiam conditiones possint statui, quibus non verificatis vel non impletis ipse contractus reddatur invalidus. Porro matrimonium Christianum active spectatum est sacramentum, et quidem ita, ut ipse contractus rationem sacramenti habeat. Ergo idem matrimonium eodem modo subordinatum est auctoritati Ecclesiae, quo quilibet contractus publicae auctoritati est subordinatus, atque id iure proprio et exclusivo, quia sacramentum matrimonii aeque ac cetera sacramenta ab ipso Christo soli Ecclesiae est concreditum.

2. *Ex doctrina et praxi Ecclesiae.*

a) Ecclesia impedimenta dirimentia iam antiquitus statuit, ut constat:

α) Ex *conciliis*, e. g. Neocaesariensi (a. 314), Carthaginiensi IV (a. 398).

Neocaesar. can. 2: « Mulier, si duobus nupserit fratribus, abiiciatur usque ad mortem. Verumtamen in exitu, propter misericordiam, si promiserit, quod facta incolumis huius coniunctionis vincula dissolvat, fructum poenitentiae consequatur ». Hard. vol. 1, pag. 282. — *Carthag. IV* can. 104. notari dicit « viduas, quae religionem mutaverunt, *adulterii* crimine, si devotionem, quam Deo sponte, non coacte obtulerunt, libidinosa corruperint voluptate atque ad secundas nuptias transitum fecerint ».

β) Ex testimoniis *ss. Patrum*, ut Basilii, Ambrosii, Gregorii M.

Basil.[1]: « Primum itaque, quod in eiusmodi rebus maximum est, morem nostrum obiicere possumus ut vim legis habentem, eo quod nobis a viris sanctis traditae sunt regulae.

[1] Epist. 160. ad Diod. n. 2.

Mos autem ille est eiusmodi, ut si quis impuritatis vitio aliquando victus in illicitam duarum sororum coniunctionem inciderit, neque id matrimonium existimetur, neque omnino in ecclesiae coetum admittantur, priusquam a se invicem dirimantur ». — *Ambr.*[1]: « Quae se spopondit Christo et sanctum velamen accipit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro. Etiamsi voluerit nubere communi lege connubii, adulterium perpetrat ».

« *Greg. M.* in l. 6, ep. 1; l. 7, ep. 119; l. 12, ep. 31 varia impedimenta dirimentia tractat, et docet quasdam coniunctiones permitti a legibus civilibus, sed ab Ecclesia nullas declarari.

Quod autem in ultima epist. ad legem Mosaicam appellat, sicut et alii Patres faciunt, hoc ostendit quidem Patres considerasse legem veterem in multis aptam normam, quam Ecclesia in sua legislatione sequeretur; nequaquam vero eos putasse lege vetere per se obligari Christianos, cum contrarium saepe clarissimis verbis doceant. Porro saepe ss. Patres loquuntur de impedimento dirimente voti, quod supra humana lege statutum diximus ». Pesch[2].

b) Summi Pontifices decreta de valore matrimonii condiderunt contra leges civiles.

Sic a Calixto I. (218-222) declaratum est validum esse matrimonium initum inter servum et liberam; ab aliis Pontificibus validum esse matrimonium contractum a servo cum serva, quae omnia tunc temporis a lege civili irritata habebantur.

c) Romani Pontifices, in his Innocentius I, leges a principibus Christianis, (e. g. Theodosio II et Valentiniano) latas, quibus solutio vinculi matrimonialis permittebatur, irritas esse declararunt.

d) Principes saeculares, in his Iustinianus et Pipinus, illud ius Ecclesiae in matrimonium agnoverunt.

Nota. Ecclesia leges ab auctoritate civili respectu vinculi matrimonii latas saepe quidem sua auctoritate confirmavit; attamen eidem auctoritati ius leges eiusmodi ferendi competere numquam agnovit.

II. Potestatem illam respectu matrimonii competere Ecclesiae *soli*, etiam indirecte probatur.

---

[2] Ad virg. laps. c. 5.

[1] Tom. 7, n. 875.

Si potestas illa non minus spectaret ad gubernium civile, quam ad Ecclesiam:

1. Eadem potestas sub eodem respectu spectaret ad duo tribunalia diversa. Sed hoc et esset absurdum et male eveniret. Nam a lege civili idem matrimonium haberi posset invalidum, quod ab Ecclesia validum habetur, et vice versa. Sic *a)* Ex illa ancipiti potestate inter Ecclesiam et gubernia civilia per se orirentur simultates ac discidia, et pax publica perturbaretur. — *b)* Fideles non raro coniicerentur in gravissimas difficultates et angustias conscientiae.

2. In diversis regnis maximae esse possent differentiae: idem contractus matrimonialis in alio regno esset validus, in alio, etiam vicino, invalidus. Sed haec diversitas in re sacramentaria non congruit cum unitate, quae debet esse inter omnia Ecclesiae Christianae membra.

Scholion. De potestate auctoritatis civilis in matrimonium:

I. Quoad matrimonium *Christianum* auctoritas civilis solummodo habet potestatem in effectus civiles contractum matrimonialem consequentes.

II. Quantum ad matrimonium *infidelium* distinguendum est inter tempus, quod promulgationi legis Christianae antecessit, et tempus, quod eam sequitur.

1. *Ante promulgationem legis Christianae* auctoritas politica, quatenus tunc simul habuit curam religionis, in ipsum matrimonialem contractum potestatem habuisse multis non absque gravi ratione videtur.

2. Utrum eandem potestatem habeat *post legis Christianae promulgationem*, magis est controversum.

Pro sententia *negante* haec gravis affertur ratio: Contractus matrimonialis essentialiter est res sacra; consequenter ad auctoritatem *mere* politicam, seu ad auctoritatem, quae non simul habet curam religionis, non pertinet. Sed auctoritas politica, postquam Ecclesia Christi pro omnibus gentibus ac regnis constituta est, iam est mere politica seu curam religionis non amplius habet. Ergo contractus matrimonialis ad eam iam non pertinet.

Pro sententia *affirmante* a Noldin [1] hae rationes afferuntur:

[1] De sacramentis, n. 512.

a) « Matrimonium infidelium est contractus naturalis; atqui omnis contractus naturalis praeter normas iuris naturalis et divini regitur legibus potestatis civilis; ergo matrimonium infidelium regitur legibus potestatis civilis, modo hae leges non adversentur legibus iuris naturalis et divini.

Contra hoc argumentum ita excipiunt: matrimonium est quidem contractus naturalis, sed simul religiosus et sacer; potestas autem politica nullum ius habet ordinandi res sacras. — Concedi debet matrimonium esse aliquo modo rem sacram, quippe quod *Leo XIII.* (encycl. *Arcanum*) *sua vi, sua natura, sua sponte sacrum* appellet; verum negandum est auctoritatem civilem non habere potestatem in res sacras. In societate enim, in qua non est auctoritas a civili distincta, quae regat res religiosas, potestatis civilis est res sacras ordinare, non ut est politica, sed ut est simul religiosa. Inde est, ut etiam iuramentum et sacrificium in eiusmodi societatibus ab auctoritate civili regantur ».

b) Praeter normas iuris naturalis et divini matrimonium complures leges positivas exposcit: innumera enim sequerentur inconvenientia, si matrimonia infidelium solis legibus iuris naturalis et divini regerentur; ergo adesse debet auctoritas, quae circa matrimonia infidelium leges condat; atqui praeter auctoritatem civilem non est alia, quae eiusmodi leges condere possit; ergo auctoritas civilis iure suo leges statuit circa matrimonia infidelium.

c) Praeferenda est sententia, cui favet praxis Ecclesiae; atqui praxis Ecclesiae favet sententiae affirmanti matrimonia infidelium subesse iurisdictioni auctoritatis civilis: etsi enim Ecclesia mentem suam circa hanc quaestionem explicite non manifestaverit, ex declarationibus tamen sacrarum Congregationum colligitur eas pro invalidis habere matrimonia infidelium, quibus obstat impedimentum dirimens a potestate civili statutum [1]. Inde est, ut etiam missionarii in locis infidelium iuxta hanc sententiam matrimonia eorum, qui ad fidem convertantur, diiudicent ».

CAPUT V.

De Praestantia Virginitatis Et Caelibatus.

THESIS. **Caelibatus et vel maxime status virginalis statu matrimoniali praestantior est.**

[1] S. C. de prop. fide 26 Iun. 1820.

Est *de fide* ex Trid. sess. 24, can. 10: Si quis dixerit statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis vel caelibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut caelibatu, quam iungi matrimonio, a. s.

Opponitur Ioviniano, haeretico saec. 4, et novatoribus saec. 16. etc.

Explicatur: Status virginitatis et caelibatus statu matrimoniali praestantior est, si suscipitur ex intentione, quae ad exercitium virtutis requiritur.

Probatur: I. Ex Scriptura. 1. Ex verbis ipsius *Christi.* Matth. 19, 10-12: *Dicunt ei discipuli eius: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt; et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus; et sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum coelorum. Qui potest capere, capiat.*

Dicitur: 1. *Eunuchi, qui se ipsos castraverunt.* Hi intelligendi sunt ii, qui ex voluntate sua a matrimonio ita se continent, quasi essent e numero eorum, quos aut natura aut vis hominum ad matrimonium consummandum reddidit ineptos. Hoc enim dictum non magis quam illud 5, 29. 30 ad verbum accipiendum esse tam per se intelligitur quam ex verbis *propter regnum coelorum*, cum impotentia physica ad regnum coelorum vel sibi acquirendum vel aliis annuntiandum non conferat quidquam.

Matth. 5, 29, 30: *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et proiice abs te... Et si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam et proiice abs te.* — Cf. Matth. 18, 8.

Praeterea sicut ii, qui vel natura vel ex culpa hominum matrimonii consummandi sunt impotentes, *perpetuo* impotentes sunt, ita quoque, qui se ipsos castraverunt, optimo iure ii intelliguntur, qui usum matrimonii voluntate sibi interdicunt *in perpetuum.*

2. *Propter regnum coelorum* i. e. non ex causis naturalibus, sed impulsu fidei: ut sc. servitio Dei expeditius se tradant, ut aeternam beatitudinem tutius et plenius consequantur, ut apud alios regnum Dei facilius ac melius promoveant etc.

3. *Sunt* (qui se ipsos castraverunt propter regnum coelorum). Quo verbo enuntiatur in regno messiano eiusmodi homines re vera esse.

4. *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est:* i. e. non omnes mente intelligunt verbum istud: « non expedit nubere » seu « virginitas matrimonio est praeferenda »; neque omnes impelluntur ad virginitatem matrimonio praeferendam; sed ii tantum, quibus id divinitus datur.

« Capere (χωρεῖν) seu mente intelligere videtur hoc loco dici non tam de sola cognitione intellectuali, qua quis iudicet esse statum caelibem variis ex causis meliorem, sed de tali cognitione et approbatione, qua voluntas quoque efficaciter impellitur, ut hunc statum amplectatur. Id suadetur ex v. 12. et iam indicari videtur eo, quod Christus dicat: *quibus datum est.* Cum enim « de re agatur, quae in opus deduci possit et debeat, istud *dari* certe non potest restringi ad sterilem cognitionem intellectualem, sed debet intelligi donum, quod fructuosum sit et tamquam beneficium divinum ad ipsam vitae rationem valeat ». *Knabenbauer* [1].

Ex his Christi verbis perspicuum est statum virginalem esse excelsum, esse meliorem seu perfectiorem, quam status matrimonialis est.

5. *Qui potest capere, capiat* (χωρείτω) = Qui iudicat sibi non expedire nubere seu sibi expedire eligere statum virginalem, quique ad hunc statum eligendum gratia divina impellitur, eadem gratia fretus eum eligat. Ergo propter regnum coelorum statum virginalem amplecti est consilii divini.

Itaque iuxta verba Christi in regno ipsius sunt homines, qui religione et gratia divina moti statum virginalem sponte et in perpetuum eligunt, quique eum eligendo melius agunt, quam agerent, si eligerent statum matrimonialem; aliis verbis: status virginalis statu matrimoniali est praestantior.

2. Ex verbis *s. Pauli* 1. Cor. 7, 8. 9. 25-40, unde hi versus deliguntur: v. 8. *Dico autem non nuptis et viduis* (τοῖς ἀγάμοις καὶ ταῖς χήραις): *bonum* (καλόν) *est illis, si sic permaneant* (ἐὰν μείνωσιν), *sicut et ego;* v. 25. *De virginibus* (περὶ δὲ τῶν παρθένων) *autem praeceptum Domini non habeo; consilium* (γνώμην) *autem do...;* v. 26. *Existimo ergo* (οὖν) *hoc bonum* (καλόν) *esse propter instantem necessitatem* (διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην), *quo-*

[1] In Matth., pars. 2, pag. 146.

niam bonum (ὅτι καλόν) *est homini sic esse;* v. 27... *Solutus es ab uxore, noli quaerere uxorem;* v. 32... *Qui sine uxore est* (ὁ ἄγαμος), *solicitus est* (μεριμνᾷ), *quae Domini sunt, quomodo placeat Deo* (τῷ κυρίῳ); v. 33. *Qui autem cum uxore est* (ὁ γαμήσας), *solicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est;* v. 34. *Et mulier innupta et virgo cogitat* (μεριμνᾷ), *quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quae autem nupta est, cogitat* (μεριμνᾷ), *quae sunt mundi, quomodo placeat viro;* v. 35; *Porro hoc* (Τοῦτο δέ) *ad utilitatem vestram dico; non ut laqueum vobis iniiciam, sed ad id* (promovendum), *quod honestum est* (πρὸς τὸ εὔσχημον) *et quod facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi* (καὶ εὐπάρεδρον τῷ Κυρίῳ ἀπερισπάστως); v. 38. *Igitur et qui matrimonio iungit virginem suam, bene* (καλῶς) *facit; et qui non iungit, melius* (κρεῖσσον) *facit.* Tandem de vidua dicitur 39. 40. *Cui vult, nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium.*

Verba textus explicantur: V. 8. *Non nuptis et viduis* est idem ac: non nuptis *et praesertim* viduis.

Non nupti sunt omnes, qui extra matrimonium degunt, sive sunt viri sive mulieres, sive virgines sive viduae vel vidui. Iis speciatim adiunguntur viduae, « quia in primitiva Ecclesia viduae illae, quae perpetuam continentiam servare proposuerant, certis muneribus fungebantur, ad quae obeunda novis nuptiis reddebantur ineptae ». *Cornely* [1]. — Καί in Scriptura etiam alias idem est, quod « et praesertim » e. g. Marc. 16, 7: *Dicite discipulis eius et Petro* et 1. Cor. 9, 5: *Ceteri Apostoli et fratres Domini et Cephas.* — Verbis igitur illis non designantur solae viduae.

Bonum (καλόν) *est.* Καλόν hic idem est, quod ἀγαθόν, seu sensu ethico adhibetur, id quod in Scriptura haud raro fit, e. g. Rom. 7, 16-21; 12, 17; 14, 21 etc.

Hac igitur voce « non utilitas quaedam ob matrimonii molestias evitatas (ita antiquiores acath...), sed bonitas moralis, quae ad salutem aeternam confert, exprimitur, aut saltem utilitas quaedam spiritualis ». *Cornely* [2].

V. 25. Παρθένος etiam adiective sumitur, et tunc quidem pro sexu utroque; sic hoc loco, ut patet e vv. 28, 32, 33. — « Γνώμη... proxime quidem est *sententia;* sed eo ipso, quod aliquis sententiam suam de re agenda exprimit, consilium dat ». *Cornely* [3].

[1] In 1. Cor. pag. 173.
[2] Ib. pag. 163.
[3] Ib. pag. 197.

V. 26: Constructio versus est haec: Existimo ergo hoc, sc. quod (ὅτι, non: « quoniam ») bonum est (sit) homini sic esse, bonum esse propter instantem necessitatem.

Verba enim: *quoniam* (quod) etc. sunt explicatio pronominis *hoc,* cum particula ὅτι hic sit epexegetica. Illud autem quoad rem idem est ac: « Existimo ergo bonum esse homini propter instantem necessitatem sic (i. e. virgineum) esse ».

Necessitate instante « iuxta omnium fere antiquorum interpretum explicationem multae magnaeque tribulationes et molestiae designantur, quas praesens vita secum affert, quibusque illi, qui matrimonio ligati sunt, multo magis, quam caelibes, sunt expositi... *Instans* vero vel *praesens* (ἐνεστῶσα) angustia et necessitas vocatur, quia hominem continuo premit atque cum matrimonio ita est coniuncta, ut coniuges, etsi voluerint, ab illa liberare se nequeant ». *Cornely* [1].

V. 27. *Solutus es ab uxore* = Si matrimonio non es ligatus. *Noli quaerere uxorem.* His verbis non dari praeceptum, sed consilium tantum patet ex vv. 28. et 38.

V. 32-34 sermo est de iis, quae fieri solent, non de iis, quae semper et necessario fiunt.

V. 35. « Εὐσχήμων proprie est *pulcher;* quare ad mores translata vox non tam significat aliquid simpliciter bonum vel honestum esse, quam illud splendore quodam esse insigne, ita ut *perfectionem* potius quam ordinarium honestatis gradum exprimat ». *Cornely* [2].

« Porro εὐπάρεδρος (vel εὐπρόσεδρος; utraque lectio in bonis codd. legitur, sensu autem vocabula non distinguuntur) est is, qui bene assidet, seu assiduus; εὐπάρεδρος τῷ Κυρίῳ igitur ille est, qui Domino bene assidet in eius servitio, vel in conversatione cum eo assiduus est. Demum ἀπερισπάστως, quo adverbio gradus assiduitatis definitur, est id, quod *non distracte;* ac proin illam assiduitatem indicat, quae variis curis ac laboribus non distenditur aut impeditur. In eo igitur est utilitas, quam iuxta Apostolum virginitas et caelibatus affert, ut homo *perfecta* (decora) *vita splendeat et aliis curis non distractus assiduus sit in servitio Domini,* aut, si mavis, in conversatione cum Deo ». *Cornely* [3].

V. 38. *Igitur et qui matrimonio iungit* etc. His verbis, quae adiiciuntur, quia tunc temporis filiae a parentibus in eli-

[1] Ib. pag. 199.
[2] Ib. pag. 210. et 211.
[3] Ib.

gendo statu magis, quam nunc, dependebant, aperte praedicatur bonum quidem esse matrimonium, praeferendam tamen esse virginitatem.

V. 40. Cur vidua, si a lege matrimoniali soluta manet, beatior sit, ex iis, quae de virginibus dicta sunt, colligi potest.

« Beatior igitur erit non tantum ob evitatas vitae molestias, quas matrimonium secum affert, sed praesertim ob maiorem caelibatus perfectionem; uti virgo enim, ita etiam vidua non cogitat, quae mundi sunt, sed ea, quae sunt Domini, ut sit sancta corpore et spiritu. Quam maiorem perfectionem spiritualem ab Apostolo praesertim intelligi, ipsa vox *beatior* (μακαριωτέρα) innuit, quippe quae unico loco (Act. 26, 2) excepto semper de felicitate adhibetur, quae bonis spiritualibus et ad salutem spectantibus obtinetur ». *Cornely* [1]. — His praemissis:

Ex textu argumentum ducitur: Iuxta verba Apostoli manere innuptum est *bonum* (8. 26), honestum vel potius *perfectum* (35), *salutare* (32-35), est melius, quam inire matrimonium (38. 40), unde ab ipso commendatur (25. 27).

Itaque, etiamsi illud *propter instantem necessitatem* (v. 26.) cum aliquibus intelligatur « ob speciales horum temporum circumstantias vel angustias » vel similiter, nequaquam dici potest caelibatum ab Apostolo commendari ob eas *solas*.

II. Ex Traditione. « Ss. Patres inexhaustis laudibus statum caelibatus et maxime virginitatem efferunt, idque non obiter et per accidens, sed ex professo et integris voluminibus, ut *Clemens Rom.* (?) (Ep. ad virgines), *Tertullianus*, *Cyprianus* (De habitu virginum), *Ambrosius* (De virginibus et de virginitate), *Ioan. Chrysostomus* (De virginitate), *Augustinus* (De sancta virginitate), alii. Ss. Ambrosii et Cypriani dicta quaedam habentur in Breviario de communi virginum ». *Pesch* [2].

Chrysost. [3]: « Bonum est virginitas, et ego consentio, ac matrimonio etiam melior, et hoc confiteor. Et si placet, quanto etiam melior sit, addam: quanto caelum terra, quanto hominibus angeli. Nam angeli, etsi nec ducunt uxores nec ducuntur, non sunt carne nec sanguine coagmentati... Eorum, qui in terris degunt, cum caelitibus vitae similitudinem (virginitas) molitur, corpore vestitos vinci ab incorporeis virtutibus non permittit, mortales angelorum aemulos reddit ». — *Aug.* [4]: « Virginalis integritas et per piam

[1] Ib. pag. 217.
[2] Tom. 7, n. 862.
[3] De virginit. c. 10. 11.
[4] De s. virginit. c. 12. 13.

continentiam ab omni concubitu immunitas angelica portio est et in carne corruptibili incorruptionis perpetuae meditatio. Cedat huic omnis fecunditas carnis, omnis pudicitia coniugalis; illa non est in potestate, illa (haec) non est in aeternitate; fecunditatem carnalem non habet liberum arbitrium, pudicitiam coniugalem non habet caelum. Profecto habebunt magnum aliquid praeter ceteros in illa communi immortalitate, qui habent aliquid iam non carnis in carne ».

III. **Rationibus theologicis**: 1. « Christus et matrem virginem elegit et ipse virginitatem perpetuo servavit. Atqui per hanc agendi rationem clare demonstravit virginitatem esse connubio meliorem. Ergo. 2. Ille status vitae est perfectior et melior, in quo homo minora impedimenta et maiora adiumenta salutis invenit. Atqui in statu virginitatis homo minora impedimenta et maiora adiumenta salutis invenit, ut patet ex 1. Cor. 7, 32-35. Cfr. Matth. 19, 29. Ergo ». *Tepe* [1].

Appendix.

De Lege Caelibatus Clericis Imposita.

Lex caelibatus, qua in Ecclesia latina nunc omnes clerici maiores (subdiaconi etc.) etiam per modum voti [2] ad perpetuo servandam perfectam castitatem seu continentiam [3] adstricti sunt:

I. Est *antiquissima*. Nam inde a fine saeculi quarti in Ecclesia latina legem (scriptam) caelibatus pro diaconis etc. (nondum pro subdiaconis) viguisse ab omnibus admittitur. Eadem autem lex non tum primum data est, sed ut iam diu exsistens est inculcata. Fortasse ad id temporis lex caelibatus ex consuetudine potius, quam ex lege scripta observabatur, ita ut haud temere dici possit: Lex caelibatus tum demum coepta est scribi in charta, cum desita est scripta esse in cordibus. Sunt quoque, qui censeant legem caelibatus esse originis apostolicae; in his praeter aliquos antiquiores (ut Bellarminum et Vasquez)

---

[1] Tom. 4, n. 825.

[2] Patet ex decl. Bonifacii VIII, *decret.* l. 3, t. 15 in 6: « ... illud solum votum debere dici solemne, quod solemnizatum fuerit *per susceptionem sacri ordinis* aut professionem factam etc. ».

[3] Cf. *Pontificale* de ordine subdiac., *decret.* Gregorii IX. l. 3, t. 3; *Trid.* sess. 24, can. 9.

Philipps et *Bickell*, quibus alii *contradicunt*, praesertim *Hefele, Probst, Funk.*

« Primum documentum plane indubium spectans ad universam Ecclesiam latinam est epist. *Siricii* papae ad Himerium Tarraconensem (a. 385.), in qua c. 7. ait: « Si beatus propheta (Ierem. 9, 1) ad lugenda populi peccata non sibi ait lacrimas posse sufficere, quanto nos possumus dolore percelli, cum eorum, qui in nostro sunt corpore, compellimur facinora deplorare... Plurimos enim sacerdotes atque levitas post longa consecrationis suae tempora tam de coniugibus propriis, quam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, et crimen suum hac praescriptione defendere, quia in veteri testamento sacerdotibus ac ministris generandi facultas legitur attributa... Dominus Iesus, cum nos suo illustrasset adventu, in evangelio protestatur, quia legem venerit implere, non solvere. Et ideo Ecclesiae, cuius sponsus est, formam castitatis voluit splendore radiare... omnes sacerdotes atque levitae insolubili lege constringimur, ut a die ordinationis nostrae sobrietati ac pudicitiae et corda nostra mancipemus et corpora, dummodo per omnia Deo nostro in his, quae cotidie offerimus, placeamus »... Ad Apostolicam traditionem provocat iam Conc. Carthag. II (a. 390.) c. 2: « Decet sacrosanctos antistites et Dei sacerdotes necnon et levitas continentes esse in omnibus, quo possint suppliciter, quod a Deo postulant, impetrare, ut, quod Apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus ».

Ceterum non in occidentali tantum Ecclesia, sed *etiam in orientali Ecclesia caelibatum* observatum fuisse sancti Patres testantur. Imprimis exstat testimonium in ea parte « Canonum ecclesiasticorum, quae a criticis saeculi secundi esse censetur. Ibi enim c. 16. legimus de episcopo: « Καλὸν μὲν εἶναι ἀγύναιον, εἰ δὲ μή, ἀπὸ μιᾶς γυναικός (= separatus ab una uxore; non, ut *Harnack* vertit, utens una uxore) ». Deinde vero de presbyteris statuitur: « Δεῖ οὖν εἶναι τοὺς πρεσβυτέρους ἤδη κεχρονικότας ἐπὶ τῷ κόσμῳ τρόπῳ τινὶ ἀπεχομένους τῆς πρὸς γυναῖκας συνελεύσεως ».

Eusebius Caesariensis[1]: « ... Eos, qui sacrati sunt atque in Dei ministerii cultuque occupati, continere deinceps se ipsos a commercio uxoris decet ». — *S. Epiphanius*[2]: ... « Eum, qui adhuc in matrimonio degit ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, episcopi aut hypodiaconi ordinem admittit, sed eum dumtaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit aut ea sit orbatus; quod in illis locis praecipue fit, ubi ecclesiastici canones accurate servantur. At enim nonnullis adhuc in locis presbyteri, diaconi et hypodiaconi liberos suscipiunt. Respondeo non illud ex canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam ». — *S. Hieronymus* scribens contra Vigilantium et Iovinianum, caelibatus osores, testatur etiam in Oriente caelibatum observari. « Quid enim faciunt Orientis ecclesiae? quid Aegypti et sedis apostolicae? quae aut virgines clericos accipiunt aut continentes aut, qui, si uxores habue-

---

[1] Demonstr. evang. c. 9.

[2] Haer. 59, n. 4.

rint, mariti esse desistunt [1] ». — Similia habent *Origenes* [2] et *Cyrill. Hieros.* [3], ut de posterioribus Patribus sileamus ». *Pesch* [4].

« Attamen Ecclesia orientalis gradatim a caelibatus puritate defecit. Sensim enim introducta est consuetudo, ut (clerici praeter episcopos) in matrimonio ante susceptos ordines maiores inito manerent, quamvis nemini post susceptos ordines maiores novum matrimonium contrahere liceret. Quae disciplinae relaxatio demum a Concilio Trullano (a. 692) approbata est et usque ad praesens tempus apud Graecos retenta ». *Tepe* [5].

II. Est *conveniens* ob has potissimum rationes:

1. *Status sacerdotalis* est sanctus atque sublimis et postulat, ut is, qui eum amplexus est, se toto animo det servitio Dei, incruentum sacrificium Missae offerat etc. Sed statui sancto et sublimi respondet sancta et sublimis vita. Eum, qui se toto animo dare debet servitio Dei, curis ac negotiis domesticis decet esse vacuum. Si sacerdotes veteris testamenti diebus, quibus sacrificia offerebant, ab uxoribus abstinebant, quid decet facere sacerdotes novi testamenti, qui quotidie solent offerre Agnum immaculatum aliaque mysteria dispensant?

2. *Pastor animarum* debet habere continuam earum curam, impavide corrigere errantes, visitare graviter aegrotantes, etiamsi laborant morbo contagioso etc. Ut haec perficiat *studiose,* debet habere spiritum sacrificii, quo paratus sit profundere vires suas et vitam; aliis curis distrahi vel impediri non debet. Ut eadem perficere possit *fructuose,* oportet homines ipsum vereantur eique confidant. Iam vero ad ea omnia caelibatus religiose servatus mirum in modum conducit, ut experientia satis constat.

Curam pastoralem cura familiae impediri, maxime in rebus difficilibus ac periculosis ut tempore morbi contagiosi vel in praedicando evangelio gentibus barbaris, manifestum est. Apparet quoque populum Christianum libentius confiteri ac maiore cum fiducia conscientiam suam aperire sacerdoti caelibi, quam uxorato. Etiam constat sacerdotem, qui ipse caelibatum debet servare, multos illos, qui inveniuntur, caelibes ad servandam castitatem multo efficacius posse exhortari, quam potest sacerdos maritus.

---

[1] Contra Vigil. n. 2.
[2] Hom. 6. in Levit. n. 6.
[3] Catech. 12, n. 29.
[4] Tom. 7, n. 902. et 903.
[5] Tom. 4, n. 828.

3. *Ministrum Ecclesiae* decet esse liberum a vinculis, qui eum possint impedire in servanda ac defendenda Ecclesiae libertate et inducere ad male utendum ecclesiasticis beneficiis vel bonis.

Si sacerdotes essent mariti, multi eorum beneficia ecclesiastica non procurarent dignis, sed filiis suis etiam indignis, multi bona Ecclesiae non impenderent in usum pauperum, sed ad ditandam suam stirpem. Si amor sacerdotum in liberos fratrum vel sororum (nepotismus) tot iam in Ecclesia creavit mala, quid effecisset et efficeret amor eorum in coniugem et liberos?

Ut solvi possint aliquot ex multis *obiectionibus*, quae contra virginitatem et praecipue contra caelibatum clericorum fiunt, haec respiciantur:

I. *Quantum ad officium ineundi matrimonium:* 1. Matrimonium est quidem officium naturae necessarium; sed ex eo non efficitur quemlibet hominem illud debere inire. Nam non pertinet ad perfectionem individui, sed ad perfectionem speciei. Iam vero illud, quod non pertinet nisi ad perfectionem speciei, non obligat singula speciei individua. Alias quilibet homo etiam obligatus esset e. g. ad colendos agros, aedificandas domus etc. 2. Verba Gen. 1, 28: *Crescite et multiplicamini* (v. 22. etiam piscibus et avibus dicta, quae praecepti non sunt capacia) exhibent benedictionem ac foecunditatem generi humano divinitus collatam; non imponunt singulis hominibus officium genus humanum propagandi. 3. Verbis 1. Tim. 3, 2: *Oportet ergo episcopum... esse unius uxoris virum* improbatur ordinatio bigami.

II. *Quantum ad bonum commune generis humani:* 1. Bonum generis humani materiale et naturale merito potest postferri bono individui spirituali et supernaturali (utpote altioris ordinis), nisi constat hominem ad illud promovendum obligari. 2. Genere humano satis superque propagato tantum abest, ut bonum commune generis humani coniugium omnium hominum exigat, ut caelibatum multorum suadeat. Nam « multi... concedunt numerum populi maiore progressione crescere, quam quantitatem subsidiorum, quibus ad vitam sustentandam opus est ». *Cathrein*[1]. Unde potius timendum est nimium hominum

[1] Philosophia moralis, n. 441.

incrementum, quam decrementum. 3. Propagatio generis humani non est unicum eius bonum, sed sunt alia bona, eaque altioris ordinis, « quae in statu caelibe facilius, tutius, abundantius obtineri possunt. Qui enim coniugii onere soluti sunt, facilius sine ulla spe lucri temporalis in opera bono communi necessaria, v. g. scientias, artes, cultum divinum, exercitia misericordiae etc., se totos impendunt ». *Idem ib.* Historia constat genus humanum ab iis, qui statum caelibem elegerunt, maxima accepisse beneficia.

III. *Quantum ad caelibatus obligationem et difficultatem.* 1. Matrimonium nemini absolute quidem prohiberi potest, neque ab Ecclesia prohibetur, sed tamen prohiberi potest hypothetice, posito sc., quod quis libere deligit statum clericalem. Sicut ad hunc suscipiendum nemo ab Ecclesia cogitur, ita nemo ab ea cogitur ad vivendam vitam caelibem. 2. Multi homines etiam inviti vitam caelibem vivere debent. 3. Tentationibus subiacere non est peccatum (ut multi Protestantes opinantur), sed est occasio exercendae virtutis. 4. Tentationes illae auxilio gratiae divinae sine nimia difficultate vinci solent ab iis, qui bene orant et otium, occasiones haud necessarias, usum delicate ac molliter vivendi devitant.

IV. *Quantum ad scandala.* 1. Etiam unitas matrimonii est occasio multorum criminum; neque tamen abrogatur. 2. Scandala maximam partem praebentur ab iis, qui ad statum clericalem deligendum non sunt ducti amore rerum caelestium et zelo animarum, sed amore rerum terrenarum ac vitae commoditatis: qui non sunt divinitus vocati. 3. Nisi caelibatus obstaret, etiam plures non divinitus vocati et perversis rationibus ducti sacerdotium ingrederentur. Quae fierent ab iis? 4. Etiam moribus uxorum et liberorum efficacia curae pastoralis sacerdotum haud raro impediretur.

ADDITAMENTUM.

DE SACRAMENTALIBUS.

1. Sacramentalia sunt caeremoniae ab Ecclesia institutae vel res ab ea benedictae.

2. Sacramentalia nullam efficaciam habent ex opere operato, id quod respectu gratiae sanctificantis plane certum, re

spectu aliarum gratiarum probabilius saltem est. Efficaciam autem, quam habent, habent ex impetratione Ecclesiae, quatenus haec Deum precibus suis rogat, ut iis, qui sacramentalibus utuntur, supernaturales vel naturales gratias largiatur. Quae quidem preces Deo specialiter sunt acceptae multumque apud eum valent.

Cf. Noldin, de sacramentis, quaestio quinta, n. 44-54 excl.

TRACTATUS

DE NOVISSIMIS.

PARS PRIMA.

DE NOVISSIMIS SINGULORUM HOMINUM.

CAPUT I.

De Morte.

I. *Quantum ad eius originem.* Mors, quae est separatio animae a corpore, per se quidem homini naturalis est; sed tamen *in hoc ordine* est effectus peccati Adae (Gen. 3, 19. Rom. 5, 12). In iis, qui peccato originali inquinati sunt, habet rationem poenae; in iis, qui peccato originali sunt immunes, rationem poenalitatis habet. Cf. tom. I, pag. 214, Thes. II; pag. 218, Thes. V.; pag. 240, n. 3.

II. *Quantum ad eius sequelam.* Morte fit finis *temporis probationis*, i. e. illius temporis, quo homo potest et debet suam operari salutem, ita ut sors hominis aeterna ab hac vita unice dependeat ac post eam iam nullus merendi aut demerendi sit locus.

Potest quoque dici: morte finitur *status viae.* Sed tunc, si exactissime vis loqui, addas: *simpliciter:* ob animas purgatorii, quae secundum quid in statu viae etiam-num sunt, quatenus poenas temporales luendo adeptione aeternae beatitudinis, finis sui proximi, redduntur dignae.

Illud, quod est fide tenendum:

1. Patet ex iis locis *Scripturae*, in quibus asseritur tempus huius vitae esse tempus merendi, post hanc vitam tempus merendi non amplius esse, sed fieri retributionem, etc.

Io. 9, 4: *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari:* « Et diem quidem hic corporeae vitae tempus nominat, noctem vero diem mortis; dies enim tribuitur operibus, nox otio et somno; idcirco vitae tempus, quo operandum est, diem esse dicunt, noctem autem dormiendi tempus, quo ab omni opere cessatur ». *S. Cyrill. Alex.* — Eccl. 9, 10; 11, 3 Eccli. 11, 28 Is. 38, 18. 19 2. Cor. 5, 10; 6, 2.

2. Est *conveniens*. Nam: *a)* Si tempus probationis ultra hanc vitam protraheretur, in hac vita legi divinae deesset necessaria *sanctio*. Quid enim homines ante mortem agerent, si scirent se post mortem remissionem omnium delictorum posse obtinere et vitam aeternam promereri? — *b)* In consummatione saeculi animae hominum cum suis corporibus iterum unientur, et corpora una cum animabus inde per totam aeternitatem aut praemia aut supplicia participabunt; ergo convenit illud solum tempus ad merendum et demerendum destinari, quo anima et corpus sunt *unita*.

Tempus probationis eorum, qui *bis* e vita excesserunt, eo quod a morte priore divinitus ad vitam sunt revocati, finitum est morte altera. Immo animae ipsorum post priorem mortem nec videntur esse iudicatae nec sortem, quam meruerunt, adeptae, sed fuisse videntur in aliqua conditione, quae nobis est ignota. Deus enim has animas a suis corporibus non separavit nisi eo consilio, ut eas cum suis corporibus miraculo iterum uniret.

III. *Quantum ad eius ambitum*. S. Scriptura et ratione et experientia testantibus omnes homines generatim morti sunt subiecti (Hebr. 9, 27).

Dicitur: *generatim*, quia non constat de iis, qui vivent *tempore consummationis saeculi*. Iuxta alios enim, sc. omnes fere *Patres graecos* et paucos latinos, ut Tertullianum [1] et s. Hieronymum [2], hi aut omnes aut ex parte, ii sc., qui tunc erunt in statu gratiae sanctificantis, non morientur; iuxta alios, sc. omnes *latinos scholasticos*, si excipias Caietanum, morientur et statim post mortem resuscitabuntur.

---

[1] De resurr. carn. 41, 42.

[2] Ad Marc. ep. 59, 3; in Is. 51, 6 etc.

Pro sententia priore haec e Scriptura possunt afferri: 1. Cor. 15, 51, 52: *Ecce mysterium dico vobis:* πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα, ἐν ἀτόμῳ i. e. *omnes non dormiemus, sed omnes immutabimur, in momento etc.*

E contrario Vulgata habet: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* In momento etc. Iam vero:

Lectio illa graeca habenda est genuina. Probatur: *a) Rationibus externis.* Ipsa enim invenitur in longe plurimis graecis codicibus, in scriptis omnium fere graecorum Patrum, in pluribus versionibus (syriaca, coptica, gothica); ipsa quoque teste s. Hieronymo olim inveniebatur in haud paucis codicibus latinis. — *b) Rationibus internis,* quae desumuntur: α) *Ex argumento totius capitis.* In toto enim hoc capite sermo est de resurrectione solorum iustorum. — β) *Ex verbis: Ecce mysterium vobis dico.* Nam iuxta lectionem Vulgatae « explicari nequit, qua in re situm sit mysterium, quod sese esse revelaturum Paulus dicit. Neque enim situm est in universali iustorum et iniustorum resurrectione, quam clarissimis verbis iam Dominus ipse annuntiaverat (Io. 5, 28. 29) quamque Apostolus ipse Atheniensibus ethnicis iam praedicaverat (Act. 17, 18. 32) et in hoc tractatu saltem insinuaverat (v. 26: *novissima autem inimica destruetur mors*); neque in eo, quod subita (*in momento* etc.) futura sit resurrectio; nam secundarium hoc est rei momentum, ad quod Apostolus in tota sua argumentatione non attendit ». Sed iuxta lectionem recepti textus graeci « res est clara; iustos ante adventum Domini mortuos gloriose esse resurrecturos Apostolus in praecedentibus demonstraverat; restabat igitur, ut de sorte illorum, quos iudex adveniens vivos esset inventurus, neophytos edoceret; atque hunc in finem revelat illos non esse morituros sed vivos transmutatum iri in statum gloriosum. Tam magnum est hoc mysterium, ut etiam hodie multi theologi illud cum universali mortis lege conciliare nequeant ». *Cornely*[1]. — γ) *Ex verbis textus Vulgatae: non omnes immutabimur.* Totus enim Vulgatae textus necessario sic explicandus est: Omnes quidem, iusti et iniusti, in resurrectione universali resurgemus, sed non omnes immutabimur in statum gloriosum, in quem soli iusti immutabuntur. Sed, cum Apostolus in toto hoc capite agat de resurrectione solorum iustorum, quid hic sibi vult resurrectio reproborum? « Et quomodo Paulus adhibita prima persona *(non omnes immutabimur)* sese ipsum inter eos, qui in statum gloriosum non immutabuntur, numerare potuit? Quomodo, si hic dicit non omnes resurgentes mutatum iri, in versu sequente dicere potuit: *Mortui resurgent incorrupti* (ergo mutati), *et nos immutabimur?* Ubi enim manet tertia classis reproborum, qui non mutabuntur »? *Idem ib.* — δ) *Ex verbis: in momento.* Nam iuxta lectionem Vulgatae admittendum est hyperbaton in hunc modum: « omnes quidem resurgemus (sed non omnes immutabimur) in momento ». Sed hoc est valde durum, cum optime fluat lectio: « non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur in momento » etc.

---

[1] In 1. Cor. pag. 507.

Ex textu graeco deducitur argumentum. Illis verbis clare « docetur non omnes homines esse morituros, sed iustos (de quibus solis in contextu sermo est) tempore secundi adventus Christi viventes sine morte glorificatum iri. Multi quidem explicant verba ita: Illi iusti non dormient i. e. non diu erunt mortui, sed statim post mortem resuscitabuntur. At haec explicatio non videtur posse admitti. Ubi enim cernitur secundum hanc explicationem illud mysterium, quod Apostolus in doctrina sua videt? « *Ecce mysterium vobis dico: Omnes non dormiemus* ». In hac utique re nihil mysteriosum est, quod illi, qui in ultimo mundi fine morientur, non diu mortui manebunt; cum hoc sit per se manifestum. Mysterium non apparet in illis verbis, nisi admittimus sensum esse illos iustos simpliciter non morituros ». *Pesch.*[1] — Cf. *Cornely*, Compendium introduct. in Script.[2].

2. Cor. 5, 2-4: *Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quae de coelo est, superindui cupientes;... eo quod nolumus exspoliari* (ἐκδύσασθαι), *sed supervestiri, ut absorbeatur, quod mortale est, a vita.* S. Paulus igitur hic desideravit corpus suum glorificari, quin ipse antea moreretur. Hoc autem eo saltem modo, quo dixit, non desiderasset, nisi credidisset id sibi posse obtingere.

1. Thess. 4, 15-17: *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non praeveniemus eos, qui dormierunt. Quoniam... mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi* (πρῶτον). *Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur* (ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι), *simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra;* (iuxta explicationem adversariorum: morte et resuscitatione inter illam vitam et hunc raptum mediantibus) *et sic semper cum Domino erimus.*

2. Tim. 4, 1 de Iesu Christo dicitur: *Qui iudicaturus est vivos et mortuos.* Idem recitatur in *symb. Apost. et Nic. Const.* De hac re *s. Aug.*, qui ceterum omnino inclinare solet in sententiam contrariam (quae sc. tenet etiam iustos tempore consummationis saeculi viventes morituros esse), scribit[3]: « Huic sententiae (2. Cor. 5, 4) procul dubio conveniet, quod in regula fidei confitemur venturum Dominum iudicaturum vivos et mortuos, ut non hic intelligamus vivos iustos, mortuos autem iniustos, quamvis iudidicandi sint iusti et iniusti, sed vivos, quos nondum exiisse, mortuos autem, quos iam exiisse de corporibus adventus eius inveniet ». Et sane hic solus videtur esse illius dicti sensus obvius.

---

[1] Tom. 9, n. 565.

[2] Dissert. II, § 18. Decret. Trident. de Vulgatae auctoritate, n. 5. (edit. 3. pag. 114, infra).

[3] Epist. 193, n. 11. Etiam Enchir. c. 55.

Pro altera sententia ii Scripturae loci solent afferri, quibus docetur 1. *omnes* homines esse morituros, quin aliqui excipiantur (2. Reg. 14, 14. Ps. 88, 49. Eccli. 8, 8. Iob 30, 23. Hebr. 9, 27), 2. eos omnes esse morituros, qui infecti sint vel fuerint *peccato originali* (Rom. 5, 12), 3. omnes homines esse *resurrecturos* (Io. 6, 39. Act. 24, 15. 1. Cor. 15, 22). Resurrectionis autem terminus a quo est mors, ut s. Paulus 1. Cor. 15, 36 declarat his verbis: *Insipiens, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur.* Sed iuxta sententiam priorem quoad nominatos exceptio admittenda est, quae complectitur innumerabilem hominum multitudinem.

Quod attinet ad *Henoch et Eliam,* qui nondum mortui sunt, sed vivi sunt translati (Gen. 5, 24. 4. Reg. 2, 11. Eccli. 44, 16; 48, 13. Hebr. 11, 5), communiter tenetur eos sub finem mundi reversos ante saeculi consummationem esse morituros (cf. pag. 156).

CAPUT II.

De Iudicio Particulari.

Thesis. **Statim post mortem anima subit iudicium, in quo per iustissimam Dei sententiam sors eius futura decernitur.**

Est *de fide* ex ordinario magisterio Ecclesiae etc.

Opponitur Coptis, Calvino, aliis, qui censent animas a corporibus separatas usque ad diem iudicii ultimi de futuro suo statu praemii vel poenae esse incertas.

Explicatur: Iudicium particulare fit hoc modo: Anima, ut primum a corpore separata est, virtute divina elevatur et ad clare percipiendam totam praeteritam suam vitam (omnia a se cogitata, dicta, facta etc., tam bona quam mala) et ad cognoscendum a Christo futuram suam sortem stricto iure atque efficaciter decerni. Itaque:

1. *Iudex* est Christus, Deus-homo, ut Deus habens potestatem iudiciariam primariam, ut homo secundariam (Io. 5, 22. 27. cf. tom. I, pag. 354).

2. *Anima iudicanda* ante tribunal Christi hominis sistitur non localiter, (cum neque ipsa ad caelum deferatur neque

Christus ad eam descendat), sed intellectualiter. Hinc iuxta sententiam communiter receptam iudicium fit in eo loco, in quo homo exspiravit.

3. *Iudicium* non est iudicium discussionis (seu non instituitur inquisitio, cum iudex perfectam cognitionem causae iam habeat), sed est iudicium retributionis tantum et fit momento temporis.

« Quae vero de discussione dici solent et de Angelo custode advocati, daemone accusatoris partes agente, *metaphorice* intelligenda sunt atque idcirco dicuntur, ut iudicium divinum *humano more* exhibitum a fidelibus melius apprehendatur.

Si quae denique narrantur revelationes, in quibus vel ante vel aliquantum post mortem iudicium videtur institui, dicendum erit iudicium vel fuisse praemonstratum vel postmodum manifestatum ». *Einig.* [1].

« Ceterum angelos *in exsecutione* sententiae iudicialis partem habere concluditur ex s. Scriptura (Luc. 16, 22: *Factum est autem, ut moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinum Abrahae)*, et insinuatur variis orationibus, quas Ecclesia offert pro moribundis et defunctis ». *Pesch.* [2].

Probatur: I. Ex Scriptura, in qua docetur praemium aut poenam hominibus dari statim post mortem. Eccli. 11, 28: *Facile est coram Deo in die obitus* (τελευτῆς) *retribuere unicuique secundum vias suas.* Verbis quidem per se spectatis definite non dicitur Deum in die obitus unicuique re vera retributurum esse, sed tamen iuxta Vulgatam (cuius lectio hoc loco omnino est praeferenda) hic est verborum sensus. Nam verbis praecedentibus: *In die bonorum ne immemor sis* malorum, et in die malorum ne immemor sis *bonorum*, admonemus, ut tam in secundis quam in adversis servemus aequam mentem. Quam ut facilius servemus, excitamur ad memoriam iusti iudicii divini, cuius spe se consoletur miser, cuius timore fortunatus sibi temperet. Sed ad quid valeret haec exhortatio, si iudicium et iusta retributio proponerentur ut mere possibilia?

Dictum est supra: iuxta Vulgatam. Nam loco verborum: *In die bonorum* etc. Septuag. habet: Ἐν ἡμέρᾳ ἀγαθῶν ἀμνησία κακῶν, καὶ ἐν ἡμέρᾳ κακῶν οὐ μνησθήσεται ἀγαθῶν, « quae sententia utique ad antecedentia haud inepte referri potest, ita sc. ut exprimatur, quid fieri soleat... Verum quod sequitur in v. 28, neutiquam ad hanc sententiam apte adiungeretur. Sed textus

[1] De Deo consummante, Thes. 2, Scholion.

[2] Tom. 9, n. 577.

etiam aliter intelligi potest: simul ac felicitas adest, malum, quod quis sustinuit, iam oblivioni datum est, et econtra.. Ad quam explicationem ut adiungi possit v. 28, explicare oportebit ἐν ἡμέρᾳ τελευτῆς in die finis, sc. vel felicitatis vel calamitatis, retribuet Deus cuivis ea, quae expertus est. Qui tamen sensus satis ieiunus est. Tota enim retributio pro calamitate pie tolerata fere in eo est, ut prae felicitate eius non iam memor sit, et pro superba elatione, ut infortunio succedente obliviscatur prosperitatis antea habitae. Insuper obstant duo: sensus hic exprimitur sententia subsequente v. 29. *(malitia horae oblivionem facit luxuriae magnae)*, quare iam est improbabile eandem sententiam in v. 27. contineri; dein in v. 30. τελευτή certissime dicit *mortem* (πρὸ τελευτῆς etc.: *ante mortem ne laudes hominem quemquam)*; ergo improbabile est vocem in v. 28. alia notione usurpari ». *Knabenbauer* [1].

Luc. 16, 22: *Factum est autem, ut moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinum Abrahae. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.* 27. 28: *Et ait* (dives ad Abraham): *Rogo ergo te, pater, ut mittas eum* (Lazarum) *in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Dives igitur iam erat in inferno, cum fratres eius adhuc in vivis erant.

Luc. 23, 43: *Et dicit illi* (bono latroni) *Iesus: Amen dico tibi; hodie mecum eris in paradiso.*

Io. 14, 2. 3: *Vado parare vobis locum. Et si abiero et praeparavero vobis locum, iterum venio et accipiam vos ad me ipsum, ut, ubi sum ego, et vos sitis.* « Iam vero haec, nisi ridendas incredulis exhibere divinas scripturas velis, intelligi nequeunt de gloria iustis in universali primum resurrectione conferenda, sed intelligenda necessario sunt de gloria iis statim communicanda, simulac vitam cum morte commutarint ». *Stentrup* [2].

2. Cor. 5, 6-8: *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino* (ἐνδημοῦντες ἐν τῷ σώματι ἐκδημοῦμεν ἀπὸ τοῦ κυρίου); *per fidem enim ambulamus, et non per speciem. Audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore et praesentes esse ad Dominum* (ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον). Homo igitur corpore exutus, ergo ante iudicium ultimum, ad beatificam Dei praesentiam ferri potest. Quod si fit, haec non ad illud differtur; ergo in iudicio parti-

[1] In Eccli. pag. 151.

[2] Soteriologia, pars 2, pag. 863.

culari decernitur. Insuper num Apostolus desiderasset peregrinari a corpore, si a corpore peregrinatus non potuisset esse praesens ad Dominum, sed si hoc post consummationem saeculi differretur? — Philipp. 1, 23.

II. Ex Traditione et mente Ecclesiae.

1. *Ex ss. Patribus,* qui iudicium particulare post mortem esse futurum clare docent.

Chrysost.[1]: « Sicut illi, qui e carceribus educuntur, una cum ipsis catenis ad iudicium protrahuntur, sic omnes animae, cum hinc emigraverint, variis peccatorum catenis implicitae ad terribile illud ducentur tribunal ». *Hieron.*[2]: Diem Domini diem intellige iudicii sive diem exitus uniuscuiusque de corpore. Quod enim in die iudicii futurum est omnibus, hoc in singulis die mortis impletur.

2. *Ex definitionibus Ecclesiae,* quibus error contrarius est damnatus.

Sic constitutione *Benedicti XII.* « Benedictus Deus » anno 1336 edita damnatus est error quorundum docentium animas ante iudicium universale carere visione beatifica (D. 456). Et Concilium *Florentinum* definivit « illorum animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam vel in suis corporibus vel eisdem exutae corporibus sunt purgatae, in coelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius; illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas » (D. 588).

III. Rationibus congruis. 1. Morte tempus probationis, tempus merendi et demerendi finitur (cf. pag. 155). Ergo iudicium de modo, quo hoc tempus transactum est, aptissime fit statim post mortem.

2. Anima a corpore separata tam praemii quam poenae capax est. Cur igitur fiet illius vel huius dilatio? Cur anima iusti usque ad consummationem saeculi de sua salute manebit incerta, maxime, cum haec incertitudo et afflictio ex ea orta illi nihil ad salutem possit prodesse? Cur sors iustorum et peccatorum per tantum tempus erit propemodum aequalis?

---

[1] Hom. 14. in Matth. n. 4.

[2] In Ioel 2, 1.

CAPUT III.

De Inferno.

ARTICULUS I.

DE EXSISTENTIA INFERNI.

THESIS. **Est infernus, in quo animae eorum, qui in statu peccati mortalis personalis decesserunt, pro demeritorum ratione puniuntur.**

Est *de fide* ex ordinario magisterio Ecclesiae et ex Conc. Florent.

Opponitur sadducaeis, rationalistis, materialistis etc.

Nota. Infernus (scheol, ᾅδης) usu loquendi ecclesiastico minus proprie significat quemlibet animarum locum caelo oppositum, magis proprie significat eum solum locum, in quo detinentur animae poenas peccati gravis personalis luentes. Hoc sensu acceptus in Scriptura etiam vocatur gehenna i. e. proprie vallis Hinnom, quae sita erat prope Hierosolymam, et in qua a Iudaeis aliquando infantes Moloch idolo immolabantur, postea autem cadavera animalium cremabantur etc., unde iis versa est in locum abominationis, et ab ea locus horroris, ubi damnati cruciantur, est denominatus.

Probatur: I. Ex Scriptura, in qua: 1. Ab ipso *Christo* in altera vita exsistentia exhibentur: *locus tormentorum* (Luc. 15, 28), *supplicium* (Matth. 25, 46), *ignis* (Io. 15, 6), *caminus ignis* (Matth. 13, 42), *gehenna ignis* (Matth. 5, 22. Marc. 9, 44), *tenebrae exteriores* (τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον), ubi *erit fletus et stridor dentium* (Matth. 8, 12).

2. Ab *Apostolis* in altera vita exsistentes exhibentur ii, qui missi sunt *in stagnum ignis* (Apoc. 20, 15), *qui poenas dabunt... a facie Domini* (2. Thess. 1, 9), *quibus procella tenebrarum servata est in aeternum* (Iud. 13), a quibus *fumus tormentorum ascendet in saecula saeculorum* (Apoc. 14, 11).

Iuxta haec Christi aut Apostolorum verba ii in gehenna puniuntur, qui non egerunt bona (Matth. 25, 41-46), qui fecerunt iniquitatem (Matth. 13, 41. 42) qui non noverunt Deum vel non obedierunt evangelio (2. Thess. 1, 8. 9), idololatrae (Apoc. 21, 8), timidi (δειλοί, ib.), homicidae et venefici et fornicatores et mendaces (ib.), contumeliosi (Matth. 5, 22).

II. Ex Traditione. 1. Ex communi doctrina *Patrum*, quorum aliqua testimonia infra citata inveniuntur ubi de poenarum inferni aeternitate.

2. Ex confessionibus *Martyrum*, qui ad rogum damnati non raro palam dixerunt melius esse in hac vita, quam post hanc vitam in inferno igne torqueri, vel aliquid simile.

Sic s. *Basil.* refert [1] s. *Gordium* eos, qui ipsum deplorabant, ita esse allocutum: Ipsos flete, qui ignem nobis parant, sibimet gehennae incendia iramque in diem irae thesaurizantes.

3. Ex *symbolo Athanasiano*, in quo recitatur: Qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala, in ignem aeternum.

4. Ex *precibus Ecclesiae* publicis vel liturgicis.

Sic in *commendatione animae* Ecclesia precatur: Liberet te a cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est. Liberet te ab aeterna morte Christus, qui pro te mori dignatus est. — Cf. oratio festi s. Nicolai; hymn. Matut. Advent. (Ut cum tribunal iudicis etc.); hymn. Matut. recit. die Dom. tempore hiemali (Ne foeda sit etc.).

III. Ratione. Posito atque concesso animam hominis esse spiritualem, liberam, immortalem, et exsistere Deum, auctorem legis naturae et creaturarum suarum rationem habentem, concludatur oportet ipsum transgressores legis suae in altera vita poenis esse affecturum. Et id quidem concludendum est:

1. *Ex parte hominum.* Si enim secus, aliquid deesset, quod omnibus hominibus in omnibus rebus sufficeret ad eos arcendos a faciendo malo et ad eos impellendos ad faciendum debitum bonum. Nam inveniuntur, qui ad recte agendum unice fere moveantur timore. Et qui sunt, qui per totam vitam suam ad evitandum peccatum motivo timoris numquam egeant, ne tum quidem, cum gravissima agitantur tentatione? Iam vero timorem poenarum, quibus peccata hominum in hac vita multantur, non satis esse liquet. Peccata enim longe plurima in terris haud-quaquam puniuntur. E contrario per commissa scelera non raro obtinentur commoda, ob cultam virtutem saepe toleranda sunt incommoda. Improbi frequenter potiuntur huius vitae bonis, probi versantur in miseriis. Nisi igitur in altera vita transgressioni legis divinae poena proposita esset, eadem

[1] Orat. de s. Gordio Mart.

lex in hac vita sufficienti careret sanctione: in hominibus studium exercendae virtutis torperet, libidinum peccatorumque omnium pateret licentia.

2. *Ex parte Dei. a) Sanctitas* divina non potest esse indifferens circa bonum et malum, virtutes et vitia; sed « sicut calor ob physicam repugnantiam adversatur frigori et hoc undique repellere nititur, idque eo maiore intensione et nisu, quo maior est: ita sanctitas, quo maior est (ut iam cernere licet in sanctis), eo intensiore odio omnem aversatur iniquitatem, eamque repellere et reprimere nititur odio, fuga, prohibitione, poenis ». *Hurter* [1]. Sed, cum iniquitates hac in vita non satis saltem puniri soleant, in altera vita puniri debent.

b) Maiestas divina non potest esse indifferens circa obedientiam et inobedientiam sibi praestitam, circa honorem et iniuriam sibi illatam. Sed indifferens esset, si peccatores impoenitentes nullis in altera vita afficeret poenis.

IV. Ex consensu generis humani. Genus humanum « quovis tempore credidit impios puniri in altera vita. Qui consensus est *universalis*, *antiquitate* se commendat, versatur circa doctrinam nullatenus gratam, imo perversae hominum inclinationi admodum *ingratam*, et circa doctrinam *summi momenti* pro universo hominum genere, eosque tantum habet adversarios, qui vitae probitate non admodum se commendant; neque alius ipsi fons potest assignari nisi vel primitiva quaedam revelatio vel vox conscientiae, quae, sicut naturae promulgat legem, legislatorem manifestat, ita simul legis sanctionem revelat. Consensus vero eiusmodi manifestae innititur veritati ». *Hurter* [2].

ARTICULUS II.

DE AETERNITATE POENARUM INFERNI.

THESIS I. **Poenae inferni sunt aeternae.**

Est *de fide* ex ordinario magisterio Ecclesiae etc.

Symb. Athan.: Qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala, in ignem aeternum. — *Later. IV. cap. 1:* Omnes cum suis propriis

[1] Compend. tom. 3, n. 793.

[2] Ib. 795. Cf. *Hettinger*, Apologie des Christenth. tom. 2. p. 2, disp. 15. *Lüken*, Traditionen des Menschengeschlechtes, pag. 410 sqq.

resurgent corporibus, quae nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala: illi cum diabolo poenam perpetuam, et isti cum Christo gloriam sempiternam (D. 356).

Opponitur Origenistis, Priscillianistis, Socinianis, non paucis recentioribus Protestantibus cuiusvis denominationis, iuxta quos omnes etiam in inferno conversio ad Deum ac morum mutatio fieri et propterea salus obtineri potest, etc.

Probatur: I. Ex Scriptura, in qua:

1. Damnatorum *poenae* praedicantur sine fine duraturae, et quidem:

a) Positive. Illae enim poenae ibi dicuntur:

α) *Aeternae.* Dan. 12, 2: *Et multi de his* (i. e. tota horum multitudo seu hi omnes, qui sunt multi), *qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt: alii in vitam aeternam* (LXX: εἰς ζωὴν αἰώνιον), *et alii in opprobrium, ut videant semper,* ut habet Vulgata, sed iuxta textum hebr. et LXX: *in opprobrium,* (LXX: καὶ) *in abominationem aeternam* (εἰς αἰσχύνην αἰώνιον).

Matth. 25, 41. 46: *Tunc dicet et his, qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem aeternum* (εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον), *qui paratus est diabolo et angelis eius... Et ibunt hi in supplicium aeternum* (εἰς κόλασιν αἰώνιον), *iusti autem in vitam aeternam* (εἰς ζωὴν αἰώνιον).

2. Thess. 1, 9: *Qui* (sc., ut dicitur v. 8., ii, qui non noverunt Deum et qui non obediunt evangelio Domini nostri Iesu Christi) *poenas dabunt in interitu aeternas* (δίκην τίσουσιν ὄλεθρον αἰώνιον).

Aeternus, αἰώνιος, hebr. ‘olām, in Scriptura et proprie accipitur et minus proprie. Si proprie accipitur, significat durationem fine carentem; sin accipitur minus proprie, significat durationem valde longam. Iam vero in locis citatis proprie accipi debet atque significat durationem, quae est sine fine. Nam:

αα) Si in Scriptura illa vox significationem minus propriam habet, id semper vel ex subiecta materia vel ex addita limitatione est perspicuum. Atqui vocem aeterni in locis allatis minus proprie esse accipiendam neque apparet ex subiecta materia, cum angeli et animae humanae natura sua immortales sint seu in perpetuum duraturae, neque ex ulla limitatione addita. E contra:

ββ) In duobus ex allatis locis (Dan. 12, 2 et Matth. 25, 46) componuntur et opponuntur aeterna vita et aeterna abominatio

vel aeternum supplicium. Iam vero beatorum vita sensu proprio est aeterna, ut ii omnes concedunt, qui immortalitatem animae et inspirationem Scripturae admittunt; ergo etiam damnatorum poena sensu proprio aeterna seu in perpetuum duratura est. Nam eadem vox in eadem sententia bis posita alias aliter intelligi rationabiliter non potest.

Nec valet dicere infernum quidem eiusque ignem esse aeterna, sed poenas singulorum damnatorum aeternas non esse. Nam ipsa abominatio (Dan. 12. 2), ipsum supplicium (Matth. 25, 46), ipsae poenae (2. Thess. 1, 9) aeterna dicuntur.

β) *Duraturae in saecula saeculorum.* Apoc. 14, 11: *Et fumus tormentorum eorum ascendet in saecula saeculorum* (εἰς αἰῶνας αἰώνων). — 19, 3; 20, 10. Sed phrasis « in saecula saeculorum » in Scriptura non significat nisi aeternitatem proprie dictam. Adhibetur enim ad efferendam aeternam gloriam Dei (Gal. 1, 5. 1. Tim. 1, 17. 2. Tim. 4, 18. Apoc. 15, 7), aeternum regnum Christi (Apoc. 1, 18; 11, 15), aeternam beatitudinem electorum (Apoc. 22, 5), quae omnia proprie aeterna sunt; ergo eadem phrasis etiam ibi de aeternitate proprie dicta intelligi debet, ubi adhibetur ad significandam durationem poenarum inferni.

b) Negative, idque et a Ioanne Baptista et ab ipso Christo. Matth. 3, 12 Ioannes Bapt. de Christo dicit: *Et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inexstinguibili* (πυρὶ ἀσβέστῳ). Luc. 3. 17. — Marc. 9, 42. 43 ipse Christus dicit: *Si scandalizaverit te manus tua, abscide illam; bonum* (melius) *est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inexstinguibilem* (εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον); *ubi vermis eorum non moritur* (οὐ τελευτᾷ) *et ignis non exstinguitur* (οὐ σβέννυται). Eaedem phrases infra (VV. 44-47) bis repetuntur. Una igitur eademque veritas ibi exhibetur ut novies a Christo inculcata. Iam vero termini negativi, ut merito dici solet, sunt malignantis naturae. Et, si poenae inferni habiturae essent finem, Christus falso esset locutus seu nos decepisset; et si nos decepisset etiam in una tantum re, Filius Dei haberi non posset.

2. *Damnati* vel damnandi vocantur: maledicti (Matth. 25, 41), vasa irae apta in interitum (Rom. 9, 22) vasa in contumeliam (2 Tim, 2, 20); ii, super quos manet ira Dei (Io. 3, 36), qui regnum Dei non possidebunt (1. Cor. 6, 9) vel non conse-

quentur (Gal. 5, 21), qui sunt in morte secunda (Apoc. 21, 8). Num tandem damnati vel damnandi iis nominibus signarentur vel ea de illis edicerentur, si etiam quantumvis longo tempore interiecto possent obtinere aeternam salutem ac Deum videre, diligere, possidere?

II. Ex Traditione. Ss. Patres poenas inferni aeternas esse plane et aperte docent. Sic:

Saec. I. Barnabas [1].

« Est via mortis *aeternae* cum supplicio ».

Saec. II. Ignatius, Iustinus, Theophilus Antiochenus, Irenaeus († 202).

Ign. [2]: « Si quis fidem Dei in mala doctrina corrumpat,... talis inquinatus factus in ignem *inexstinguibilem* ibit ». — *Iustinus* [3]: « Eos, qui improbe vivunt neque immutantur, puniri igne *aeterno* credimus. — *Theophil. Ant.* [4]: « Si nunc incredulus fueris, credas tunc suppliciis cruciatus *aeternis*... Lege studiose propheticas Scripturas,... ut fugias *aeterna* supplicia... Tales (incredulos, superbos) ignis *aeternus* detinebit ». — *Iren.* [5]: « Poena eorum, qui non credunt..., adampliata est,... *aeterna* facta. Quibuscunque enim dixerit Dominus: Discedite a me maledicti in ignem aeternum, isti erunt *semper* damnati ».

Saec. III. Tertullianus et Cyprianus.

Tertull. [6]: « Nos, qui sub Deo, omnium speculatore, dispungimur, qui *aeternam* ab eo poenam providemus, merito soli innocentiae occurrimus. ». — *Cypr.* [7]: « Cremabit addictos ardens *semper* gehenna...; *nec* erit, unde habere tormenta vel *requiem* possint aliquando vel *finem*... Erit tunc *sine fructu poenitentiae* dolor poenae, inanis ploratio et inefficax deprecatio. In *aeternam* poenam sero credunt, qui in vitam aeternam credere noluerunt... *Nullus iam poenitentiae locus est, nullus satisfactionis effectus* ».

Saec. IV. Basilius et Cyrillus Hierosolymitanus.

Basil. [8]: « Infinita illa et intolerabilia perferet tormenta, ubi ignis *inexstinctus* et vermis *indesinenter* puniens... Neque est industria ulla neque ars effugiendi amara supplicia ». — *Cyrill. Hieros.* [9]: « Si quis autem pec-

---

[1] Epist. 20, 1.
[2] Ad Eph. 5, 16.
[3] Apol. 1, 21.
[4] Ad Autol. l. 1, n. 14.
[5] Adv. haer. l. 4, c. 28, n. 2.
[6] Apol. cap. 45.
[7] Ad Demetr. c. 24. 25.
[8] Epist. 44.
[9] Catech. 18, n. 19.

cator est, corpus accipiet *aeternae* perpetiendae peccatorum poenae capax, ut *in aeternum* igne combustus *numquam absumatur* ».

Saec. V. Chrysostomus et Augustinus.

Chrysost. [1]: « Quod *non* sit *temporanea* (gehenna), audi Paulum nunc dicentem de iis, qui Deum non norunt neque credunt evangelio, quod poenas dabunt exitium *aeternum*. Quod autem est aeternum, quomodo temporale » ? Et [2]: « Ad abluenda admissa delicta non sufficit gehenna, licet sit aeterna; idcirco enim est aeterna ». — *Aug.* [3]: « Miseria sempiterna secunda mors (Apoc. 20, 14) dicitur, quia nec anima ibi vivere dicenda est, quae a vita Dei alienata est, nec corpus, quod aeternis doloribus subiacebit; ac per hoc ideo durior ista secunda mors erit, quia *finiri morte non poterit* ». Et [4]: « Christus in uno eodemque loco, in una eademque sententia dicit: Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam. Si utrumque aeternum, profecto aut utrumque cum fine diuturnum aut utrumque sine fine perpetuum debet intelligi; par pari enim relata sunt. Hinc supplicium aeternum, inde vita aeterna. Dicere autem in hoc uno eodemque sensu: vita aeterna sine fine erit, supplicium aeternum *finem habebit, multum absurdum est* ».

Scholion. Ad infringendas *difficultates* e Scriptura et Patribus allatas haec advertantur:

I. *Quoad s. Scripturam.* 1. Verba Ps. 102, 9: *Non in perpetuum irascetur neque in aeternum comminabitur* et verba similia Is. 57, 16 referuntur ad homines hac in vita poenitentiam agentes, et verba Isaiae saltem etiam spectant, ut patet ex contextu, ad liberationem malorum temporalium.

2. *Restitutio omnium* (ἀποκατάστασις πάντων), de qua loquitur s. Petrus (Act. 3, 21), quaque iuxta verba s. Ioannis (Apoc. 21, 5) nova fiunt omnia, est renovatio omnium rerum *materialium* in consummatione saeculi futura.

3. Damnatio vocatur *mors* (Apoc. 21, 8), *perditio* (Philipp. 3, 19), *interitus* (2. Thess. 1, 9), quia est privatio gratiae ac gloriae, ad quam damnati erant vocati, et summa aeternaque miseria, quae a Tertulliano [5] aeternitas occisionis vocatur, a s. Gregorio M. [6] mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu.

---

[1] Homil. 3. in 2. Thess. n. 1.
[2] Ad Hebr. hom. 17, 5.
[3] De civ. Dei l. 19, c. 28.
[4] Ib. l. 21, c. 23.
[5] De resurr. carnis, c. 35.
[6] Moral. l. 9, c. 66.

II. *Quoad ss. Patres.* 1. *Generatim. a)* Dissensus vel dubium *unius alteriusve* Patris argumentum e Scriptura et Traditione petitum infirmare non potest. *b)* Dicta Patrum *obscuriora* explicanda sunt iuxta eorundem doctrinam alibi clarius propositam et, in quantum fieri potest, iuxta doctrinam catholicorum communem. — *c)* Aliqui Patres, qui alicubi doctrinae Origenis aequo plus indulgent, alibi errorem *emendant*, ut testatur Petavius, severus scriptorum Patrum exactor.

2. *Speciatim. a)* Scripta s. *Gregorii Nysseni*, qui plus ceteris quibusdam falsis opinionibus Origenis favisse dicitur, fortasse ab Origenistis sunt corrupta, ut testantur Photius [1] et Nicephorus [2], quibus tamen alii, praesertim Kleinheidt [3], contradicunt. — *b) S. Hieronymus* (in Is. 66, 24) dicit quidem poenam impiorum infidelium esse aeternam, Christianorum autem peccata igne purgatorii deleri. Sed « nulla est ratio supponendi eum hoc dicere de iis, qui sine poenitentia decesserunt, cum alibi (in Ionam, 3, 6; in Matth. 25, 46) contrarium doceat ». *Pesch* [4].

THESIS II. **Doctrina de aeternitate poenarum inferni non repugnat rationi.**

Probatur: I. Argumentis positivis, quae desumuntur:

1. *Ex parte peccati mortalis*, cui poena aeterna est constituta, et quidem:

a) Eo, quod peccato gravi offenditur Deus infinitus. Peccato mortali Deus a creatura sua graviter offenditur. Offensio autem (personalis) eo maior est, quo maior est dignitas offensi. Sed dignitas Dei tanta est, ut ea maior esse non possit. Ergo etiam offensio Dei, quatenus ex parte offensi spectatur, tanta est, ut ea non possit esse maior. Ergo meretur tantam poenam, quanta maior esse nequit. Sed creatura non est capax ad sustinendam poenam, quae intensive seu acerbitate tanta est; est tamen capax ad poenam sustinendam, quae tanta est extensive seu duratione, i. e, quae fine caret seu est aeterna. Ergo poena aeterna non est immerita seu nimia.

---

[1] Biblioth. cod. 233.
[2] Hist. eccl. l. 11, c. 19.
[3] S. Greg. Nyss. doctrina de Angelis (Friburgi 1860) p. 48 sqq.
[4] Tom. 9, n. 631.

Confirmatur: Quia peccato mortali graviter offenditur Deus infinitus, malitia illius tanta est, ut nullis merae creaturae operibus bonis quantumvis longo tempore continuatis ex aequo possit compensari, sed *unice satisfactione a Deo incarnato exhibita.* Sed id, quod adeo malum est, profecto meretur poenam quovis tempore diuturniorem i. e. aeternam.

Rursum ii, qui tenent, si homo non peccasset, Filium Dei hominem non esse factum, merito sic possunt quaerere: Si peccatum grave poenam non meretur nisi temporalem, *ad quid Deus ipse homo factus est?*

b) Eo, quod peccato gravi abiicitur Deus, finis ultimus. Qui graviter peccat, libere, etsi raro actu signato, tamen semper actu exercito creaturam sibi constituit ultimum finem et a Deo, fine suo ultimo, deficit. Haec defectio de se est irreparabilis, quamvis reparari possit virtute divina. Unde peccatori non fit iniuria, si divina virtute non reparatur, et consequenter ipse amissione finis sui ultimi tamdiu infelix est, quamdiu exsistit.

c) Eo, quod peccatum grave absolute opponitur bono morali. Absolutum est discrimen inter peccatum grave et bonum morale. Hinc consentaneum est etiam inter eos, qui grave peccatum commiserunt atque impoenitentes e statu viae decesserunt et eos, qui se dederunt virtuti, separationem fieri absolutam et consequenter aeternam. — Contra vero, si tam boni quam mali, tam sanctissimi quam sceleratissimi tandem aliquando, etsi post tempus longissimum, futuri essent in conditione eadem, discrimen atque oppositio inter bonum et malum valde offuscaretur.

Confirmatur. Opera bona hominis iusti ex gratia facta de condigno i. e. ex iustitia merentur *praemium aeternum.* Ergo illorum contraria i. e. peccata mortalia non minus merentur *poenam aeternam.* Imo hanc merentur *magis.* Nam peccatum grave est aliquid maius in ratione malitiae et iniuriae, quam opus bonum in ratione bonitatis et obsequii.

2. *Ex parte Dei,* a quo poena aeterna constituta est, et quidem:

a) Eo, quod Deus est supremus ac sapientissimus legislator. Is enim legibus suis eam *sanctionem* det oportet, quae idonea sit ad omnes homines in omnibus rebus ab earum violatione deterrendos. Sed si graviter peccantes non deberent

reformidare poenam aeternam, aliquot hominibus semper fere deesset motivum satis efficax ad eos a gravi lapsu retinendos; quamplurimis eiusmodi motivum deesset non numquam, tum sc., cum magna animi perturbatione commoventur, cum acriore libidine vel concupiscentia incenduntur etc.; omnibus fere tum saltem eiusmodi motivum deesset, si fieret, ut atrocissimis tormentis ad graviter peccandum impellerentur.

Metum poenarum aeternarum aptum esse, qui omnes homines ab impie vivendo arceat, ipsi scelerati re ostendunt. Ut enim quietius se in flagitia ingurgitare possint, omni modo sibi persuadere conantur poenam alterius vitae aeternam non esse. Alia omnia, quae fides et ratio de peccato docent, eos non sollicitant.

b) Eo, quod Deus est creator ac supremus dominus. Ad creatorem atque supremum dominum pertinet servo a se creato *tempus determinare*, intra quod eligat, utrum velit esse ipsi subiectus an rebellis, ipsius amicus an inimicus, intra quod de sorte sua aeterna decernat. Ad Creatorem a creatura offensum pertinet ipsi tempus determinare, intra quod veniam peccatorum possit obtinere et ultra quod non possit. Illud tempus determinare profecto non est creaturae et vilissimi servi. Iam vero, si poena inferni non esset aeterna, non creator, sed creatura, non dominus, sed servus illud tempus sibi determinaret. Quivis enim homo per hanc totam vitam posset Deo servitium denegare, sceleribus scelera contexere, conversionem in alteram vitam differre ibique conversione peracta salutem in terris continuo spretam obtinere. Sic creatura vitam mortalem, quae ex sapientissima Dei ordinatione habet rationem praeparationis ad vitam immortalem, tota hac ratione posset privare. — Etiam in altera vita posset recusare se Deo subiicere, imo in Deum acerbis poenis ipsum frangere volentem odium implacabile suscipere et hoc odium continuis blasphemiis effundere. Sic creatura creatorem posset cogere, ut aut conversionem suam, quamdiu sibi liberet, exspectaret, aut sibi concederet gratiam efficacem, qua infallibiliter perveniret ad conversionem et salutem, aut se ab ipso immortalem factam contra suam naturam in nihilum redigeret. Sic creator a creatura, supremus dominus ab infimo servo dependeret, imo vinceretur.

Confirmatur. Etiam in *societate humana* e. g. civibus rebellibus tempus solummodo definitum solet concedi, intra quod

deditionem voluntariam faciendo veniam praeteritorum obtinere possunt. Quo quidem tempore elapso omnis spes impetrandi veniam iis est abscisa.

3. *Ex parte damnati,* in quem poena aeterna est constituta, de cuius animo perverso haec sunt perpendenda.

a) Damnato displicet quidem de poena, quam sustinet, et de culpa, quatenus est causa huius poenae; sed eum *non poenitet,* eum numquam poenitebit peccati, quatenus est in se inhonestum et quatenus offendit Deum. Econtra:

b) Peccatum grave, monstrum illud immanissimum, quod anima corpori unita, licet revera, tamen, ut ita dicam, in superficie tantum solet complecti, in anima separata penitus excrescit, eam prorsus penetrat eamque totam reddit malitiosam.

Et haec quidem eiusdem animae malitia est omnino stabilis. Omnis damnatus est *in malitia obstinatus.* Omnis homo, qui in statu viae a Deo, fine suo ultimo, se avertit et in hac aversione de vita decessit, in statu termini *Deum odio habet aeternumque habebit.*

« Hunc infelicem statum damnatorum aliquatenus explicare licet exemplo eorum, qui potenti aliqua cupiditate vel odii vel vindictae vel libidinis aguntur. Eos saepe videas adeo defixos in obiecto inordinatae affectionis, ut continenter de eo cogitent et loquantur nec ab eiusdem desiderio et complacentia dimoveri queant, tametsi aut flagellis atterantur aut ex eius prosecutione mala plurima sibi obvenire cognoscant ». *Iungmann* [1].

c) Causa huius perversitatis atque obstinationis animae damnatae non unice sita esse censenda est in defectu gratiae et atrocitate poenae, sed *etiam in ipsa animae voluntate.* Quomodo hoc se habeat, nos satis clare intelligere non possumus, eo quod modum cognoscendi et appetendi, qui animae separatae proprius est, perspectum non habemus.

Iuxta *s. Thomam* immobilis illa damnatorum aversio a Deo et conversio ad malum, sicut in puris spiritibus ex eorum natura oritur, ita etiam in animabus corporum mortalium expertibus prodit ex harum *naturali indole.*

Ipse enim scribit *de angelis* [2]: « In angelo... peccatum ex passione esse non potest, quia... passio non est nisi in sensibili parte animae, quam angeli non habent. Unde in peccato angeli sola duo concurrunt: sc. inclinatio habitualis in peccatum et falsa aestimatio virtutis cognitivae de particulari eli-

---

[1] De novissimis, n. 66.

[2] De verit. q. 24, a. 10 in c.

gibili. Cum autem in angelis non sit multitudo appetitivarum potentiarum, sicut est in hominibus, quando appetitus eorum tendit in aliquid, totaliter inclinatur in illud, ut non sit ei aliqua inclinatio inducens in contrarium. Quia vero rationem non habent, sed intellectum, quidquid aestimant, per modum intelligibilem accipiunt. Quod autem accipitur intelligibiliter, accipitur irreversibiliter, ut cum quis accipit omne totum esse maius sua parte. Unde angeli aestimationem, quam semel accipiunt, deponere non possunt, sive sit vera, sive falsa ».

Et *de animabus humanis* [1]: « Quod aliquis homo in statu viae non possit esse ita obstinatus in malo, quin ad suam liberationem cooperari possit, ratio patet..., quia et passio solvitur et reprimitur, et habitus non totaliter animam corrumpit, et ratio non ita pertinaciter falso adhaeret, quin per contrariam rationem possit abduci. Sed post statum viae anima separata non intelliget accipiendo a sensibus, nec erit in actu potentiarum appetitivarum sensibilium, et sic anima separata angelo conformatur et quantum ad modum intelligendi et quantum ad indivisibilitatem appetitus, quae erant causa obstinationis in angelo peccante; unde per eandem rationem in anima separata obstinatio erit. In resurrectione autem corpus sequetur animae conditionem; et ideo non redibit anima ad statum, in quo modo est, in quo a corpore necesse habet accipere, quamquam corporeis instrumentis utetur; et ita tunc eadem obstinationis ratio manebit ».

Haec s. Thomae verba ab aliis ipsius discipulis, ut Sylvio, intelliguntur de immobilitate solummodo *morali*, ab aliis, et iis quidem pluribus, de inflexibilitate *physica*. Sic autem intellecta multis non videntur esse vera, eo quod, si angeli natura sua physice inflexibiles essent, ipsi essent confirmati in bono non per gratiam et visionem beatificam, sed per vires naturae, et ex aliis rationibus similibus.

d) Illud, quod clare intelligere non possumus, possumus adhibendo similia etc. *aliquo modo illustrare*, e. g. sic: α) Status viae, in quo sumus, habet rationem sementis; status termini, in quo erimus, habet rationem maturitatis. Hoc valet, sicut respectu boni, ita respectu mali. Quo quidem admisso non est difficile facere coniecturam. Quantum enim in tota rerum natura est discrimen inter semen et stirpem ex semine enatam ac maturitatem assecutam, e. g. inter glandem quernea et quercum! Quis, nisi videret, crederet e glande quernea ipsam quercum enasci? Nonne tantum et etiam maius discrimen esse potest inter malitiam, quae in anima in statu viae ab ipsa, ut ita dicam, seritur ab eaque concipitur, et malitiam, quae in statu termini ex illa connaturaliter permaturescit? — β) Aqua profluens continuo est in motu; sed per hoc, quod

[1] Ib. a. 11 in c.

frigoribus conglaciat, fit immota; et, nisi calore solvitur, immota manet. Sic voluntas humana in statu viae facile est mobilis, et malum, quod nunc diligit, paulo post odio habere potest. Sed in statu termini circa grave peccatum, quod in hac vita libere elegit nec retractavit, indurescit, et deest ei calor gratiae, quo solo potest molliri.

II. **Argumentis negativis,** quae spectant:

1. *Ad defectum proportionis inter durationem peccati et durationem poenae. a)* Crimen non ratione durationis, sed ratione malitiae poena dignum est.

« *In nullo iudicio* requiritur, ut poena adaequetur culpae secundum durationem: Non enim, quia adulterium vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea poena punitur, sed quandoque quidem perpetuo carcere vel exilio, quandoque etiam morte, in qua non consideratur occisionis mora, sed potius, quod in perpetuum auferatur a societate viventium; et sic repraesentat suo modo aeternitatem poenae inflictae divinitus ». *S. Thomas* [1].

b) Praeterea peccatum mortale, quod quidem saepe brevissimo tantum tempore patratur, non solet esse primum peccatum, quod ab homine committitur, sed plerumque est connaturalis sequela multorum peccatorum venialium, quae hominem per tempus plus minusve longum ad illud committendum paraverunt.

2. *Ad infinitam misericordiam Dei. a)* Misericordia Dei recte quidem dicitur infinita, sed, si vox infiniti stricte accipitur, non ideo, quod eius effectus sint infiniti, utpote qui infiniti esse non possint, sed propterea, quod divina voluntas illos effectus producens infinita est. Misericordiae divinae effectus pariter atque effectus omnium divinorum attributorum summa Dei sapientia reguntur. — *b)* Relatio Dei ad homines non solum est relatio misericordis patris, sed etiam supremi domini ac iusti iudicis, qui non potest permittere, ut totus ordo moralis perturbetur.

3. *Ad scopum poenarum aeternarum.* Poenae aeternae exsecutioni mandatae, quamquam damnatos ad virtutem non revocant, tamen non sunt inutiles, sed conducunt *a)* ad hoc, ut ordo peccato mortali perturbatus restituatur, ac compensetur

---

[1] Summa theol. 1, 2 q. 87 a. 3 ad. 1.

maxima, quae in mundo est, deformitas; — *b)* ad hoc, ut manifestentur Dei sanctitas, quae grave peccatum infinito habet odio, et Dei iustitia; quas quidem perfectiones non minus in modum Deo dignum manifestari decet, quam divinam bonitatem, misericordiam ceteraque attributa.

Scholion. Etiam apud complures *ethnicos* fuit vel etiam est persuasio poenarum inferni aeternarum, quae ex primitiva revelatione apud eos remansisse haud immerito censetur.

«Sic refert *Tacitus* et *Diodorus* de Aegyptiis eandem fuisse apud *Aegyptios* et Hebraeos de inferis eorumque poenis sententiam. *Zoroaster* docuit: ‚Cum tenebrarum angelo ipsius asseclae in obscurum locum ablegabuntur *in aeterum* cruciandi'. Hanc doctrinam *Chaldaei, Assyrii, Persae* sectati sunt. Inter *Graecos* hanc fidem plures habuisse testatur *Plato*, qui in Phaedonis dialogo de animabus magnis criminibus onustis dicit: ‚Quae insanabilibus sese facinoribus alligarunt, in tartarum *absque ulla exitus spe* praecipitantur'. *De Romanis* testatur *Virgilius*[1]:

‚Sedet *aeternumque* sedebit
Infelix Theseus; Phlegyasque miserrimus omnis[2]
Admonet et magna testatur voce per umbras:
Discite iustitiam moniti et non temnere divos'.

Ad hanc antiquorum sententiam iam provocavit s. Augustinus». *Gottfried a Graun*[3].

ARTICULUS III.

DE INDOLE POENARUM INFERNI.

§ I. *De poena damni.*

Poena damnatorum maxime essentialis vocari solet poena damni. Quae obiective et subiective spectari potest.

1. *Obiective* spectata est privatio aeternae beatitudinis.

Cum aeterna beatitudo distinguatur in essentialem, quae est possessio Dei finis ultimi supernaturalis, et in accidentalem, quae est possessio aliorum bonorum possessioni summi boni adiunctorum, huic consequenter poena damni est privatio beatitudinis et essentialis et accidentalis.

---

[1] Aen. VI, 617-620.
[2] Id est: omnes.
[3] Instit. theol. dogm. tom. 3, pag. 724.

a) Primario igitur est privatio beatitudinis *essentialis*, i. e. possessionis Dei finis ultimi supernaturalis; consequenter est denegatio visionis, amoris, gaudii beatifici. Quae quidem denegatio connaturaliter oritur ex peccato mortali personali, quo homo se a Deo fine suo ultimo libere avertit, unde consentaneum est Deum ab eodem homine se in aeternum avertere seu eum a se repellere.

b) Secundario est privatio beatitudinis *accidentalis*, i. e. denegatio gloriae corporis, exclusio a caelo, loco iucundissimo, exclusio a societate angelorum et hominum beatorum, privatio delectationis, quam beati habent intuendo universitatem rerum a Deo creatarum etc. Privatio beatitudinis accidentalis connaturaliter sequitur privationem beatitudinis essentialis.

Haec poena in Scriptura designatur verbis illis tremendis Christi: *Discedite a me maledicti* (Matth. 25, 41), et verbis Pauli: *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt?* (1. Cor. 6, 9). — Matth. 25, 12. Luc. 13, 27; 14, 24.

2. *Subiective* spectata est summa animi miseria, qua haec potissimum continentur:

a) Acerbissimum animi *discidium*, idque:

α) *Respectu Dei.* Nam damnatus ex una parte omni vi ad Deum trahitur; ex altera parte a Deo summa vi avertitur. Trahitur ad Deum ut suum finem ultimum et summum bonum, quo solo potest beari; avertitur a Deo ut infinita sanctitate et iustitia peccatum, cui ipse firmiter atque obstinate adhaeret, detestante et vindicante.

β) *Respectu peccati.* Anima enim damnata hinc tenetur peccati amore; illinc ardet eius odio. Tenetur amore, quatenus peccatum spectatur in se; ardet odio, quatenus illud spectatur in suo effectu, qui est miserrima animae conditio. Immo erga peccatum in se spectatum diverse est affecta. Amplectitur peccatum, in quantum est contrarium Deo, quem ipsa habet odio; aversatur peccatum, in quantum est contrarium suae naturae, cuius dignitas eo laeditur atque foedatur.

γ) *Respectu sui ipsius.* Ex una parte anima damnata tam inordinate sibi placet, ut temerario conatu contra ipsum suum creatorem exsurgat; ex altera parte se ipsam ut creaturam abiectissimam fastidit atque abhorret et cupit esse desinere.

Variis igitur modis anima damnata in se est divisa, a se dissidet, a se ipsa dilaceratur. Quae quidem dilaceratio tanto saevior est dilaceratione corporis, quanto anima corpore est nobilior.

b) Desperatissima animi *vastitas*. Damnatus:

α) *Nullo fruitur bono*, nullo gaudio ac voluptate, nulla consolatione aut relaxatione animi.

β) Non solum *quovis habitu supernaturali vitali* seu quavis supernaturali virtute, si quam moriens possidebat, *privatus est*, sed etiam omnes eius *naturales potentiae* una cum omnibus inclinationibus *suo ordine et fine sunt destitutae.*

Dicitur: quovis habitu supernaturali *vitali*, quia habitus supernaturalis non vitalis, sc. character sacramentalis, ad maiorem ignominiam in anima damnata remanet. Cf. pag. 127 et 202.

Memoria eius torquetur acerba recordatione omnium peccatorum commissorum, quatenus sunt causae tantorum malorum, et omnium gratiarum neglectarum, quarum usu haec mala facile poterat evadere. *Intellectus* obvolvitur tenebris densissimis. Non illucescit ei ulla salutaris, ulla grata atque iucunda veritas. *Voluntas* tabescit saevo luctu ob propriam miseriam, caeco odio Dei ob eius sanctitatem atque iustitiam et absoluta impotentia illud exercendi, truci invidia beatorum ob gloriam ab iis obtentam, diro morsu animi ob beatitudinem sibi destinatam et propria culpa a se perditam, rabida desperatione ob impossibilitatem liberationis atque salutis.

γ) Totam suam miseriam *continuo intuetur* neque ullo momento mentem ab ea potest avertere, unde necessario et incessanter in tali et tanto est dolore atque angore, qualem et quantum in hac vita mente concipere non possumus.

§ II. *De poena sensus.*

Praeter poenam damni reprobis sustinenda est poena sensus, quae sic vocatur, quia ab agente sensibili infligitur. Haec poena respondet inordinatae conversioni ad creaturam, quae in peccato mortali continetur, sicut poena damni respondet aversioni a creatore in eodem peccato contentae. Illa complectitur et poenam ignis, quae est praecipua, et alias poenas huic annexas vel additas. Hinc:

Punctum I. De poena ignis.

THESIS. **Ignis, quo damnati cruciantur, est verus ac proprius ignis.**

Est *sententia communis atque certa.*

Sacra Poenitentiaria die 30. Aprilis 1890 vetuit eos absolvi, qui pertinaciter teneant ignem inferni non esse realem, sed metaphoricum.

Opponitur Origeni, Calvino (multisque Protestantibus), Ambrosio Catharino tenentibus ignem inferni non esse nisi ignem metaphorice dictum, sc. cruciatus seu terrores conscientiae, summam damnatorum tristitiam ac desperationem vel etiam iram divinam.

Etiam inter Catholicos non defuerunt, qui quaestionem, utrum ignis inferni sit proprie an metaphorice intelligendus, non solverint; in his *Klee* [1] et *Hettinger* [2].

Explicatur: Satis est, si ignis inferni habetur res materialis, sive est solida sive fluida sive aërea, quae est causa instrumentalis, qua reprobi a Deo puniuntur, quaeque est in eo statu motus molecularis, quem aestum vocamus [3].

Itaque non debet haberi ignis eiusdem naturae atque ignis terrestris nec materia quaedam, quae comburitur, etc. Ignis quidem est; sed est ignis sui generis, « qui nostro conceptu ignis non potest attingi nisi valde inadaequate ». *Knabenbauer* [4].

Probatur: I. Ex Scriptura. In variis libris s. Scripturae tum veteris, tum praecipue novi testamenti ignis inferni fit mentio, e. g. in evangelio s. Matthaei octies, in ceteris evangeliis (collective sumptis) quinquies. Iam vero, licet vox ignis per se metaphorice accipi possit et in Scriptura interdum accipiatur (Ps. 16, 3; 65, 10. Matth. 3, 11. Marc. 9, 48), tamen, ubi de inferno agitur, non metaphorice, sed proprie accipi debet. Nam neque ulla ratio a sensu litterali recedendi sive e contextu sive aliunde suppeditatur et multa sunt, quae sensu litterali standum esse suadent. Quae quidem petuntur:

---

[1] Specielle Dogm. 2. Theil, 4. Buch, 2. Abschnitt, § 6, II.
[2] Apologie, 2. Band, 2. Abtheilung, 15. Vortrag, in fine.
[3] Pesch, tom. 9, n. 652.
[4] In Matth. II, pag. 384.

1. *Ex nomine ignis a Scriptura tam saepe et in omni dicendi genere adhibito.*

a) Iam quod Scriptura tam frequenter, imo quod Scriptura novi testamenti vix non ubique, ubi de inferno agit, ignis mentionem facit, satis persuadere potest hunc ignem proprie esse intelligendum. Nam quamvis cruciatus conscientiae aliique dolores interni metaphora ignis apte significari possint, tamen etiam proprie possunt significari; possunt significari quoque aliis metaphoris. Sed homines de iis rebus, quas proprie significare possunt, non semper fere loquuntur metaphorice; neque, si metaphorice loqui volunt, semper fere utuntur eadem metaphora.

b) Accedit quod in Scriptura illa vox ignis occurrit in omni genere loquendi, non solum in poetico et oratorio, sed etiam in familiari, in historico, in dogmatico, in iudiciali, in illa sc. solemni sententia aeterni iudicis Matth. 25, 41: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.*

2. *Ex modo de gehennae igne loquendi Scripturae proprio.*

a) Ignis gehennae in Scriptura exhibetur ut *aliquid subsistens*, ut res a damnatis distincta. Sermo enim ibi est de camino ignis (Matth. 13, 42), de stagno ignis (Apoc. 20, 9. 15), de stagno ardenti igne et sulphure (Apoc. 21, 8). Sed quis est, qui angorem conscientiae vel alium animi dolorem vocet *caminum* ignis, *stagnum* ignis, stagnum ardens igne et sulphure?

Matth, 13, 41. 42: *Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala et eos, qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus et stridor dentium.* — Apoc. 20, 9. 15: *Et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris... Et qui non inventus est in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis.* — Apoc. 21, 8: *Timidis autem et incredulis et exsecratis et homicidis et fornicatoribus et veneficis et idololatris et omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda.*

b) In Scriptura exhibetur ignis, *in quem* damnati debent *discedere* (Matth. 25, 41), in quem eunt (Marc. 9, 42), in quem mittuntur (Matth. 18, 8. 9; 13, 42. Apoc. 20, 15), Iam vero, nonne discedere, ire, mitti in ignem (vel etiam caminum vel stagnum ignis) designant motum localem, cuius terminus est ignis (vel etiam caminus vel stagnum ignis)? Quomodo reprobi

discedunt, eunt, mittuntur in angorem conscientiae, quo semper et ubique agitantur, maxime quoque in ultimo iudicio, in quo ad discedendum in ignem damnantur?

Marc. 9, 42: *Bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inexstinguibilem.* — Matth. 18, 8: *Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum.*

c) Idem ignis in Scriptura dicitur diabolo (et angelis eius) *paratus* (Matth. 25, 41: τὸ πῦρ... τὸ ἡτοιμασμένον), paratus nimirum a causa a diabolo distincta. Sed angor conscientiae omnesque animi dolores, quibus diabolus conflictatur, sunt actus ab eo eliciti.

Nec valet obiicere vermem, de quo Christus Marc. 9, 43. 45. 47 loquitur, ab omnibus cordatis metaphorice intelligi, sc. angorem conscientiae, propterea etiam ignem sic intelligi posse. Disparitas enim est. Nam ex una parte vox vermis uno tantum sermone (ter) adhibetur; ex altera parte « poena vermis non potest sumi sensu proprio, quia corporalis vermis non potest proprio ore et dentibus substantiam spiritualem corrodere et ita illam affligere. Et in hoc est magnum discrimen inter ignem et vermem; quia ignis agit actione mere externa et immittendo qualitates vel aliquid huiusmodi; vermis vero aliquid de substantia alterius subtrahit, cuius subtractionis et quasi divisionis non est capax substantia spiritualis ». *Tepe*[1].

II. Ex Traditione. 1. *Ss. Patres* communiter loquuntur de igne inferni ut de igne vero ac proprio. Nam:

a) Ea de igne inferni praedicant, quae *vix* aut ne vix quidem de igne *metaphorice* accepto apte possunt intelligi, e. g. damnatos in eum ire, eum damnatos detinere, eum damnatis esse praeparatum, etc.

Ign.[2]: « Talis (qui fidem Dei prava doctrina corrumpit) in ignem inexstinguibilem ibit ». — *Theophil. Antioch.*[3]: « Tales (incredulos etc.) ignis aeternus detinebit ». — *Iren.*[4]: « Transgressoribus ignis aeternus praeparatus est ». — *Cypr.*[5]: « Cremabit addictos ardens semper gehenna et vi-

[1] Tom. 4, n. 909.
[2] Ad Ephes. n. 16.
[3] Ad Autol. l. 1, n. 14.
[4] Adv. haeres. l. 2, c. 28, n. 7.
[5] Ad Demetr. c. 24.

vacibus flammis vorax poena... Servabuntur cum corporibus suis animae infinitis cruciatibus ad dolorem ».

b) Indolem ignis gehennae ita describunt, ut *metaphora* omnino *excludatur*, asserentes e. g. eum urere quidem, non tamen lucere.

Basil.[1]: « Certe multo admirabilius est ignis naturam intercidi, quam mare rubrum in partes dividi. Attamen Domini vox ignem suapte natura continuum ac sibi cohaerentem intercidit. Quamquam igitur ignis consiliis humanis insecabilis ac individuus videtur esse, nihilominus tamen Domini iussu interciditur ac dividitur. Ignem autem, qui diabolo et angelis eius in supplicium paratus est, voce Domini intercidi reor; ut, cum duae sint in igne facultates, quarum una comburit, altera illustrat, ignis quidem asperitas ac torquendi proprietas iis, qui adustione digni sunt, servetur; illius vero splendor et claritas ad hilaritatem eorum, qui laetam ac beatam vitam acturi sunt, destinetur. Vox igitur Domini intercidentis ac dividentis flammam ignis, adeo ut supplicii quidem ignis obscurus sit, lux vero requietis vi careat comburendi ». — *Cyrillus Alex.*[2]: Heu! heu! qualis est gehenna ignis inexstincti, urentis neque lucentis.

c) Comparantes ignem gehennalem cum igne terreno multiplex quidem discrimen, quod sit inter utrumque, assignant, *numquam* tamen illud, quod hic sit ignis verus, ille sit ignis *non verus*.

Lactantius.[3]: Ignis sempiterni « natura diversa est ab hoc nostro, quo ad vitae necessaria utimur, qui, nisi alicuius materiae fomite alatur, exstinguitur. At ille divinus per se ipsum semper vivit ac viget sine ullis alimentis, nec admixtum habet fumum, sed est purus ac liquidus et in aquae modum fluidus ». — *Greg. Nyss.*[4]: « Cum ignem (inferni) audis, didicisti aliquem ab illo (terreno) diversum intelligere, ex eo quod illi igni aliquid sit additum, quod non est in hoc. Nam ille quidem non exstinguitur, hunc autem multa inventa sunt, quae exstinguant. Magna est autem differentia inter eum, qui exstinguitur, et eum, qui nullam admittit exstinctionem ». — *Ephraem.*[5]: « Omnes debent fateri et credere saeculi videlicet illius ignem, ut dixi, hoc nostro esse longe atrociorem. Nam ut iste maxime efficax sit, nitet tamen et splendet; ille vero, cum vehementissime ferveat et acerrime urat, horrendis tamen involvitur tenebris et noctem affert teterrimam; iste obvium nutrimentum usque eo depascitur, dum absumpserit; si quid autem contrarium inciderit, exstinguitur, cessat et evanescit; contra ille ignis

[1] In Ps. 28, n. 6.
[2] Homil. 14. de exitu animi.
[3] Div. instit. l. 7, cap. 21.
[4] Orat. catech. c. 40.
[5] Serm. exeget. t. 2. syriace et latine pag. 354.

numquam exstinguendus non absumit, quos torret, miseros; nec enim absumere iussus est, sed tantum urere ac torquere. Iste ignis coquit cibos;... ille suis flammis... sontes tenebrosus depascitur, depopulatur, desolat ac torquet ».

d) Asserunt igne inferni torqueri damnatorum *corpora et membra.*

Minutius Felix.[1]: « Illic sapiens ignis *membra* urit et reficit, carpit et nutrit; sicut ignes fulminum corpora tangunt nec absumunt, sicut ignes Aetnae et Vesuvii et ardentium ubique terrarum flagrant nec erogantur, ita poenale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur ». — *Lactantius.*[2]: « Idem igitur divinus ignis... quantum e *corporibus* absumet, tantum reponet ac sibi aeternum pabulum subministrabit ». — *Aug.*[3]: « Quid igitur ostendam, unde convincantur increduli, posse *humana corpora animata atque viventia* non solum numquam morte dissolvi, sed in aeternorum quoque ignium durare tormentis? Nolunt enim hoc ad Omnipotentis nos referre potentiam, sed aliquo exemplo persuaderi sibi flagitant ». Et[4]: « Cur itaque facere non possit Deus, ut resurgant corpora mortuorum, et igne aeterno crucientur *corpora* damnatorum...?

e) Mirantur, quod ignis corporeus torquere possit *puros spiritus,* et dicunt hanc rem esse intellectu difficilem.

Sed si existimassent ignem gehennae esse ignem metaphorice tantum acceptum, solutio difficultatis fuisset obvia.

Aug.[5]: « Hic occurrit quaerere, si non erit ignis incorporeus, sicut est animi dolor, sed corporalis, tactu noxius, ut eo possint corpora cruciari, quomodo in eo erit etiam poena spirituum malignorum? Cur non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse poena corporalis ignis affligi, si spiritus hominum, etiam ipsi profecto incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari. Adhaerebunt ergo, si eis nulla sunt corpora, spiritus daemonum, imo spiritus daemones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi: non ut ignes ipsi, quibus adhaerebunt, eorum iunctura inspirentur et animalia fiant, quae constent spiritu et corpore, sed, ut dixi, miris et ineffabilibus modis adhaerendo accipientes ex ignibus poenam, non dantes ignibus vitam ». — *Greg. M.*[6]: « *Gregorius.* Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne teneatur? *Petrus.* In vivente

[1] In Octavio, n. 35.
[2] Ibidem.
[3] De civitate Dei, l. 21, c. 2.
[4] Ib. c. 7.
[5] Ib. c. 10, n. 1.
[6] Dial. l. 4, c. 29.

quolibet idcirco incorporeus spiritus tenetur in corpore, quia vivificat corpus. *Greg.* Si incorporeus spiritus, Petre, in hoc teneri potest, quod vivificat, quare non poenaliter et ibi teneatur, ubi mortificatur? Teneri autem spiritum per ignem dicimus, ut in tormento ignis sit vivendo atque sentiendo... Dic, quaeso te, apostatas spiritus a coelesti gloria deiectos esse corporeos an incorporeos suspicaris? *Petr.* Quis sanum sapiens esse spiritus corporeos edixerit? *Greg.* Gehennae ignem esse incorporeum an corporeum fateris? *Petr.* Ignem gehennae corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari. *Greg.* Certe reprobis Veritas in fine dictura est: Ite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius. Si igitur diabolus eiusque angeli, cum sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum, si animae, et antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta? *Petr.* Patet ratio, nec debet animus de hac ulterius quaestione dubitare.

Nota. Ab iis, qui ignem inferni metaphorice intelligendum esse opinantur, pro hac opinione imprimis citari solent: 1. *S. Ambrosius,* qui explicans verba Christi: *Mittetur in tenebras exteriores* (Matth. 22, 13) haec scribit[1]: « Quae sunt tenebrae exteriores? Numquid illic quoque carceres aliqui latumiaeque subeundae sunt? Minime. Sed quicunque extra promissa sunt caelestium mandatorum, in tenebris exterioribus sunt, quia mandata Dei lumen sunt; et quicunque sine Christo est, in tenebris est, quia lumen in tenebris est Christus. Ergo neque est corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis. Sed haec ideo ponuntur, quia, sicut ex multa cruditate et febres nascuntur et vermes, ita, si quis non decoquat peccata sua, sed miscendo peccata peccatis tamquam cruditatem quandam contrahat veterum et recentium delictorum, igne aduretur proprio et suis vermibus consumetur ». — Sed aliis quinque locis[2] idem s. Doctor realem inferni ignem agnoscere videtur.

Unde aliis, ut *Iungmann*[3], hac in re fluctuasse videtur, ab aliis, ut *Alberto a Bulsano*[4] *et Bautz*[5] defenditur. Hi enim sentiunt eum in textu citato loqui de peccatoribus in praesenti vita constitutis, quibus poenas inferni metaphorice applicet.

2. *S. Gregorius Nyssenus,* qui in dialogo « de anima et resurrectione » defendit infernum non esse determinatum locum, sed certum quendam statum animarum. Verum ibi solummodo loquitur de conditione animarum separatarum, et respectu earum erronee sentit; quoad animas in resurrectione corporibus suis iterum unitas admittit exsistentiam determinati loci et poenae ignis proprie dicti[6].

---

[1] In Luc. l. 7, n. 204 et 205.

[2] L. 4. in hexaem. c. 3, n. 9; — enarrat. in Ps. 36, n. 26; — enarrat. in Ps. 48, n. 24; — in Ps. 118, serm. 3 et serm. 12.

[3] De novissimis, n. 30, nota 1.

[4] Pars 5, sect. 2. pag. 190.

[5] Die Hölle, pag. 106. Cf. Der Katholik, 1878, II, pag. 582-587.

[6] Cf. Der Katholik, ib. pag. 587-589.

2. Ante Catharinum *theologi* constanter docuerunt damnatos cruciari igne vero ac reali.

Dicit e. g. Petrus Lombardus[1]: « Gehenna illa, quae stagnum ignis et sulphuris dicta est, corporeus ignis erit ». — *S. Thomas*[2]: (Dicta s. Scripturae) « quae animabus damnatorum praenuntiant poenas corporeas, utpote quod ab igne inferni cruciabuntur, sunt secundum litteram intelligenda ». — *S. Bonaventura*[3]: « Affligentur autem eodem igne corporali (tam homines, quam spiritus mali), qui concremabit et affliget spiritus et etiam corpora; nec tamen corpora illa consumet, sed semper affliget, alios plus, alios minus secundum exigentiam meritorum ».

Quaestio. Quomodo igne materiali torqueri possint substantiae spirituales.

De modo, quo ignis inferni torqueat spiritus, scil. *daemones et animas separatas*, variae exstant theologorum sententiae, imprimis hae:

1. Ignis spiritus torquet non per modum urentis, sed *per modum detinentis*. Per omnipotentiam enim divinam ad ignem, rem materialem, *sunt alligati*, idque contra suam naturam et supra ignis naturalem vim. Inde impediuntur, quominus ibi possint esse et operari, ubi volunt. Per hoc autem, quod a creatura in comparatione ipsorum vilissima ut instrumento Dei ipsis invisi ab exsequendis propriis voluntatibus retardantur et velut miserrima mancipia detinentur, maxime affliguntur. Quodsi quaeritur, cur praecise ad ignem, non ad aliam quamcunque materiam, alligati sint, merito responderi potest: quia a consummatione saeculi homines damnati igne torquebuntur per modum urentis, unde conveniens est eodem igne per modum detinentis ante consummationem saeculi torqueri animas separatas et ante et post eam daemones, quippe qui cum damnatis hominibus unum constituant regnum uni regno Dei oppositum.

Haec est sententia *s. Thomae et maioris partis scholasticorum*. Iam a s. Augustino videtur esse indicata.

---

[1] L. 4, d. 44. F.
[2] Comp. theol. c. 179.
[3] Brevil. p. 7, c. 6.

Dicit s. Thomas [1]: «Spiritus corpori unitur dupliciter: uno modo ut forma materiae, ut ex eis fiat unum simpliciter, et sic spiritus unitur corpori et vivificat corpus et a corpore aliqualiter aggravatur; sic autem spiritus hominis vel daemonis igni corporeo non unitur; alio modo sicut movens mobili vel sicut locatum loco eo modo, quo incorporalia sunt in loco, et secundum hoc spiritus incorporei creati loco definiuntur, ita in uno loco exsistentes, quod non in alio. Quamvis autem res corporea ex sua natura habeat, quod spiritum incorporeum loco definiat, non tamen ex sua natura habet, quod spiritum incorporeum loco definitum detineat, ut ita alligetur illi loco, quod ad alia divertere non possit, cum spiritus non sit in loco naturaliter, quod loco subdatur. Sed hoc superadditur igni corporeo, in quantum instrumentum est divinae iustitiae vindicantis, quod sic detinet spiritum; et ita efficitur ei poenalis, retardans eum ab exsecutione propriae voluntatis, ne sc. possit operari, ubi vult et secundum quod vult... Ignis ex natura sua habet, quod spiritus incorporeus ei coniungi possit ut loco locatum, sed, in quantum est instrumentum divinae iustitiae, habet, ut ipsum quodammodo retineat alligatum; et in hoc veraciter ignis iste est spiritui nocivus, et sic anima ignem ut sibi nocivum videns ab igne cruciatur».

2. Ignis spiritus torquet non solum per modum detinentis, sed etiam per hoc, quod ut supernaturale instrumentum divinum in eis producit *qualitatem quandam spiritualem*, quae eos reddit perquam *foedos ac deformes*, et proinde eos afficit acerrimo spirituali dolore.

Hanc sententiam tenet *Suarez* [2].

Iuxta ipsum talis potest cogitari haec qualitas, ut formaliter repugnet gratiae sanctificanti substantiam spiritualem perficienti et pulchram reddenti. Nam ei non videtur esse improbabile, sicut est qualitas, quae natura sua substantiam spiritualem supra eius naturam reddit pulcherrimam, ita etiam esse qualitatem illi formaliter repugnantem, quae eandem spiritualem substantiam infra eius naturam foedissimam reddat.

Haec sententia *impugnatur a Lessio* [3] dicente non posse concipi qualitatem, quae spiritum magis deformem reddat, quam ipsa eius mala voluntas et habitus atque actus vitiosi.

III. Ignis inferni daemones et animas separatas torquet per hoc, quod ut supernaturale instrumentum Dei in iis physice producit *eundem vel similem dolorem*, quem producit *in animabus corporibus unitis*.

Ita sentiunt non pauci theologi, in his *Henricus Gandavensis*, *Toletus*, *Lessius*, nostra aetate praesertim *Franciscus*

[1] Suppl. q. 70, a. 3 in c.

[2] De angelis, l. 8, c. 14, n. 41. 47. 48.

[3] De perf. div. l. 13, c. 30, n. 216.

Schmid, qui tamen hanc sententiam quoad omnia et singula non eodem modo explicant.

Eandem *Henricus Gandavensis* breviter sic proponit[1]: « Ignis affligit spiritum, in quantum *calidus* est, et *eodem* genere afflictionis, quo affligeret *sensum corporis* ». — *Toletus*[2]: « Ignis ille, ut est instrumentum Dei castigantis, actionem habet in spiritualia, qua inducat *verissimum illum dolorem*, qui induceretur, *si corpus haberent vel corpora essent* ». — *Schmid*[3]: « Daemones in suae praevaricationis poenam *verum adustionis dolorem* patiuntur, idque per ignem tamquam per physicum divinae vindictae instrumentum ».

Haec sententia ab eodem *Schmid* fusius in hunc modum explicatur[4]:

1. *Quantum ad naturam doloris, quem ignis causat:*

a) In anima separata. α) Anima humana corpori unita una cum corpore vere *sentit* dolorem seu vere habet dolorem sensibilem (vulneris, frigoris, ardoris etc.), quippe qui sit actus vitalis compositi humani. Imo, quia anima est compositi humani pars principalior, in ipsa dolor sensibilis *principalius* residet. Ex hoc concludendum est animam *qua talem* vere ac proprie doloris sensibilis esse capacem. Unde iterum concludi debet hanc animae capacitatem per separationem a corpore non penitus amitti vel exstingui, sed ab anima *separata in radice* retineri.

« Fieri quidem poterit, ut praedicta sentiendi capacitas in anima humana *post separationem* a corpore suo modo *impedita et quasi ligata* maneat. Imo rem naturaliter ita se habere manifestum est. Nam anima in sensationis negotio magna ex parte passive se habet. Quare anima ad hoc, ut dolorem sensibilem percipiat vel utcunque sensationem aliquam habeat sive exerceat, necessario ab extrinseco determinari debet; et quidem, quamdiu de connaturali determinatione agitur, per aliquam rem corpoream. Quia, sicut anima humana per suum intellectum connaturaliter ad attingendum suo modo mundum intelligibilem ordinata apparet, ita eadem per facultatem sensitivam naturaliter ad contactum cum mundo materiali destinata est. Iam vero entia materialia, sicut naturaliter in spiritum purum agere nequeunt, ita pariter per se animam humanam nequaquam attingere valent, nisi quatenus ipsa corpori organico vitaliter unita est. At per hoc nondum habetur, quod anima humana in statu separationis absolute sentire nequeat, sive per immediatum influxum divinae omnipotentiae sive *per instrumentum*

---

[1] Quodlibeto 4, q. 34.
[2] In 1. p. s. Thom. q. 64, a. 3.
[3] Quaestiones selectae, q. 3, n. 32.
[4] Ib. n. 33-52.

corporeum divinitus supernaturali virtute instructum aut utcunque per Dei omnipotentiam animae separatae supernaturaliter et quasi miraculose applicatum id fieri cogitetur. Retinet enim anima separata, prout diximus, in radice facultatem sentiendi sive radicem sensibilitatis. In hunc sensum intelligi possunt verba s. Thomae[1]: « Corrupto coniuncto non manent huiusmodi potentiae actu; sed virtute tantum manent in anima sicut in principio vel radice ».

β) Eadem animae separatae capacitas seu subiectiva potentia haud dubie *per omnipotentiam divinam reduci potest in actum*. Quod si fit, in anima separata dolor oritur *sensibilis*, qui tamen cum dolore hominis integri seu humani compositi non est per omnia identicus.

Nam « dum homo mortalis sive compositum humanum qua tale sensationis actum exercet, saepissime simul cum obiecto sive agente externo et una cum sensatione ab eodem agente interius causata satis distincte percipitur sive sentitur etiam ipsum corpus humanum in coniunctione cum passione sive impressione in eodem corpore ab extra causata; quae passio, ut patet, in diversis organis sive in diversis corporis partibus pro earundem diversitate ac distinctione pariter diversa est atque distincta. Ita v. g. dum manum et pedem ad ignem admovemus, non solum in confuso caloris aut adustionis sensum experimur, sed distincte calorem aut adustionem sentimus in manu et in pede; aut si interim pedem retrahimus aquae frigidae immergentes, distinctissime sentimus calorem in manu et refrigerationem in pede; aut pro variis circumstantiis externis sentimus v. g. frigus in certo gradu in pede et alio gradu in manu aut etiam per tactum mutuum manum nostram calidam in pede frigescente. Pro tali sensatione, ut patet, anima separata, quae tamquam substantia simplex quavis multiplicitate partium et omni extensione formali caret, certe absolute incapax exsistit. At oblivioni dandum non est cogitari posse et re vera adesse sensationes, quae omnium partium distinctione seposita nihil aliud referre videntur, quam *confusum quendam doloris* vel voluptatis *sensum*. Talis sensus v. g. plus minus aderat in martyribus, dum ebullientis olei dolio immersi tenebantur aut glaciei impositi per tractum temporis toto corpore rigere coeperant. Imo dum frigoris ac caloris sensus summum intensitatis gradum attingunt, istae duae sensationes, quae in gradibus remissioribus sibi plane contrariae esse videntur, vix ac ne vix quidem amplius ab invicem distingui possunt. Et tamen quis negabit has sensationes etiam in tali statu adhuc rationem doloris sensibilis et quidem doloris intensissimi retinere? Similem ergo dolorem *in anima separata* possibilem esse contendimus; nec ulla adest ratio, unde impossibilitas talis doloris pro anima separata demonstrari possit. Sensationes, quae ex natura sua satis distinctae sunt et qua tales determinatum organum corporeum requirunt, ut est videre, maxime res diversis coloribus ac figuris distinctas,... animae separatae omnino impossibiles esse videntur...

---

[1] 1. q. 77, a. 8 in c.

Aliter vero, ut ex dictis patet, iudicamus de confuso adustionis sensu et, quod possibilitatem rei attinet, etiam de aliis huiusmodi sensationibus admodum indeterminatis ».

b) In puro spiritu. α) In puro spiritu praeter intellectum et voluntatem admittenda est alia facultas vitalis, sc. *potentia exsecutiva* (seu *locomotiva*. — Cf. tom. 1, pag. 165). Quae quidem facultas cum facultate exsecutiva animae humanae, imo etiam animalium irrationalium (aut genericam identitatem aut) magnam saltem exhibet affinitatem.

β) Propterea quod purus spiritus illa facultate est praeditus, ipse *per omnipotentiam divinam secundum potentiam suam obedientialem subiici potest dolori*, qui ex una parte a dolore intellectuali i. e. a rationali tristitia radicaliter differat et ex altera parte *cum dolore sensitivo hominis intimam* exhibeat *analogiam* (vel etiam genericam identitatem).

Nam « *vis exsecutiva* spiritus creati sine dubio in suo ordine *limitata* est. Quis enim v. g. admittat, quod unus angelus, dumnodo ne a Deo in exercitio naturalis potentiae suae impediatur, totum mundum materialem vel aliud corpus molis ac gravitatis fere infinitae in momento ad locum maximae et fere infinitae distantiae transferre possit? Neque in angelis praedicta limitatio operandi immediate et unice a Dei voluntate, sed potius proxime a *naturali limitatione virium angelicarum* repetenda est. Secus enim necessario aut ad principia occasionalismi aut ad alias suppositiones sive manifesto falsas sive omnino gratuitas delabimur. Quaerimus enim: An non ad minimum parum philosophica foret suppositio, quod Deus angelis vires dederit, quibus numquam secundum totam intensitatem earundem uti permittantur? Quo supposito argumentum nostrum ita prosequimur: Tum consideratio philosophica tum universalis experientia testatur hoc principium: *Omni actioni ex parte termini respondet reactio.* Unde hoc principium omnino consequenter etiam ad relationem, quae inter angelos et mundum materialem intercedit, transferimus. Quare concludendum est *res corporeas,* dum angelus easdem movet vel utcunque in ipsis operatur, in eundem quandam reactionem exercere sive *actioni angelicae quandam resistentiam opponere.* Hoc fundamento semel constituto ulterius dicendum est praedictam *reactionem sive resistentiam* ex parte illius corporis, quod ab angelo movendum est, pro magnitudine molis ac gravitatis eiusdem iugiter *crescere ac tandem vim locomotivam* determinati angeli plane *superare posse.* Quod si ita est, angelus manifesto, dum movet res corporeas, pro magnitudine corporum movendorum minorem vel maiorem *conatum* adhibere cogitur ac tandem, si semper maiora ac maiora moliri supponatur, in operatione sua fatigari vel etiam suscepto *labori succumbere* debebit. Porro unusquisque facile intelligit laborem ac fatigationem sine aliquo *dolore sensibili* concipi non posse. Per hunc discursum satis declaratum simulque, suppositis supponendis, suo modo demonstra-

tum esse censemus, quomodo purus spiritus, sistendo in creaturis, alicuius doloris, qui vere sit sensibilis aut saltem cum dolore sensibili intimam similitudinem habeat, capax evadere possit.

Dices: Si ita est, tunc angelus non solum contra vel praeter ordinem naturae, sed omnino naturaliter a rebus materialibus dolore ac molestia affici poterit... Ita respondemus: Dubitare non possumus, quin exercitium facultatis exsecutivae in angelo eius libertati subiectum sit. Quare sicut angelus, nisi positive velit, nullum in res corporeas influxum exercet, ita pariter ex parte rerum materialium independenter a propria voluntate nullam reactionem sive resistentiam nullamque molestiam cuiuscunque generis pati potest... (Porro) angelus, quia ex natura sua magna intelligentiae vi pollet, sine dubio etiam vires suas in ordine ad movenda corpora optime aestimare potest. Quare ipse, quousque bonus et ab inordinatione peccati liber manet, sine dubio semper per omnia ordinatissime operatur et per consequens ex hac parte de facto numquam dolori aut fatigationi subiectus erit. Quod vero *spiritus maligni,* dum quaedam *temere et ultra vires suas naturales agere vel moliri* supponuntur, a rebus ipsis quandam resistentiam, et, si in irrito conatu ulterius insistunt, etiam defatigationem ac *dolorem experiantur,* non solum non putamus inconveniens, sed potius naturis rerum admodum congruum iudicamus.

Veritas huius explicationis ex nostra persuasione etiam inde haud parum confirmatur, quia ita multo manifestius patet, quomodo angeli ab infinita perfectione longissime distant et re vera locum medium inter animam humanam et spiritum infinitum occupant...

(Iam vero) si spiritus finitus infra ambitum naturae, accedente voluntate minus ordinata, fatigationis et per consequens alicuius doloris capax est, qui a tristitia spirituali toto genere differt et cum dolore sensibili animalium strictissimam similitudinem habet, num absolute impossibile dicere poterimus, ut talis spiritus *per extraordinarium influxum divinae omnipotentiae* contra naturalem tendentiam naturae suae sive *secundum potentiam obedientialem* alium eumque multo vehementiorem dolorem pati possit, qui et ipse nequaquam rationem tristitiae sive doloris rationalis habet, sed *vere sensibilis* simulque in eo genere *intensissimus* est et per consequens *cum dolore adustionis,* qui inter dolores sensibiles animalis omnium vehementissimus esse censetur, genericam identitatem aut *saltem maximam similitudinem* prae se fert »? Hucusque *Schmid.*

Nota. Facultas illa exsecutiva nequaquam est facultas sensitiva (sed simpliciter loquendo spiritualis, utpote entis pure spiritualis). Nam ex natura sua non ad dolorem sensibilem patiendum, sed ad operationem exteriorem ordinata est: et ad dolorem sensibilem patiendum non cogitur nisi contra suam naturam secundum potentiam suam obedientialem per divinam omnipotentiam.

2. *Quantum ad modum, quo ignis dolorem causat.*

a) Ignis infernalis ut instrumentum omnipotentis Dei daemonibus et animabus separatis poenam sensus infert *per influxum physicum.*

Hanc illius ignis efficaciam postulant nativa vis verborum s. Scripturae ac ss. Patrum et simplex intellectus catholicus.

Ut ille influxus ignis physicus in daemones habeatur, a Deo immediate aliquid efficitur in igne et in daemonibus.

α) *Igni*, qui natura sua est maxime actuosus et corruptivus et aptus ad dolorem sensibilem producendum, haec sua *virtus naturalis divinitus* miraculose *augetur* seu, quod in idem recidit, virtus specialis tribuitur, ita ut tamquam instrumentum omnipotentiae divinae spiritus damnatos contra ipsorum voluntatem influxu suo attingere eisque eum dolorem inferre possit, quem sola virtute sua naturali et tamquam causa principalis inferre nullatenus potest.

β) In *daemonibus per omnipotentiam divinam* immediate et quasi miraculose efficitur, ut eorum *facultas exsecutiva*, quae servatis servandis ex natura sua ad physicum contactum cum mundo materiali ordinata est, sed iis non volentibus penitus quiescit, sine voluntate, imo *contra voluntatem* eorum ad agendum vel magis, quod cum actione coniunctum esse potest, *ad patiendum expedita* fiat et expedita maneat. Brevius: Radicalis potentia patiendi daemonum per omnipotentiam divinam redditur permanenter expedita.

b) Genesis doloris, qui in daemonibus poenam sensus constituit, sic potest explicari: « Primo spiritus purus mediante Dei omnipotentia *ab igne* materiali, qui inter omnia elementa materialia maxime actuosus est, vel invitus causaliter attingitur atque impressione quadam sive passione, quae tum ipsius naturae tum nominatim facultati exsecutivae valde contraria est, *per violentiam afficitur*. — Huic impressioni deinde spiritus damnatus tamquam affectioni sibi admodum inconvenienti non solum ex imperio voluntatis sed etiam ex spontaneo ipsius naturae impetu mediante facultate exsecutiva *totis viribus obluctatur* eamque enixe a se repellere conatur. — Sed contra Dei omnipotentiam omnis conatus *frustraneus* manet. Unde in subiecto, quod tamquam ens vivum simul et limitatum doloris sensibilis absolute incapax non est, cum praedicto conatu connaturaliter intensissimus doloris sensus coniungitur et, rebus sic stantibus, continuo coniunctus manet ».

Cf. de hac re *Heinrich-Gutberlet.* [1].

---

[1] Band 10, Abtheil. 2, Seite 528-542.

Punctum II. De aliis poenis, praesertim de cruciatibus sensuum hominum damnatorum.

Iuxta s. Scripturam omnes sensus hominum damnatorum suas poenas debent sustinere.

Quaedam tamen *ex iis, quae illa proponit, proprie, quaedam metaphorice intelligenda sunt.*

1. « *Oculi* puniuntur terribili flammarum aspectu, quibus damnati undique circumdati sunt... *Et mittent eos in caminum ignis* (Matth. 13, 42). *In stagnum ignis* (Apoc. 20, 15). Si horrendus est visus ingentis conflagrationis, quid erit esse in medio stagno ignis et videre flammas undique terribili vi affluentes? In mediis flammis videntur corpora inflammata damnatorum. *Mittetur foras sicut palmes et arescet, et colligent eum et in ignem mittent, et ardet* (Io. 15, 6)... In hoc statu oculis apparet innumerabilis illa multitudo damnatorum. — Ex altera parte oculi non recreantur clara luce, sed sunt ibi *tenebrae exteriores* (Matth. 8, 12), quia *fumus tormentorum eorum ascendet in saecula saeculorum* (Apoc. 14, 11), et *procella tenebrarum servata est in aeternum* (Iud. 13).

2. *Aures* audiunt horridum flammarum fragorem et in flammis fletum et stridorem dentium (Matth. 8, 12) et ululatum eorum, qui torquentur, et blasphemias, quia quivis damnatus sicut bestia illa *aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius et tabernaculum eius et eos, qui in caelo habitant* (Apoc. 13, 6), Christum, B. Virginem, omnes Sanctos. Maledicent quoque damnati inter se et maxime seducti seductoribus.

3. *Odoratus* torquetur fumo *ignis ardentis sulphure* (Apoc. 19, 20) sine ulla refrigeratione aëris puri.

Praeterea moralis illa pestis loci, ubi simul sunt *fornicarii, idolis servientes, adulteri, molles, masculorum concubitores, fures, avari, ebriosi, maledici, rapaces* (1. Cor. 6, 9. 10), *timidi, increduli, exsecrati, homicidae, fornicatores, venefici, idololatrae, mendaces* (Apoc. 21, 8). Brevi omnes faeces humani generis a primis temporibus usque ad ultima in illum locum confluent. Qualis odor mortis (2. Cor. 2, 16), ubi sunt omnia illa *sepulchra plena ossibus mortuorum et omni spurcitia* (Matth. 23, 27). Cum hoc loco etiam teterrimus carcer sceleratissimorum hominum in hac vita comparari nequit. *Et erit pro suavi odore foetor* (Is. 3, 24).

4. *Lingua* quoque gustabit, *quam malum et amarum sit dereliquisse Dominum Deum* (Ier. 2, 19). *Vae vobis, qui sa-*

turati estis, quia esurietis (Luc. 6, 25). In vanum rogat dives ille in flammis: *Pater Abraham, miserere mei et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma* (Luc. 16, 24). Haec minima refrigeratio non conceditur. Sicut enim beati *non esurient neque sitient amplius* (Apoc. 7, 16), ita damnati aeternam famem et sitim patientur. Alius cibus et potus non datur iis nisi fletus, luctus, moeror (Luc. 6, 25. Iac. 4, 9); et erit, sicut propheta dicit de urbe Ierusalem: *Plorans ploravit in nocte, et lacrymae eius in maxillis eius* (Thren. 1, 2); erunt *lacrymae panes die ac nocte* (Ps. 41, 4).

5. *Tactus* horribilem ignis poenam sine intermissione sentiet. Erunt sicut palea in igne inexstinguibili (Matth. 3, 12), *nec habent requiem die ac nocte* (Apoc. 14, 11)...

Vere *terra tenebrosa et operta mortis caligine, terra miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat* (Iob. 10, 21. 22) ». Pesch [1].

§ III. *De comparatione poenae damni et poenae sensus.*

Ad quaesitum, utrum poena damni an poena sensus gravior sit, communiter respondetur poenam damni esse graviorem.

S. Chrysostomus e. g. scribit [2]: « A tantis excidisse bonis tantum inferet doloris, afflictionis, angustiae, ut, etiamsi nullum aliud esse supplicium peccatoribus destinatum, illud solum posset graviorem aliis gehennae cruciatibus inferre poenam animaeque perturbationem. Multi sane sunt, qui absurdo iudicii usu a gehenna solum liberari peroptant; ego vero gehenna multo graviorem esse poenam puto non assecutum esse gloriam illam indeque excidisse; nec opinor adeo lugendum esse de gehennae malis, ut de amisso caelorum regno; hic enim est cruciatus omnium acerbissimus ». — Et *s. Thomas* [3]: « Carentia divinae visionis et separatio a Deo maior est poena existentibus in inferno, quam ignis supplicium ». Et [4]: « Est praecipua miseria damnatorum, quae vocatur poena damni ».

Imo, ut recte dicit *Pesch* [5], poena damni est *essentia* damnationis, quae sola ad damnationem sufficit, sine qua nulla esset

---

[1] Tom. 9, n. 647-651.
[2] Ad Theodorum lapsum ep. 1, n. 10. 12.
[3] Opusc. 2, cap. 3.
[4] Ib. cap. 174.
[5] Tom. 9, n. 643.

damnatio, ad quam aliae poenae se habent per modum accidentium. Hinc est quoque, quod singulariter vocatur poena damni. Nam licet etiam poena sensus damnum inferat, « tamen in comparatione carentiae visionis beatificae hoc damnum quasi nihil reputatur [1] ».

« Verum quidem est etiam nos in hac vita carere Dei visione nec tamen sentire illam ingentem tristitiam. Sed ratio est, quia ex una parte *non tam clare cognoscimus* summum bonum quam damnati, et ex altera parte *multa habemus,* quibus appetitum felicitatis possumus *aliquo modo sedare.* Cum igitur omnia bona, quibus frui possint, damnatis sint ablata, et cum evidenter videant se sola Dei visione posse esse beatos, ex privatione visionis Dei oritur in iis summa miseria. Est enim in iis absentia huius visionis non pura negatio, ut fuisset in statu naturae purae, sed est *vera privatio,* i. e. absentia boni, ad cuius possessionem sunt ordinati et sine quo non possunt esse beati... Immo etiam *res creatae,* quae per se gaudium afferunt, damnatorum *miseriam augent,* quia, (ut dicit *Lessius*) cum Deum summo odio prosequantur, etiam oderunt omnia eius opera et detestantur eorum pulchritudinem. Sicut qui videt filios, amicos, hortos eius, quem acerrime odit, non delectatur eorum pulchritudine vel ornatu, sed potius discruciatur animo, quia totum inimici bonum censet et apprehendit tamquam suum malum [2] ».

§ IV. *De inaequalitate poenarum damnatorum.*

THESIS. **Poenae damnatorum quoad intensitatem multum differunt, ita ut pro ratione delictorum alter altero gravius puniatur.**

Est *de fide* ex ordinario magisterio Ecclesiae et ex Conc. Later. IV. et Florent.

Dicit *Later IV.* cap. 1.: Qui (Iesus Christus)... iudicaturus vivos et mortuos et redditurus singulis secundum opera sua, tam reprobis quam electis, qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quae nunc gestant, ut recipiant *secundum opera sua,* sive bona fuerint sive mala: illi cum diabolo poenam perpetuam, et isti cum Christo gloriam sempiternam (D. 356). — Et *Flor.* in decreto unionis Graecorum in bulla Eugenii IV. « Laetentur caeli » : Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen *disparibus* puniendas.

Explicatur: Non solum poena sensus, sed etiam poena damni pro ratione delictorum diversos intensitatis habet gradus.

---

[1] Ib. n. 642.
[2] Ib. n. 644.

1. Hoc quoad poenam *sensus*, praesertim quoad poenam ignis rationabilius sic concipitur: Pro maiore vel minore numero et gravitate peccatorum *potentia patiendi* damnatorum a Deo *plus minusve expedita* reddita est, ad eum fere modum, quo diversae partes corporis humani pro maiore vel minore sua sensibilitate ad dolorem plus minusve sentiendum natura sunt accomodatae.

2. Quoad poenam *damni* sic est intelligendum. Quo quis magis peccavit:

a) Eo acerbius est *discidium*, quo animus eius dilaceratur. Nam eo intensius avertitur a Deo ut infinita sanctitate et iustitia; eo maiore ardet odio peccati spectati in suo effectu; eo magis se ipsum ut creaturam abiectissimam fastidit atque abhorret.

Cum autem ex altera parte non minore vi ad Deum trahatur ut suum finem ultimum et summum bonum, nec minore (saltem) teneatur amore peccati spectati in se, nec minus inordinate sibi ipsi complaceat, apparet discidium animi eius acerbius esse.

b) Eo desperatior est *vastitas*, in quam animus eius est demersus. Nam eo magis se cognoscit incapacem aeternae beatitudinis, eo magis tabescit saevo luctu atque animi morsu.

Probatur: I. Ex Scriptura. Matth. 16, 27: *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera eius.* Rom. 2, 6-9. — Matth. 10, 15: *Amen dico vobis: Tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrhaeorum in die iudicii, quam illi civitati.* — Apoc. 18, 7: *Quantum glorificavit se* (Babylon magna) *et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.*

II. Ex Traditione. A ss. Patribus illud saepius diserte praedicatur.

S. Gregorius M. e. g. dicit[1]: « Unus quidem est gehennae ignis, sed non uno modo omnes cruciat peccatores. Uniuscuiusque etenim quantum exigit culpa, tanta illic sentitur poena. Nam sicut in hoc mundo sub uno sole multi exsistunt, nec tamen eiusdem solis ardorem aequaliter sentiunt, quia alius plus aestuat atque alius minus, ita illic in uno igne non unus est modus incendii; quia quod hic diversitas corporum, hoc illic agit diversitas peccatorum, ut et ignem non dissimilem habeant, et tamen eosdem singulos dissimiliter exurat ».

[1] L. 9. moral. cap. 65, n. 98.

III. **Ratione theologica.** Sontes punire pro multitudine et gravitate peccatorum divinae iustitiae est.

§ V. *De imminutione poenarum damnatorum.*

I. Iuxta sententiam communem et certam poenae damnatorum *neque umquam ob suffragia vivorum neque certis temporibus ex* rata *ordinatione divina* mitigantur vel intermittuntur.

Veteres quidam perperam censuerunt hoc fieri nocte resurrectionis Domini (Prudentius [1]), vel etiam diebus Dominicis.

II. *Controversum* est, utrum *poena culparum venialium in terris non remissarum*, quae per se temporalis tantum est, in gehenna suo tempore finem habeat, an per accidens sit aeterna.

1. *Ss. Thomas* [2] *et Bonaventura* [3], *Suarez* [4], *de Lugo* [5], *omnes Thomistae aliique multi* tenent illam poenam per accidens, i. e. ratione status animae damnatae in aeternum impoenitentis et a Deo aversae, esse aeternam. Quae quidem sententia sic solet probari:

a) Ex parte relationis poenae ad culpam. Damnatis numquam remittitur ulla venialis culpa, id quod ab omnibus admittitur et manifestum est ex eo, quod damnati numquam ullam culpam detestantur, sed affectum ad illam vel formalem vel virtualem in aeternum retinent. Ergo neque umquam iis remittitur respondens poena. Nam: α) Poena est effectus culpae; ergo tamdiu remanet poena, quamdiu remanet culpa. — β) Si culpa manente poena non maneret, haberetur aliquid inordinatum, cum poenae sit ordinem per culpam laesum reparare.

b) Ex parte relationis iustitiae divinae ad illam poenam. Poena aeterna peccatis damnatorum venialibus non remissis irrogata aequa est ac iusta, id quod apparet:

α) *Habita ratione status sontium, qui fuit ante mortem.* Homini iniusto omnibus fatentibus peccatum veniale remitti non potest, nisi ratione prius remittitur peccatum grave. Ex

---

[1] Hymn. 5, v. 125 sqq.
[2] De malo, q. 7, a. 10 in c.; et q. 5, a. 2 ad 8.
[3] Tom. 2, pag. 969, n. 2.
[4] De pecc. disp. 7, sect. 4, n. 7.
[5] De poenit. disp. 10, n. 34.

hoc concludi potest in homine iniusto peccatum veniale participare de malitia status et, nisi peccatum grave deleatur, inducere reatum aeternum. Itaque homo, quamdiu manet in statu peccati mortalis, tamdiu sibi subtrahit possibilitatem obtinendae remissionis peccati venialis. Proinde ille, qui in statu peccati mortalis libere manet usque ad mortem, libere sibi subtrahit illam possibilitatem in perpetuum. Homini autem, qui suae culpae assignare debet, quod peccatum ex se remissibile factum est irremissibile, non fit iniuria, si cum illo aeterno peccato manet aeterna poena.

β) *Habita ratione status sontium, qui est post mortem.* Poenae damnatorum non sunt, sicut poenae animarum purgatorii, ullatenus satisfactoriae. Nam damnati sunt prorsus disiuncti a Christo, qui *est propitiatio pro peccatis nostris* (1. Io. 2, 2), sunt destituti omni gratia, numquam detestantur sua peccata, semper aversantur suas poenas. Ergo iuste afficiuntur poena, quae semper durat.

2. *Scotus*[1], *Gerson, Vega*[2], *Scotistae, Wirceburgenses*[3] *aliique* (in his *Coninck* et *de Arriaga,* uterque S. I. et saec. 17., prior Belga, alter Hispanus) censent poenam culparum venialium in terris non remissarum esse etiam in gehenna solummodo temporalem. Pro qua sententia haec affertur ratio:

Omnibus fatentibus peccato veniali *ex natura sua* non debetur nisi poena temporalis; ergo admittendum est hanc solam illi peccato etiam in gehenna deberi, si omnia argumenta in contrarium allata infringi possunt. Sed possunt infringi, idque in hunc modum:

Quoad a). — α) Ex eo, quod poena est effectus culpae, non potest concludi poenam non posse umquam non remanere, quamdiu remanet culpa. Nam reatus culpae et reatus poenae sunt moraliter tantum coniunctae et ab invicem separabiles. Unde, sicut reatus poenae est sine reatu culpae, si culpa iam est remissa, ita similiter reatus culpae potest esse sine reatu poenae, si poena iam est soluta. Non enim ideo quidem peccator meretur poenam, quia habet culpam, sed ideo, quia habet culpam, quam nondum expiavit.

---

[1] 4, dist. 21, q. 1 (edit. Paris. a. 1894, pag. 707, n. 6).

[2] In Trid. l. 14, c. 16.

[3] Tract. 3, disp. 2, c. 2, a. 2.

β) Per hoc, quod manente culpa poena non manet, non habetur aliquid inordinatum, quia culpa in aeternum manet digna poena, poena quidem iam soluta. Solummodo tunc aliquid inordinatum haberetur, si culpa esset sine poena sive solvenda sive soluta.

Quoad b). — α) Quod et quantum aliqua culpa digna sit poena, non oritur ex conditione subiecti, sed unice ex transgressione legis. Si igitur transgressio legis ex natura sua meretur poenam solummodo temporalem, conditio subiecti non potest efficere, ut mereatur poenam aeternam.

Nihil enim inferre potest maius debitum poenae, nisi quod aggravat peccatum in ratione peccati, quia debitum poenae commensuratur peccato, quatenus peccatum est. Sed status peccati mortalis peccatum veniale, ut peccatum est, nullo modo afficit, ergo neque ullo modo aggravat.

β) Poenae damnatorum non sunt quidem satisfactoriae reconciliative, sunt tamen satisfactoriae vindicative. Aliis verbis: Poenis damnatorum vere satisfit iustitiae vindicativae, quae nihil aliud postulat nisi tolerantiam poenae cum culpa proportionatae, etiamsi illa tolerantia neque salutaris sit neque voluntaria. Eiusmodi autem satisfactio vel rectius satispassio fieri potest sine ulla coniunctione cum Christo seu sine applicatione eius meritorum, sine ulla gratia, sine detestatione culpae, sine voluntaria acceptatione poenae.

III. Iuxta sententiam *multo probabiliorem* et communiorem eae *poenae*, quae damnatis luendae sunt *pro peccatis quoad culpam remissis*, quoad totam poenam non remissis *finem habent*, postquam sunt solutae.

Ii, qui, ut *de Rhodes*[1] (S. I., Francogallus, saec. 17.) etiam has poenas aeternas esse docent, id propterea tenent, quod damnati ob defectum vitae supernaturalis numquam satisfaciant vel vere satispatiantur.

§ VI. *De loco poenarum damnatorum.*

1. Certum est ad puniendos reprobos et angelos et homines divinitus esse constitutum aliquem *determinatum locum*. Haec enim est mens Scripturae et Patrum et Ecclesiae.

[1] Tract. 2, disp. 3, quaest. 1, sect. 3.

Unde errant, qui cum *Brentio* (Lutherano saec. 16), censent locum damnatorum esse per totum universum diffusum et singulos reprobos ad arbitrium Dei modo hic modo illic puniri.

2. Pariter certum est ante ultimum iudicium *non omnes daemones illo loco semper detineri,* ut patet ex iis, quae suo loco dicta sunt de commercio angelorum malorum cum hominibus (cf. tom. I, pag. 177 sqq.).

Eo tamen quod daemonibus permittitur, ut extra gehennam vagentur, iuxta sententiam communem eorum poena sensus *non* magis *diminuitur,* quam eorum poena damni. Quod quidem a *s. Thoma* [1] aliisque multis explicatur per hoc, quod ipsi clare atque evidenter *sciant* alligationem ad ignem *sibi in perpetuum deberi;* ab aliis per hoc, quod iis a Deo *idem dolor* inuratur, qui iis in gehenna inuritur per ignem, et id quidem aut immediate, aut, ut *Scheeben* [2] censet, *mediante quavis materia,* quam contingant, ut divino instrumento; a *Lessio* [3] aliisque per hoc, quod ipse *ignis inferni,* quamvis procul absit, eos physice torqueat; ab aliis, ut *Ludovico Caspensi* [4] per hoc, quod daemones illi *deferant secum ardorem, id est qualitatem* illam (disconvenientem naturae), quam conceperint ex igne corporeo; a *Beda,* ut videtur, aliisque per hoc, quod illi *ignem infernalem* (non solum in effectu interni doloris, sed etiam) secundum ipsum esse substantiale continuo *secum ferant.*

3. Ad rogatum, *ubi* ille determinatus locus tormentorum seu gehenna sit, *s. Chrysostomus* [5] respondet: « Ne quaeramus, ubi sit, sed quomodo eam fugiamus »; *s. Gregorius M.* [6]: « De hac re temere definire nihil audeo »; econtra *s. Augustinus* [7]: « De inferis magis mihi videor docere debuisse, quod *sub terris* sint, quam rationem reddere, cur sub terris esse credantur ». Et haec quidem s. Augustini opinio facta est *communis* theologorum, praesertim scholasticorum, utpote modo loquendi Scripturae (Num. 16, 31-33. Ps. 54, 16. Is. 5, 14. Ezech. 26, 20 etc.?)

---

[1] 1, q. 64, a. 4.
[2] Vol. 2, § 194, n. 192.
[3] De perf. div. lib. 13, n. 220.
[4] Tom. 1, tract. 8. disp. 7, sect. 6, n. 51.
[5] In Rom. hom. 31, n. 5.
[6] Dial. l. 4, c. 42.
[7] Retract. l. 2, c. 24, n. 2.

ac Patrum (praesertim Cyrilli Alex., Petri Chrysol., Ioannis Damasc., qui clare docuerunt gehennam esse in inferioribus terrae) et rationi omnino conformis.

Est haec opinio conformis rationi, quia homo damnatus graviter peccando contra excelsam maiestatem divinam rebellavit et terra, habitaculo suo, et communiter etiam rebus super terra repertis abusus est; unde congruum est eum in regiones inferas esse deiectum et mediantibus rebus sub terra inventis puniri.

Sunt, qui hanc opinionem proponant ut *fide amplectendam*. Sic *Suarez* dicit [1]: « Veritas certa est infernum esse sub terra ». Et: « Quod infernus sit sub terra, dubitandum non est propter communem sensum Patrum ita intelligentium Scripturas ». — *Lessius* [2]. « Certum est infernum esse sub terra. Est communis sententia Doctorum et Sanctorum et communis fidelium sensus ». — *Bannez* [3]: Haec sententia « adeo certa est, ut oppositum sit error in fide ».

CAPUT IV.

De Sorte Infantium In Statu Peccati Originalis Ex Vita Egressorum.

1. Secundum doctrinam *Ecclesiae* infantes (quibus annumerandi sunt perpetuo amentes) in statu peccati originalis ex vita egressi in poenam huius peccati *privantur visione beatifica*. Quae cum sit aeternum bonum et res pretiosissima, patiuntur damnum aeternum et obiective gravissimum.

Illud negatum est a *Pelagianis*, qui infantes non baptizatos non excludebant a vita aeterna (i. e. visione beatifica), utpote omnibus hominibus naturaliter debita, sed solummodo a regno caelorum, i. e. a speciali dignitate pertinendi ad regnum Christi.

Contra hunc errorem *Conc. Flor.* definivit « illorum animas, qui in actuali mortali peccato vel *solo originali* decedunt, mox *in infernum descendere*, poenis tamen disparibus puniendas » (D. 588). — (Trid. sess. 5, 4. D. 673). — Cf. pag. 224, caput V de necessitate baptismi.

2. Secundum *communem fere* opinionem theologorum et praesertim scholasticorum illi infantes *non* afficiuntur ulla *poena sensus*.

---

[1] De angelis, l. 8, c. 16, n. 17 et 18.

[2] De perf. div. l. 13, c. 24, n. 149.

[3] In 1, q. 64, a. 4, dub. 1, concl. 2 (tom. 1, pag. 626).

Ante tempora scholasticorum haec opinio non ita praevaluit. Nam inter Patres *latinos* non defuerunt, qui putarent illos infantes teneri etiam *poena sensus* (ipsa poena ignis plerumque non exclusa), quae tamen sit mitissima. Hoc sensit praesertim s. *Augustinus,* quem secuti sunt *Fulgentius, Gregorius M., Isidorus Hispalensis, Anselmus.*

E scholasticis sententiam s. Augustini acceperunt *Gregorius Ariminensis, Petavius, Norisius, Berti* (Augustinenses), ab aliis scholasticis ob id vocati tortores infantium vel parvulorum.

E contra e ss. Patribus e. g. *Gregorius Naz.* aperte docet [1] illos infantes nec caelesti gloria nec suppliciis a iusto iudice affici, « utpote qui, licet signati non fuerint, improbitate tamen careant atque hanc iacturam passi potius fuerint, quam fecerint ». — E scholasticis praeter alios *s. Thomas* constanter negat illos infantes poena sensus teneri, dicendo e. g. [2]: « Peccato originali non debetur poena sensus, sed solum poena damni, sc. carentia visionis divinae ». — Item *s. Bonaventura,* qui scribit [3]: « Quia (illi infantes) non habuerunt in se actualem delectationem peccati, nec in spiritu nec in carne, ideo non sentiunt poenae ignis acerbitatem ». Et [4]: « Carent omni afflictione exteriori et interiori ».

Huic scholasticorum opinioni *favet auctoritas ecclesiastica.* Dicit enim *Innocentius III.* [5]: « Poena originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero peccati poena est gehennae perpetuae cruciatus (D. 341). — Et *Pius VI* [6]*:* « Doctrina, quae velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animae decedentium cum sola originali culpa poena damni *citra poenam ignis* puniuntur,... falsa, temeraria, in scholas catholicas iniuriosa.

Eadem opinio suadetur *ratione.* Nam, ut recte advertit s. Thomas, poena sensus infligitur ad puniendam delectationem, quam creatura in peccato quaesivit (Apoc. 18, 7); sed in peccato originali delectatio non est.

3. Secundum sententiam *communiorem* illi infantes ob privationem visionis beatificae *non* sunt *in maestitia.*

S. Thomas dicit [7]: « Nihil omnino dolebunt de carentia visionis divinae ». — Et *s. Bonaventura* [8]*:* « Concedendae sunt rationes, quod parvuli non sentient spiritualem dolorem ».

---

[1] Serm. 40, c. 23.

[2] De malo, q. 5. a. 2 in c. Cf. In 2, d. 33, q. 2, a. 1; et 3, q. 1, a. 4 ad 2.

[3] Tom. 2, pag. 794.

[4] Ib. pag. 797.

[5] Decr. l. 3. t. 42, c. 3.

[6] Prop. Pistor. 26. damn.

[7] In 2, d. 33, q. 2, a. 2.

[8] Tom. 2, pag. 797.

Ratio est, quia visio beatifica est bonum naturae humanae plane indebitum et quia illi infantes neque umquam fuerunt dispositi ad eam accipiendam neque eam perdiderunt propria (seu personali) culpa.

Inter eos, qui illos infantes *in maestitia* esse opinantur, eminet *Bellarminus,* qui scribit [1]: « Dicimus igitur parvulos sine baptismo decedentes dolorem animi habituros, quod intelligant se beatitudine privatos, a consortio piorum fratrum et parentum alienos, in carcerem inferni detrusos et in tenebris perpetuis vitam acturos; ceterum hunc dolorem in iis levissimum mitissimumque multis de causis futurum, tum quod dispositionem ad beatitudinem nonnisi remotissimam habuerint, tum quod intelligent non propria negligentia se tantum bonum amisisse, unde etiam verme conscientiae carebunt, tum quod delicias neque caelestes neque terrenas umquam gustaverint (facile enim iis bonis caremus, quibus numquam assuevimus), tum denique quod videbunt plurimos esse in eodem gehennae carcere se multo infeliciores, ad quorum sortem ipsi quoque pertinere potuissent, si diutius sibi vivere contigisset ».

Similiter docet *Franciscus Schmid* [2] statum (illorum) parvulorum... absolute loquendo statum miseriae appellandum esse.

4. Secundum sententiam s. *Thomae et aliorum multorum* (ut Suarezii et Lessii) illi infantes gaudent aliqua *naturali felicitate.*

Dicit Doctor angelicus [3]: Illi infantes « gaudebunt de hoc, quod participabunt multum de divina bonitate in perfectionibus naturalibus ». Et [4]: Deo « coniunguntur per participationem naturalium bonorum; et ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali coniunctione et dilectione ».

Ratio est, quia homo per peccatum originale bonis naturalibus non privatur; sed naturalis felicitas, ut patet, est bonum humanum naturale.

Econtra alii, in his s. *Bonaventura,* minus rationabiliter sentiunt illos parvulos *nec tristitiam* sentire *nec laetitiam.*

Scribit idem s. Doctor [5]: « Parvuli (illi)..., divino iudicio iusto inter beatos et simpliciter miseros quasi in medio constituti, hoc noverunt, et, cum ex una parte consideratio (huius status in iis) generet desolationem, ex altera consolationem, ita aequa lance divino iudicio eorum cognitio et affectio libratur et in tali statu perpetuatur, *ut nec tristitia deiiciat nec lae-*

---

[1] De amiss. grat. l. 6, c. 6.
[2] Quaest. sel., q. 4, n. 24 in fine.
[3] In 2, d. 33, q. 2. a. 2.
[4] Suppl. q. 71, a. 2 ad. 5.
[5] Tom. 2, pag. 797.

titia reficiat. Et in hoc mirabilis ostenditur ordo divinae sapientiae, qui cuncta novit suis locis disponere et ad sui gloriam ordinare. Nam sicut in beatis potissime manifestatur misericordia, et in damnatis potissime claret iustitia, sic in istis manifestatur *misericordia simul et iustitia.* Et ex hoc patet, quod *non* facit *frustra* Deus animas, quas novit de corpore ante susceptionem baptismatis egressuras. Omnia enim facit Deus *ad gloriam suam* manifestandam.

Unde, si tu quaeras, quid parvuli faciant, utrum addiscant vel conferant vel aliquod aliud opus exerceant, breviter ego respondeo, quod divinae iustitiae aequitas et immutabilitas in eodem statu quantum ad corpus et quantum ad animam, sive quoad cognitivam et quoad affectivam, perpetualiter eos consolidat, ut *nec proficiant nec deficiant, nec laetentur nec tristentur,* sed semper sic uniformiter maneant, ut sint materia laudandi divinum iudicium, quod sic est aequum et iustum, ut nullum bonum remaneat irremuneratum, nullum malum remaneat impunitum, et perfectissime teneat medium inter superfluum et diminutum ».

5. Secundum *alios* naturalis illorum infantium felicitas praeter id, quod sunt in statu peccati, ceteroquin *tanta* est, quanta esset, si homo in statu *naturae purae* creatus et ad beatitudinem naturalem destinatus esset; secundum *alios* est *minor.* Iuxta illos felicitas infantium in statu peccati originalis decedentium a felicitate, quae infantibus in statu naturae purae decedentibus praepararetur, formaliter tantum differt; iuxta hos etiam materialiter.

Illam felicitatem ab hac formaliter tantum differre, i. e. sicut vestibus spoliatum a nudo (i. e. vestibus numquam tecto), seu illam quantum ad gradum huic esse *parem* ex tota doctrina s. *Thomae* videtur posse colligi; e. g. ex his ipsius verbis [1]: « Quod detrimentum aliquod patiatur aliqua persona in his, quae sunt supra naturam, potest contingere vel ex vitio naturae vel ex vitio personae; quod autem *detrimentum* patiatur in his, quae sunt naturae, hoc non videtur posse contingere nisi propter vitium proprium personae. Ut autem ex praemissis patet, peccatum originale est vitium naturae, peccatum autem actuale est vitium personae ».

Lessius dicit [2]: « Credibile est eorum statum longe feliciorem ac laetiorem fore, quam sit alicuius hominis mortalis in hac vita ».

6. Quamvis sententia illa mitior accipiatur, tamen non est dicendum infantes in statu peccati originalis ex vita egressos gaudere naturali beatitudine completa; sed dicendum est eorum beatitudinem naturalem esse *incompletam,* eo quod habent pec-

---

[1] De malo, q. 5, a. 2 in c.

[2] De perf. div. l. 13, c. 22, n. 145.

catum, et id quidem mortale, neque obtinuerunt beatitudinem supernaturalem sibi destinatam.

7. Sedes illorum infantium vocari solet *limbus infantium* vel limbus puerorum.

Nota. Huic doctrinae a theologis propositae *non obstant* ea, quae iuxta Scripturam et doctrinam Ecclesiae de illis infantibus tenenda sunt; sc.: 1. *Eos macula esse foedatos.* Nam per maculam peccati originalis, qua sunt affecti, vere privati sunt pulchritudine supernaturali. 2. *Eos obnoxios esse morti animae.* Nam re vera carent vita supernaturali. 3. *Eos esse in statu poenae.* Nam privati sunt visione beatifica aliisque caeli gaudiis. Neque obstat, quod ob hanc privationem non sunt affecti tristitia. Status enim poenae esse potest, quin punitus tristitiae se tradat. Si e. g. vir nobilis, eo quod contra regem rebellavit, exsilio multatus est, certe affectus est poena; tamen in exsilio vitam degere potest satis felicem. 4. *Eos esse obnoxios odio divino et filios irae* (Eph. 2, 3). Nam re vera est in iis aliquid, quod Deus habet odio, sc. peccatum originale. Praeterea ira et odium Dei non semper absolute, sed saepius comparative accipienda sunt, pro minore sc. dilectione (cf. Malach 1, 3. Luc. 14, 26). 5. *Eos esse servos diaboli.* Nam eatenus ad regnum diaboli pertinent, quatenus ab eo (qui Evam seduxit et per eam Adam) prohibiti sunt, quominus ingrederentur caelum; non eatenus, quatenus daemones in eos possint saevire. 6. *Eos esse in inferno.* Nam iuxta Scripturam tempore legis veteris etiam animae hominum sanctorum in inferno fuerunt.

CAPUT V.

De Purgatorio.

ARTICULUS I.

DE EXSISTENTIA PURGATORII.

THESIS. **Est purgatorium, in quo animae iustorum ab omni reatu residuo poenis piacularibus mundantur.** Est *de fide* ex Conc. Florent. et Trident.

Dicit *Florent.* in decreto unionis: Si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas *poenis purgatoriis post mortem purgari* (D. 588). Et *Trident.* sess. 6, can. 30: Si quis post acceptam iustificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti et reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae vel in hoc saeculo vel in futuro *in purgatorio,* antequam ad regna caelorum aditus patere possit, a. s.

Opponitur Petrobrusianis, Albigensibus, Waldensibus, Hussitis, Protestantibus, si excipias multos recentiores, qui, sicut doctrinam ab haeresiarchis saec. 16. de iustificatione propositam reiiciunt, ita statum alterius vitae, quo animae emendentur, admittunt.

Lutherus non fuit sibi constans. Priore enim post apostasiam suam tempore purgatorium non reiecit, sed anno 1530 edidit « Retractationem purgatorii », qua hoc reiecit, et anno 1537 in articulis smalcaldicis purgatorium vocat meram diaboli larvam. Nihilominus in Postilla anno 1543 edita admittit vivos pro animabus defunctorum posse orare. — *Melanchthon* haesit anceps. — *Zwingli* purgatorium esse aperte negavit. — *Calvinus* scribit[1]: « Clamandum non modo vocis, sed gutturis ac laterum contentione purgatorium exitiale satanae esse commentum, quod Christi crucem evacuat, quod contumeliam Dei misericordiae non ferendam irrogat, quod fidem nostram labefacit et evertit ».

Probatur: I. Ex Scriptura, quae, licet purgatorium esse disertis verbis non doceat, tamen ea continet, quae illud esse necessario supponunt.

Leo X damnavit hanc Lutheri propositionem (37): Purgatorium non potest probari ex sacra Scriptura, quae sit in canone (D. 661).

1. *Ex vetere testamento.* 2. Mach. 12, 43-46. *Facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit* (Iudas Machabaeus) *Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis), et quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.*

In tunicis militum Iudaeorum, qui in proelio cum Gorgia, praeposito Idumaeae, commisso ceciderant et pro quibus sacrificia illa sunt oblata, inventae erant res pretiosae ad idola Iamniae pertinentes, quas assumere Iudaei lege Mosaica (Deut. 7, 25. 26) erant prohibiti, qua de causa omnibus persuasum erat eos ob transgressionem legis interiisse.

a) Textu citato haec continetur doctrina: α) Iis, qui cum pietate dormitionem acceperunt (τοῖς μετ' εὐσεβείας κοιμωμένοις)

[1] Instit. l. 3, c. 5, n. 6.

seu e vita excesserunt, qui proinde merito habentur iusti, remanere possunt *poenae in altera vita* luendae. — β) Hae poenae *non* sunt *aeternae*, cum illis militibus, qui pie de vita decesserunt, optima reposita sit gratia (κάλλιστον ἀποκείμενον χαριστήριον). — γ) A vivis obtineri potest, ut illae poenae *imminuantur vel remittantur*.

b) Hanc doctrinam profitentur: α) *Iudas Machabaeus* collationem illam instituens, qui quidem fuit generis sacerdotalis, dux populi Dei, vir prudens, vir omnium officiorum observantissimus, vindex acerrimus legis Mosaicae. — β) *Milites* vel etiam alii Iudaei pecunias (iuxta textum graecum *duo* millia drachmarum) ad sacra facienda promptis animis conferentes. — γ) *Sacerdotes* sacrificia pro illis defunctis publice offerentes. — δ) Libri illius *auctor*, qui *a Spiritu Sancto inspiratus* illam rem ut bonam narrat et approbat (dicendo: ὁσία καὶ εὐσεβὴς ἡ ἐπίνοια; deinde pergit: ὅθεν περὶ τῶν τεθνηκότων τὸν ἐξιλασμὸν ἐποιήσατο, τῆς ἁμαρτίας ἀπολυθῆναι).

Librum II. Machabaeorum esse divinitus *inspiratum*, id quod a Protestantibus negatur, sed ab Ecclesia (a Conc. Carthag. III. a. 397 habito et Trident. sess. 4.) docetur, in Theologia fundamentali et Introductione in s. Scripturam probatur. Sed etiamsi ille liber inspiratus non esset, tamen haberetur testimonium fidei Iudaeorum tunc temporis viventium. Imo etiam aliunde constat Iudaeos purgatorium admisisse et adhuc admittere (Cf. Buxtorf, Synagoga Iudaica, c. 1. 35. 49).

Verum quidem est milites illos corruisse ob transgressionem legis. Sed eos ob hanc rem *non habitos esse damnatos* patet ex eo, quod eadem re non obstante dicuntur dormitionem accepisse *cum pietate*. Et sane credibile est eos aut illam legem transgrediendo graviter non peccasse, sive ob ignorantiam sive ob inadvertentiam etc., aut ante mortem egisse poenitentiam.

2. *Ex novo testamento:* Ex verbis Christi Domini et Pauli Apostoli.

Matth. 12, 32: *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo neque in futuro* (οὔτε ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι). Ex verbis: « neque in hoc saeculo neque in futuro » recte sic concluditur: Ergo fieri potest, ut in altera vita peccata (aliquo saltem modo, sive quoad culpam et poenam, sive quoad poenam tantum) remittantur. Nam si hoc nullo modo fieri posset, blasphemiam illam esse gravissimam neque umquam (*in aeternum* Marc. 3, 29)

remitti inepte ostenderetur per verba: ea neque in hoc saeculo neque in futuro remittetur. Nullus enim vir prudens, qui dicere vult se aliquid, quod in hoc tantum saeculo fieri potest, numquam esse facturum, dicit: ego illud neque in hoc saeculo neque in futuro faciam, e. g. ego neque in hoc saeculo neque in futuro emigrabo in deserta Africae.

Quod attinet ad Matth. 5, 26: *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem,* « non est consultum ex hoc loco argumentum depromere pro purgatorio ». *Knabenbauer* [1]. Nam voce « donec » in dubio relinquitur, utrum condemnatus ultimum quadrantem reddere possit necne.

1. Cor. 3, 11-15: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam, uniuscuiusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur; et uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse tamen salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (αὐτὸς δὲ σωθήσεται, οὕτως δὲ ὡς διὰ πυρός).

Explicatur textus. α) Ab Apostolo exhibentur, qui super fundamentum, quod est Christus, aedificium exstruant. Ex iis alii adhibent materiam pretiosam ac firmam, quae igni resistere potest, (aurum, argentum, marmor etc.), alii adhibent materiam vilem ac fragilem, quae igne facile comburitur (ligna, foenum, stipulas). Hi omnes iuxta contextum sunt praedicatores evangelii, qui a doctrina Christi non deficiunt. Attamen praedicatio aliorum est omni ex parte solida et salutaris, aliorum plus minusve vana seu frivola et inutilis. Qualis uniuscuiusque praedicatio vere et coram Deo sit, die universalis iudicii palam fiet. Dies enim ille Domini, gr. ἡ γὰρ ἡμέρα (non: τοῦ κυρίου), non est tempus huius saeculi, quod paulatim ostendat, utrum illa praedicatio sit solida necne, ut quidam Protestantes volunt, sed est dies iudicii et eius quidem universalis, ut s. Chrysostomus aliique Graeci antiquiores, Latini multi, moderni fere omnes merito sentiunt. Nam: α) Solus dies universalis iudicii in Scriptura ἡ ἡμέρα (Hebr. 10, 25) vel ἐκείνη ἡ ἡμέρα (2. Tim. 4, 8 etc.) vocari

[1] In Matth. I, pag. 220.

solet. — β) Solus ille dies iuxta Scripturam revelabitur in igne (2. Thess. 1, 8. 2. Petr. 3, 7). — γ) Solus ille dies iuxta Scripturam revelabit, qualia opera hominum fuerint (Philipp. 1, 10). — δ) Idem iudicii dies in eadem epistola pluries commemoratur (1. Cor. 1, 8; 5, 5), ita ut optimo iure concludi possit Apostolum dicendo « ἡ ἡμέρα » eundem diem intelligere. — ε) In eadem epistola immediate ante (3, 8) et immediate post illum textum (3, 17) divinum iudicium tangitur.

b) Is, cuius superaedificium igni succubuerit, salvus quidem erit (σωθήσεται); attamen α) *detrimentum patietur* (ζημιωθήσεται), i. e. afficietur damno, mercedem bene superaedificantibus debitam non obtinendo, vel etiam (secundum etymon vocis graecae) afficietur poena (qualicunque); — β) salvus erit *quasi per ignem*, i. e. (ut videtur) per ignem conflagrationis transiens salvabitur, sicut aliquis salvatur per (alium) ignem transiens.

Cum διὰ πυρός sine articulo sit positum, haec explicatio videtur esse praeferenda. Nam si hic ageretur de eodem igne, de quo supra dictum erat: « ignis (τὸ πῦρ) probabit », verisimiliter additus esset articulus. — Quodsi intelligitur de igne eodem, per adverbium « quasi » (ὡς) hunc esse ignem verum non magis negatur, quam Io. 1, 14 *(gloriam quasi Unigeniti a Patre)* per idem adverbium negatur gloriam Verbi incarnati esse veram gloriam veri Unigeniti Patris. Nam « ὡς his in locis per hebraismum videtur positum pro kᵉ illo, quod veritatis appellatum non similitudinem sed aequalitatem designat vel potius identitatem ». *Cornely*[1].

Verbum σωθήσεται cum nonnullis Graecis non potest sic explicari: Ad ignem inferni damnabitur; verum hoc igne non comburetur, sed conservabitur, ut in aeternum possit cruciari. Nam primum σώεζσθαι in Scriptura semper significat obtinere salutem, liberationem a malo, refrigerium, auxilium (cf. 1. Cor. 5, 5. 1. Petr. 4, 18 etc.). Deinde in nostro textu ζημιωθήσεται et σωθήσεται inter se opponuntur; sed si utroque vocabulo poena indicaretur, non esset ulla oppositio. Denique, si Apostolus de mera conservatione loqui voluisset, adhibuisset vocabulum τηρεῖν, quo vocabulo frequenter utitur.

Ex textu deducitur argumentum. a) Iuxta verba Apostoli illi *praedicatores*, quos Christus *in secundo suo adventu* vera quidem, sed inutilia (etc.) docuisse reperiet, ad salutem non pervenient, antequam quasi per ignem transeuntes inutilium suorum laborum *poenas luerint*. Ergo est modus praedicandi doctrinam Christi, qui praedicatorem ab obtinenda quidem sa-

[1] In 1. Cor. pag. 90.

lute non arcet, tamen, antequam salus obtinetur, poena temporali est expiandus.

b) Si pro hoc modo praedicandi a iusto iudice poena temporalis sumitur in fine mundi, concludendum est pro eodem praedicandi modo *etiam ante mundi finem* poenam temporalem sumi. Nam res, quae in se ipsa est mala vel imperfecta, per meram circumstantiam temporis non fit bona vel perfecta; et est *iustus Dominus in omnibus viis suis* (Ps. 144, 17).

Confirmatur per hoc, quod licet in textu nostro sermo sit de iudicio universali, tamen de hoc non videtur esse sermo sensu exclusivo, sed potius sermo esse videtur de iudicio universali *et particulari per modum unius*, sicut in aliis quoque Scripturae locis (Mattb. 24, 44. Luc. 12, 40. Apoc. 16, 15). Iudicii enim universalis est ea, quae in iudicio particulari iam facta sunt, confirmare et coram universo mundo manifestare.

c) Si modus praedicandi talis potest esse, ut ex iustitia divina ei poena temporalis irroganda sit, etiam *tota ratio vitae* talis esse potest. Unde ea, quae ab Apostolo de exstruendo illo aedificio dicuntur, ob paritatem rationis de tota vita christiana possunt intelligi.

Nota. « Eorum sententia probari non potest, qui verba Pauli directe et sensu litterali de purgatorio intelligenda esse dicunt, licet verissimum sit ex eis legitimum deduci argumentum, quo catholica doctrina de purgatorio demonstratur ». Cornely [1].

II. Ex Traditione.

Ex Traditione exsistentia purgatorii probari potest et *directe* et *indirecte*. Indirecte probatur iis omnibus documentis, quibus docetur pro defunctis suffragia posse fieri. Damnati enim suffragiis iuvar non possunt; beati iis non indigent. Neque umquam in Ecclesia usus fuit orandi pro iis, qui beati certo habebantur, sc. pro martyribus. Econtra antiquitus viguit axioma: Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre. Ergo admittendum est esse statum medium inter statum damnatorum et beatorum, quo animae iuvari et indigeant et possint, i. e. purgatorium. Sed de suffragiis pro defunctis faciendis ex professo infra agetur, ubi de communione Sanctorum. Hoc igitur loco purgatorium esse probatur *solummodo directe*, et quidem:

1. *Ex Patribus graecis:* Orig., Basil., Greg., Nyss.

---

[1] In 1. Cor. pag. 91.

Dicit *Orig.* [1]: « Si post fundamentum Iesu Christi non solum in corde tuo aurum et argentum et lapidem pretiosum (si tamen habes aliquid auri vel argenti) superaedificaveris, verum et ligna, foenum et stipulam, quid tibi vis fieri, *cum anima seiuncta fuerit a corpore?* Utrumnam ingredi vis in sancta cum lignis tuis, cum foeno et stipula, ut polluas regnum Dei, an propter lignum, foenum et stipulam foris residere et pro auro, argento et lapide pretioso nihil mercedis accipere? Sed neque hoc aequum est. Quid igitur sequitur, nisi ut propter lingna *ignis* tibi detur, *qui consumat lignum, foenum et stipulam.* — *Basilius,* inquit Pesch [2], diserte distinguit inter varia iudicia, quibus Deus alios peccatores, qui ex malitia usque ad finem peccarunt, aeterno igni addicet, alios vero, qui leviora peccata commiserunt vel de gravibus peccatis in hac vita poenitentiam egerunt, igne purgatorio mundabit. Ita in Is. 10, 20 ait: « Nos ad voluptatis illicium mentem appellentes nosmetipsos quam longissime subducimus a Deo ac nos acerbae inexorabilis daemonis tyrannidi subiicimus, qui, cum sit igni aeterno addictus, plures supplicii sui socios habere conatur ». Sed (ita in 9, 16 sqq.) alia sunt peccata, quibus Deus etiam providit ignem, sed « declarat vice beneficii in animam conferendi terrena igni vindici tradi... Et erit populus sicut homo ab igne exustus. Non exitium comminatus, sed innuit *expurgationem* iuxta Apostoli dictum: Si cuius opus arserit... » (1. Cor. 3, 15). Verumtamen hic ignis purgatorius non potest consumere peccata, quae manserunt gramen viride, sed ea tantum, quae per poenitentiam arefacta sunt ut foenum. « Itaque si peccatum detexerimus per confessionem, effecimus ipsum ceu gramen aridum et dignum, quod ab igne *purgante* (ὑπὸ τοῦ καταρτικοῦ πυρός) devoretur... Proinde nisi peccatum nostrum fiat sicut gramen aridum, non devorabitur ab igne neque succendetur ». Si vero poenitentiam non egerimus (ita in 2, 31), « animae vitia tamquam ignis scintillas ad accedendam gehennae flammam exsuscitamus, quemadmodum et dives ille in flamma arefactus a propriis voluptatibus torrebatur. Etenim pro ratione iaculorum, quae a maligno exceperimus, plus aut minus exuremur. Et comburentur iniqui et peccatores simul, et non erit, qui exstinguat ». Hunc gehennae ignem latius describit in Is. 5, 11 sqq.; alium vero dicit esse « *locum expurgandis animis idoneum* (χωρίον καθαρισμοῦ ψυχῶν)... Itaque s. Basilius ignem purgatorium distinctum a gehenna in altera vita admittit. — *Greg. Nyss.* [3]: « Aliud ei (qui omnia vitia non expiavit) deinde ineundum erit consilium, ut ad bonum perveniat, cum e corpore egressus (cognita, quae inter virtutem et vitia est, differentia) non poterit divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo commixtas *purgatorius ignis* (τὸ καθάρσιον πῦρ) *abstulerit* ». Et paulo post repetit eos, qui ad deteriora defluxerint, debere « post hanc vitam *purgatorio igne* materiae labes et propensionem ad malum abstergere ».

2. *Ex Patribus latinis:* Tertull., Cypr., Aug., Greg. M.

---

[1] Homil. 16. in Ier. n. 5 et 6.

[2] Tom. 9, n. 594.

[3] Orat. de mortuis.

Scribit *Tertull.*[1]: « Cum carcerem illum, quem evangelium (Matth. 5, 25, 26) demonstrat, inferos intelligamus, et novissimum quadrantem modicum quoque delictum mora resurrectionis luendum illic interpretemur, nemo dubitabit *animam aliquid pensare penes inferos,* salva resurrectionis plenitudine per carnem quoque ». — *Cypr.*[2]: « Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire; aliud missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem, aliud statum fidei et virtutis accipere mercedem; aliud *pro peccatis longo dolore cruciatuum emundari et purgari diu igne,* aliud peccata omnia passione (martyrii) purgasse ». (Contra Novatianos Ecclesiae nimiam erga poenitentes clementiam obiicientes vult dicere poenitentes non ideo, quod ad Ecclesiam reciperentur, statim a satisfactione praestanda solutos habendos esse, ita ut morientes immediate in caelum possint recipi ». — *Aug.*[3]: « In hac vita purges me et talem me reddas, cui iam *emendatorio igne* non sit opus, propter illos, qui salvi erunt, sic tamen quasi per ignem. Quare, nisi quia hi aedificant super fundamentum ligna, foenum, stipulam? Aedificarent autem aurum, argentum, lapides pretiosos, et de utroque igne securi essent, non solum de illo aeterno, qui in aeternum cruciaturus est impios, sed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem salvi erunt. Dicitur enim: Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Et quia dicitur: salvus erit, contemnitur ille ignis... Gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita ». — *Greg. M.*[4]: « Scio futurum esse, ut post huius vitae exitum alii *flammis expientur purgatoriis,* alii sententiam subeant aeternae damnationis, sed quia illum transitorum ignem omni tribulatione praesenti aestimo intolerabiliorem, non solum in furore aeternae damnationis opto non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptionis purgari ».

III. Rationibus theologicis et congruis.

1. *Esse* purgatorium necesse est *inferatur:*

a) Ex eo, quod sunt peccata *venialia.* Nam peccatum veniale est quidem transgressio legis divinae, sed non est transgressio legis divinae quoad principalem eius intentionem, quae est ordinare hominem ad Deum finem ultimum. Quia est transgressio divinae legis, a Deo, iudice iusto, est puniendum. Quia non est transgressio legis divinae quoad principalem eius intentionem, seu quia non est aversio a Deo fine ultimo, non est puniendum reprobatione aeterna. Ergo puniendum est poena temporali. Sed in hac vita puniri vel satis puniri non solet; ergo puniatur oportet in altera vita.

---

[1] De anima, c. 58.
[2] Epist. 55, n. 20.
[3] Enarr. in Ps. 37, n. 3.
[4] In Ps. 3. poenit. n. 1.

Nota. Quia peccatum veniale non impedit, quominus homo ad Deum finem ultimum per caritatem habitualiter sit conversus, non est *contemptus* Dei seu offensa Dei *contumeliosa* seu offensa Dei *simpliciter dicta*. Vocari solet offensa Dei levis, i. e. res Deo displicens, offensa imperfecta, offensa secundum quid; imo a s. Thoma[1] offensa nullatenus vocatur.

Confirmatur. Si omnia et singula peccata venialia punirentur poena aeterna, homines adducerentur in pusillanimitatem, imo desperationem. Sin peccatorum venialium nullae expeterentur poenae, plurimis hominibus deesset sufficiens motivum, quo ab iis committendis efficaciter deterrerentur, seu lex divina ea prohibens sufficienti careret sanctione.

b) Ex eo, quod una cum culpa sive gravi sive levi non semper remittitur tota poena, sed e contrario culpa remissa *temporalis poena* luenda plerumque relinquitur (cf. pag. 347). Fieri enim potest, imo saepissime fit, ut animae, cum a corpore separatur, poena temporalis luenda restet. Ergo hanc poenam anima, postquam a corpore separata est, luere debet.

Confirmatur. Quis credere potest poenam meritam a redemptore misericorde culpam ignoscente impositam, sed ex negligentia in hac vita non solutam in altera vita a iusto iudice petitum non iri, et sic segnes ac negligentes melioris esse conditionis quam poenitentiae studiosos? Quis credere potest quemvis hominem, qui per multos annos continuo usque ad mortem omnibus fere sceleribus et flagitiis, omnibus libidinibus deditus erat, si moribundus remissionem suorum peccatorum attritus obtinuit, repente elevari ad videndum Deum sanctissimum et assumi in societatem angelorum ac beatarum animarum, et sic eandem creaturam eodem die volvi in caeno vitiorum sordidissimo et triumphare in caelo sublimissimo?

Nec valet dicere illam poenam lui suscepta ac tolerata *morte*. Nam mors non est poena peccatorum actualium, sed per se est res naturalis et in praesenti ordine est aut poena aut poenalitas peccati originalis. Mors saepe nec voluntarie suscipitur nec pie toleratur. Mors plerumque non acerbior, saepe minus acerba est iis, qui plura et graviora peccata commiserunt, quam iis, qui commiserunt peccata pauciora et leviora.

---

[1] De malo, q. 7, a. 2 ad 10.

Ubi denique est privilegium martyrii, si poenae peccatorum temporales expiantur *omni* morte?

2. *Credere* purgatorium esse multum valet ad fovendam *pietatem*. Nam praeterquam quod, ut ex dictis patet, aptum est ad hominem efficaciter deterrendum a committendis peccatis venialibus et splendide manifestat divinam sanctitatem ac iustitiam:

a) Excitat ad praestandam satisfactionem ideoque ad facienda opera bona et fovet spiritum poenitentiae.

b) Praebet occasionem caritatis exercendae erga defunctos, gratiae referendae mortuis benefactoribus, iniuriae reparandae alicui olim illatae etc.

c) Fovet cogitationes salutares alterius vitae etc.

« Hanc veritatem *consensus gentium* eximie confirmat. Hunc enim statum intermedium seu purgatorium gentiles iam crediderunt, tum philosophi, tum poetae. Ita *Clemens Alex.*[1] testatur *Stoicos* credidissse statum expiationis post mortem, quem vocabant empyrosin. Opinio *Pythagoraeorum* de metempsychosi huic veritati innititur; putant enim animas a corpore in corpus transmigrare, ut a praecedentibus peccatis expientur. *Plato* dicit[2]: « Qui videntur propter peccati magnitudinem, ut sunt sacrilegia, homicidia illegitima et similia, insanabiles esse, illi coniiciuntur in tartarum, unde numquam possunt evadere. Qui vero iudicantur magna quidem peccata, sed quae medicabilia seu sanabilia sunt, perpetrasse, illi pro ratione delicti in diversas ignis flammas comburendi coniiciuntur; tandem post annum et amplius appropinquant paludi Acherontis; ibi vero eos, quos laeserunt, inclamant, et suppliciter petunt, ut permittantur egredi et recipiantur. Et si adversarius suis hoc persuaserint, egrediuntur et desinunt in poenis versari. *Virgilius*[3] recenset eos, qui « exercentur poenis veterumque malorum supplicia expendunt ». Hanc doctrinam admittunt in suo Alcorano *Mohammedani,* qui orationem pro defunctis vocant El-Katme.

Hic autem universalis consensus, prout liquet, enatus est vel ex ipso omnibus indito lumine rationis, quae tam clare et invincibiliter exsistentiam purgatorii postulat, vel prodiit quoque ex revelatione iam in primordiis mundi facta et per traditionem propagata, quae ab ethnicis, quo magis a progenitorum religione digressi sunt, erroribus ac vanis commentis fuit depravata. De hoc autem consensu valet illud *Ciceronis* dictum[4]: Opinionum commenta delet dies, naturae iudicia confirmat ». *Gottfried a Graun*[5].

[1] Strom. l. 5.
[2] In. l. de anima ap. Euseb. praep. evang. l. 2, cap. ult.
[3] Aeneid. l. 6, v. 739 et 740.
[4] De nat. deor. l. 2.
[5] Tom. 3, pag. 589.

ARTICULUS II.

DE REMISSIONE CULPARUM VENIALIUM AB ANIMABUS PURGATORIO ASSIGNATIS OBTENTA.

Eae animae purgatorio assignantur, quae momento, quo a corporibus separantur, sunt quidem in statu gratiae sanctificantis ideoque immunes omnis peccati mortalis, tam originalis quam personalis, quibus tamen restat poena temporalis luenda pro peccatis sive mortalibus sive venialibus quoad culpam iam remissis. Eaedem animae tum, cum a corporibus suis separantur, etiam culpae venialis obnoxiae esse possunt.

Falsa enim est sententia quorundum, qui docuerunt quemlibet hominem sub peccato gravi obligari, ut ante mortem omnia peccata levia sufficienter retractet. Omni ratione carens est sententia aliorum, qui putarunt cuilibet homini ante mortem dari specialem gratiam conducentem ad omnem culpam venialem delendam.

Itaque peccata venialia non solum quoad poenam sed etiam quoad culpam remitti possunt, postquam animae a corporibus sunt separatae, seu in altera vita. Quaeritur autem, utrum omnia peccata venialia quoad culpam remittantur, ut primum anima a corpore separata seu in alteram vitam ingressa est, an peccata venialia paulatim remittantur, cum anima iam in altera vita et quidem in purgatorio degit.

I. Iuxta sententiam *minus probabilem* anima *in purgatorio* degens a culpis venialibus *paulatim* expiatur, et quidem variis actibus poenitentiae, praecipue voluntaria acceptatione ac tolerantia poenarum.

S. Bonaventura dicit[1]: « Post hanc vitam poena purgatorii potest purgare non solum a poena, sed etiam a *culpa* peccati venialis ». Et[2]: « Quoniam ergo voluntas potest gratiae post hanc vitam esse conformis, quamvis non possit esse adiutrix, pro eo quod cessavit tempus meriti, ideo indiget adiutorio exteriori. Et cum non sit locus sacramenti, habet adiutorium ignis punitivi sive purgatorii, qui ideo dicitur purgatorius, quoniam anima purgatur a peccati scoria et a veniali *culpa,* si cum illa transeat.

[1] Tom. 4, pag. 551, concl.
[2] Ib. pag. 552.

II. Iuxta sententiam *multo probabiliorem* animae iustae omnis culpa venialis *statim* remittitur, simulatque e vita mortali excessit. Quae quidem sententia:

1. *Explicatur: a)* Anima habitu supernaturali caritatis ornata, cum primum ex corporis vinculis evolavit, clare cognoscit Deum esse summum et unicum bonum et eum actu caritatis ferventissimo prosequitur atque omnia peccata sua venialia nondum remissa sibique clare perspecta summe detestatur seu ab iis perfecte avertitur.

b) Propterea anima est digna, cui omnia peccata venialia quoad culpam remittantur. Unde a Deo sic statim remittuntur.

c) Ille actus, quo Deus ferventer diligitur atque omnia venialia peccata retractantur, non est ullo modo meritorius, cum post hanc vitam tempus merendi non iam sit. Unde ob eundem actum elicitum poena temporalis culpis venialibus debita non remittitur.

2. *Probatur: a)* Vix probabile est animam iustam a corpore separatam ad obtinendam remissionem culparum venialium paulatim melius disponi, quam statim post separationem a corpore factam disposita est. Si autem statim post mortem sufficiens dispositio ad remissionem obtinendam iam habetur, non est, cur ipsa remissio in aliud tempus differatur.

b) In theologia omnia apta inter se et convenientia sint oportet. Sed iuxta hanc sententiam aptius ac melius potest explicari, quomodo fieri possit, ut nemo baptizatus pro iis peccatis, quae ante susceptum baptismum commisit, in purgatorio pati debeat (cf. pag. 222) et cur nullus martyr in purgatorium mittatur (cf. pag. 229).

S. Thomas dicit[1]: Quandoque contingit, quod aliqui in ipsis actibus peccatorum venialium vel in proposito venialiter peccandi occupantur somno vel aliqua passione auferente usum rationis et praeveniuntur morte, antequam possint habere usum rationis. Quibus manifestum est, quod in hac vita peccata venialia non dimittuntur, et tamen propterea non impediuntur perpetuo a vita aeterna, ad quam nullo modo perveniunt nisi omnino immunes ab omni culpa effecti; et ideo oportet dicere, quod venialia remittuntur iis post hanc vitam, etiam quantum ad culpam eo modo, quo remittuntur in hac vita, scilicet *per actum caritatis in Deum repugnantem venialibus* in hac vita commissis. Quia tamen post hanc vitam non est status

[1] De malo, q. 7, a. 11.

merendi, ille dilectionis motus tollit quidem impedimentum venialis culpae, non tamen meretur absolutionem vel diminutionem poenae sicut in hac vita».

Nota. Cum *pravi habitus* actibus contracti, quatenus sunt in voluntate, illa voluntatis retractatione auferantur, iidem habitus, quatenus sunt *in appetitu sensitivo*, auferuntur *morte*.

Iuxta hanc igitur sententiam animae in purgatorio detentae non solum sunt in statu gratiae, sed etiam prorsus immunes sunt omnis reatus culpae.

ARTICULUS III.

DE INDOLE POENARUM PURGATORII.

§ I. *De poena damni.*

I. Poena damni animarum purgatorii consistit in *temporali* privatione visionis beatificae aliorumque bonorum caelestium.

II. Eadem poena in animabus purgatorii ingentem producit *maestitiam*. Nam: 1. Bonum, quo ad tempus sunt privatae, tantum est, ut eius possessio per unam tantum horam habita pluris aestimanda sit, quam possessio omnium bonorum terrenorum etiam per totam vitam habita. 2. Animae illae: *a)* Hoc bonum clare, licet non intuitive, cognoscunt et vere atque ex aequo aestimant. — *b)* In hoc bonum desiderio vehementissimo feruntur. — *c)* Destitutae sunt bonis transitoriis, quae eas ab aeterno ac summo bono continenter cogitando et desiderando possunt deflectere. — *d)* Sciunt, considerant, se ipsas obiurgant, quod propria culpa ac negligentia et ob res vanas ac futiles factum sit, ut ad aeternam beatitudinem sibi destinatam nondum possint pervenire.

III. Ceterum poena damni animarum purgatorii *prorsus alia* est ac poena damni reproborum, ita ut cum hac nequaquam constituat unam speciem. Nam:

1. *Quantum ad Deum.* Illae animae, sicut clare cognoscunt Deum esse summum bonum, quod solum propter se sit diligendum et cum quo alia bona comparari non possint, ita eundem Deum *morali necessitate diligunt*, unde a Deo deficere et felicitatem in creaturis quaerere et ita peccare iis moraliter est impossibile.

Animas purgatorii impeccabiles esse patet ex eo, quod sunt extra statum probationis et earum sors aeterna iudicio particulari est definita. — A Leone X damnata est haec (39) thesis Lutheri: « Animae in purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quaerunt requiem et horrent poenas » (D. 663).

2. *Quantum ad poenam.* Eaedem animae:

a) Poenas suas, a quibus voluntate naturali abhorrent, voluntate rationali *libentissime amplectuntur* ac patientissime perferunt, semper ante oculos habentes eas a Deo diligente et dilecto irrogari et ad Deum ardenter desideratum possidendum praeparare.

b) Certo sciunt poenas suas *finem* habituras esse et se ipsas iis finitis aeternam salutem esse consecuturas, quae certitudo iis est dulcissimo solatio et maximo gaudio.

Animas purgatorii et eas quidem omnes certum habere se ad aeternam salutem perventuras esse et consequenter de eadem salute non esse sollicitas constat ex damnatione propositionis contrariae (38) Lutheri, ex oratione Ecclesiae, rationibus theologicis.

Propositio illa *Lutheri* est: « Animae in purgatorio non sunt securae de earum salute, saltem omnes; nec probatum est ullis aut rationibus aut Scripturis ipsas esse extra statum merendi aut augendae caritatis » (D. 662).

Ecclesia in canone Missae pro animabus purgatorii sic *orat:* « Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno *pacis* ». Sed si hae animae de salute sua essent incertae et sollicitae, somnus pacis de iis praedicari non posset.

Rationes theologicae hae potissimum sunt: Omnes illae animae iam subierunt *iudicium particulare;* sed hoc iudicium idcirco fit, ut ei, qui iudicatur, status suus et sors futura innotescant. Nam propter alios non fit iudicium particulare, sed universale; propter Deum autem, qui omnia novit, iudicium nullatenus fieri debet. Deinde num animae purgatorii insciae esse possunt, utrum *Deum oderint,* quod damnatorum est, an diligant, quod est electorum? Denique num anima corporis expers vehementia dolorum impediri potest, quominus cognoscat et ex aequo iudicet *se ipsam?*

« Oder sollte die leidende Kirche mit Geistesumnachtung geschlagen sein, eine Gesellschaft Geistesgestörter darstellen, die nicht wissen, wo sie sich befinden? Der Reinigungsort ist ein Gefängniss, nicht aber eine Irrenanstalt ». *Schneider* [1].

§ II. *De poena sensus.*

I. Ut theologi et populus Christianus communiter sentiunt, animabus purgatorii praeter poenam damni generatim susti-

[1] Das andere Leben, Aufl. 7, S. 592.

nenda est poena sensus, quae dicitur. Haec poena contraria est inordinatae affectioni, quam illae animae peccando habuerunt erga creaturas.

Dicitur: *generatim*, quia non est improbabile nonnullas animas habere poenam damni tantum.

II. Poenam sensus animarum purgatorii produci per *verum ignem* non est tam certum, quam certum est poenam sensus damnatorum per ignem verum produci. Nam quamvis in Concilio Florentino Graeci schismatici hoc admittere haud ambigue recusaverint, tamen non sunt impediti, quominus cum Ecclesia latina unirentur.

Si quaeritur, quam certum illud sit, non eodem modo theologi respondent.

1. *Suarez* [1] sententiam illud affirmantem vocat certam intra latitudinem opinionis theologicae; sententiam illud negantem dicit gravi censura non esse dignam; satis esse, si improbabilis habeatur. *Bellarminus* [2] sententiam priorem vocat communem theologorum et probabilissimam propter consensum scholasticorum, qui non possit nisi temere contemni.

Eandem sententiam non solum passim amplectuntur *scholastici* (etiam ss. Thomas et Bonaventura [3]), sed etiam *multo plures recentiores*.

2. Aliqui tamen recentiorum eam aut *reiiciunt* ignem purgatorii metaphorice intelligendo, ut *Moehler* et *Dieringer* [4], aut eam *in dubium saltem vocant*, ut *Klee* et *Schneider* [5].

De natura ignis purgatorii et modo, quo animas separatas torqueat, communiter idem tenetur, quod tenetur de natura etc. ignis gehennae.

Utrum poena sensus in aliquibus saltem animabus etiam ab *aliis* agentibus materialibus producatur, prorsus incertum est.

III. Animas purgatorii aut omnes aut aliquas saltem a *daemonibus* torqueri est *improbabile* et a longe plurimis theologis negatur. Nam, ut recte advertunt, eae omnes in terris diabolum superarunt et tempus luctae bene terminarunt, unde

---

[1] Disp. 46, sect. 2, n. 2.
[2] De purg. l. 2, c. 11.
[3] Brevil. p. 7, c. 2.
[4] Dogmatik, Aufl. 5, S. 731.
[5] Das andere Leben, S. 559.

non est conveniens eas post tempus luctae ab hoste superato vexari.

§ III. *De acerbitate poenarum purgatorii comparata cum acerbitate poenarum huius vitae.*

I. Indubitatum est poenas purgatorii esse gravissimas et *generatim* graviores quam poenas seu dolores huius vitae. Nam infliguntur a Deo, quia ac quatenus iustus est, et eo consilio, ut infinita sua iustitia et sanctitas, qua omne peccatum summo odio habet, manifestentur. Deus autem, sicut cetera sua attributa: omnipotentiam, immensitatem, sapientiam, bonitatem ac misericordiam grandissime manifestat, ita quoque sanctitatem suam et iustitiam non minus granditer manifestare censendus est.

Quid de gravitate poenarum purgatorii sentiant ss. *Aug.* et *Greg. M*, visum est supra in thesi. Cum iis consentiens dicit *Isid. Hisp.*[1]: « De illo purgatorio igne hoc animadvertendum est, quod omni, quem excogitare in praesenti potest homo, tormentorum modo et longior et acrior est ».

Sancti, quorum non pauci sibi vivis trucissimos dolores exoptavere, poenas purgatorii reformidarunt.

II. Quodsi quaeritur, num poena cuiusvis animae, etiam *minima*, acerbior sit, quam dolor acerbissimus huius vitae, alii, in his *s. Thomas*, simpliciter respondent *affirmative*, alii, in his *s. Bonaventura et Bellarminus* respondent *negative*, alii, ut *Pesch*, respondent *affirmative* quantum ad poenam *damni*, *negative* quantum ad poenam *sensus*. Ceterum comparatio inter poenam damni et dolores huius vitae, utpote inter res omnino dissimiles, vix fieri potest. Possibile autem est maestitiam poena damni in anima productam, quamvis per se spectata omnem huius vitae dolorem superet, solatio adiuncto adeo leniri, ut anima sit in meliore conditione, quam homo corpore et animo gravissime afflictus in hac vita nonnumquam est.

Scribit *s. Thomas*[2]: « In purgatorio erit duplex poena: una damni, in quantum sc. retardantur a divina visione; alia sensus, secundum quod ab igne corporali punientur; et *quantum ad utrumque* poena purgatorii *minima*

---

[1] De ord. creat. 14, 12.

[2] In 4, dist. 21, q. 1, a. 1, qcl. 5, sol. 3.

excedit maximam poenam huius vitae ». — Econtra dicit *s. Bonaventura* [1]: « Poena purgatorii gravior est omni temporali poena... Sane tamen hoc intelligendum, ut generaliter poena illa sit maior ista... *non* quia *minima* sit *maior maxima in hoc genere,* sed quia maxima in illo genere maior sit maxima in hoc genere ». — *Pesch* scribit [2]: « Incredibile videtur animam, quae macula unius verbi otiosi infecta sit, graviores poenas sensus subire debere, quam sint omnes poenae et omnia martyria huius vitae. Praeterea probabile est poenas sensus in purgatorio eo magis minui, quo magis anima purgata est (ita censet *Bellarminus* contra alios); ergo in fine non erunt maiores omnibus poenis huius vitae; et sic « potest poena aliqua huius vitae excedere in duratione, in gradibus intensionis, in multitudine poenarum seu dolorum » (*Suarez,* disp. 46, sect. 3, n. 7). — Sed si loquimur de poena damni, haec utique videtur in omni casu maior esse omni poena huius vitae propter ingentem amorem, quo animae in Deum feruntur, quamvis comparatio, utpote inter res nimis dissimiles, vix fieri possit ».

§ IV. *De duratione poenarum purgatorii.*

I. De duratione poenarum purgatorii *generatim* dicendum est eas ultra diem ultimi iudicii non esse duraturas. Id enim constat ex descriptione eiusdem iudicii ab ipso Christo facta iuxta quam *ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam* (Matth. **25**, **46**), et ex communi doctrina Ecclesiae ac ss. Patrum.

S. Augustinus e. g. scribit [3]: « Purgatorias poenas nullas futuras opinetur (Christianus) nisi ante illud ultimum tremendum iudicium ».

II. Quod attinet ad *singulas* animas:

1. Certum est earum poenas, sicut quoad acerbitatem, ita quoad durationem inter se *differre.*

Nam, ut recte advertit *s. Augustinus* [4], « quanta fuerit peccati materia, tanta erit transeundi (per purgatorium) mora ».

2. Aeque fere certum est poenas aliquot animarum per *longissimum* tempus posse durare.

Nam: *a)* Annuente Ecclesia *suffragia* pro defunctis fiunt per saecula, imo in perpetuum; et ab Alexandro VII damnata est propositio doctrinae contrariae innixa.

---

[1] Tom. 4, pag. 520.
[2] Tom. 9, n. 604.
[3] De civ. Dei l. 21, c. 16.
[4] Hom. 16. inter 50, n. 3.

Propositio est: Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos (D. 1014).

b) S. Augustinus oravit pro matre sua ~~tredecim~~ *viginti* annis ante ex vita egressa ab aliisque petiit [1], ut idem facerent.

Perperam igitur Dom. de Soto [2] et Maldonatus [3] sentiunt poenam purgatorii ultra decem annos numquam durare.

3. Quod animabus non satis multo *ante consummationem saeculi* in purgatorium missis ratione durationis deerit, supplebitur ratione acerbitatis.

4. Ii iusti, qui in fine mundi in terris vivent, emundabuntur perpessione multarum tribulationum, terrorum, persecutionum et, si incipiente conflagratione terrae nondum satis emundati sunt, etiam illo igne, quo terra cremabitur, ut merito colligitur ex 1. Cor. 3, 11-15.

S. Thomas dicit [4]: « Tres causae sunt, quare subito illi, qui vivi reperientur, purgari poterunt. Una est, quia pauca purganda in eis inveniuntur, cum terroribus et persecutionibus praecedentibus fuerint purgati. Secunda est, quia vivi etiam voluntarie sustinebunt poenam; poena autem in vita voluntarie suscepta multo plus purgat, quam poena post mortem inflicta, sicut patet in martyribus... Tertia est, quia calor ille recuperabit in intensione, quantum amittet in temporis abbreviatione.

§ V. *De loco purgatorii.*

S. Thomas dicit haec [5]: « De loco purgatorii non invenitur aliquid expresse determinatum in Scriptura, nec rationes possunt ad hoc efficaces induci. Tamen *probabiliter*, et secundum quod consonat magis Sanctorum dictis et revelationi factae multis, locus purgatorii est duplex. Unus secundum legem communem; et sic locus purgatorii est locus inferior, inferno coniunctus, ita quod idem ignis sit, qui damnatos cruciat in inferno, et qui iustos in purgatorio purgat, quamvis damnati, secundum quod sunt inferiores merito, et loco inferiores ordinandi sint. Alius est locus purgatorii secundum dispensationem,

---

[1] Conf. l. 9, c. 13.
[2] In 4, d. 19, q. 3. a. 2.
[3] De purg. q. 5.
[4] In 4, d. 47, q. 2, a. 3, qcl. 3, sol. 2 ad 5. — Item s. Bonav. tom. 4, pag. 980.
[5] In 4, d. 21, a. 1, qcl. 5, sol. 2.

et sic quandoque in diversis locis aliqui puniti leguntur, vel ad vivorum instructionem vel ad mortuorum subventionem, ut viventibus eorum poena innotescens per suffragia Ecclesiae mitigaretur ».

Gottfried a Graun scribit[1]: « Si quaeritur, ubinam sit purgatorium, certum quid statui haud potest... Sententia, quae est *communior*, dicit purgatorium esse intra viscera terrae, vicinum inferno ». — *Egger* audacius asserit[2]: « Iuxta *communem* sententiam est locus subterraneus, vicinus inferno, in quo tamquam in carcere includuntur animae purgandae. Id colligitur ex variis locis Scripturae (Gen. 37, 35. 1. Reg. 28, 13. Philipp. 2, 10 etc.), ex quibus constat praeter infernum alia esse loca subterranea, in quibus animae etiam perfecte purae veteris testamenti tamquam in carcere includebantur, unde multo magis poenalis erit ille carcer, in quo animae purgandae includuntur. Colligitur etiam ex orationibus Ecclesiae: « Libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni et de *profundo lacu* ». — *Oswald* econtra dicit[3]: » Dass das Fegefeuer örtlich genommen ein unterirdischer Raum, der Hölle zunächst gelegen, ja (nach einigen) mit ihr zusammenfallend ist, ist nichts weiter, als eine durch Gründe der Analogie und Plausibilität gestützte Meinung vieler Scholastiker ».

Nota. Trid. sess. 25 decret. de purg. haec habet: Apud rudem plebem *difficiliores ac subtiliores* quaestiones, quaeque ad aedificationem non faciunt et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. *Incerta* item vel quae specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant (episcopi). Ea vero, quae ad *curiositatem* quandam aut *superstitionem* spectant vel *turpe lucrum* sapiunt, tamquam scandala et fidelium offendicula prohibeant (D. 859).

Ad haec Tridentini verba haud immerito addit *Schneider*[4]: « Auch in Deutschland sind mehrere ‚Erbauungsbücher' *sehr verbreitet*, die infolge einseitiger und grobsinnlicher Deutung von Gesichten und Bildern etc. *halluzinierender* Seher und Seherinnen recht geschmacklose Schilderungen des Reinigungsortes enthalten und jedenfalls mehr den Vorwitz und den Aberglauben als die Erbauung zu fördern geeignet sind. Wer daran Anstoss nimmt, fehlt wahrlich nicht gegen die Kirchenlehre, die uns nur spärliche Aufschlüsse über den Zustand der zu läuternden Seele zu geben vermag.

Manche aber scheinen gerade aus dem Schweigen der Offenbarung und der Kirche für sich die Berechtigung herzuleiten, das unermessliche Reich

---

[1] Tom. 3, pag. 613.

[2] Enchirid. theol. spec. n. 685, 3, c.

[3] Eschatologie, Abschn. 1, Hauptst. 5, § 8, n. 5.

[4] Das andere Leben, S. 587.

des Ienseits als unbegrenzten Spielraum für ihr ruheloses Einbildungsvermögen in Anspruch rehmen zu dürfen, lassen es führerlos und nach freier Willkür dort umherschweifen und empfehlen die ohne Mitwirkung philosophischer und theologischer Denkarbeit erzeugten Vorstellungen einem neugierigen, leichtgläubigen und gern getäuschten Publikum als interessante Aufhellungen des Geheimnisvollen. Der Kirchenlehre wird durch solche Schilderungen, die weder in der h. Schrift noch in der Ueberlieferung noch in der Vernunft eine Stütze finden, der denkbar schlimmste Dienst erwiesen; sie gerät dadurch bei Un = und Schwachgläubigen in Misskredit».

De revelationibus privatis etc. idem auctor optimo iure praeter alia dicit haec[1]: «Man tut auch nicht gut daran, *allen* Gesichten, die uns im Leben *heiliger* Personen erzählt werden, ohne weiteres einen aussernatürlichen Charakter oder auch nur eine besondere Bedeutung beizulegen... Man darf vielmehr nicht übersehen, dass gerade zu solchen Personen, die sich gern und leicht in ihre Innerlichkeit versenken, dem beschaulichen Leben obliegen und sich Kasteiungen auferlegen, die Hallucinationen am leichtesten Zutritt finden, so dass Phantasmen als äussere Erscheinungen und rein innerlich erzeugte Klangbilder als Stimmen von aussen gedeutet werden. Manche Begebenheiten, die aus längst vergangenen Zeiten als aussernatürliche Vorkommnisse überliefert werden, können vor einer nüchternen Prüfung *nicht* mehr bestehen und würden, wenn sie in der Gegenwart geschähen, keinen Glauben finden. Der Umstand, dass sie einer ehrwürdigen Vergangenheit angehören und mit Personen in Verbindung gebracht werden, denen wir wegen ihres heiligmässigen Wandels alle Hochachtung schulden und zollen, verbietet uns nicht, sie auf ihre Tatsächlichkeit wie auf ihren Charakter mit den Mitteln zu prüfen, die die heutige Wissenschaft mit ihren verbesserten Methoden uns an die Hand gibt; sie dogmatisch zu verwerten, halten wir für unberechtigt und für nicht unbedenklich».

De limbo Patrum cf. tom. 1, pag. 381.

CAPUT VI.

De Caelo.

Praenotanda.

1. Caelum hic intelligitur status aut sedes beatorum. Beati intelliguntur creaturae spirituales et corporeo-spirituales, quae fruuntur aeterna beatitudine supernaturali. Beatitudo praeeunte *Boëthio*[2] definiri solet: status omnium bonorum congregatione

[1] Ib. pag. 590.

[2] De consol. philos. l. 3, pros. 2.

perfectus. Beatitudo (absolute) supernaturalis est ea, quae transscendit exigentias et vires omnium creaturarum (tam exsistentium quam possibilium). Continetur participatione ipsius beatitudinis increatae seu divinae.

Econtra beatitudo naturalis exigentias et vires creaturarum non transscendit; explet tamen omnes appetitus natura iis inditos.

Beatitudo supernaturalis, cum beatitudinem naturalem eminenter in se contineat, omnes appetitus creaturis natura inditos eminenter explet.

Ut beatitudo supernaturalis a creatura possit haberi, huic inserendae sunt vires, quibus ad eam fruendam reddatur habilis.

2. Beatitudo *distinguitur* obiectiva et formalis (subiectiva), essentialis et accidentalis (integralis). Beatitudo obiectiva essentialis consistit in eo bono, quod beatificat per se solum, quin alia bona ad id accedant necesse sit. Vocatur quoque summum bonum. In eo bona inferiora eminenter continentur. Beatitudo obiectiva accidentalis consistit in iis bonis, quae ad beatitudinem essentialem accedunt. Beatitudo formalis essentialis aut accidentalis consistit in illius boni aut horum bonorum possessione.

ARTICULUS I.

DE BEATITUDINE CAELESTI ESSENTIALI.

§. I. *De natura et exsistentia beatitudinis essentialis.*

1. Beatitudo essentialis *obiectiva* seu summum bonum creaturae rationalis *solus Deus* esse potest. Patet et ex parte summi boni beantis et ex parte creaturae beandae. Nam: *a)* Ut aliquod bonum per se solum possit beatificare, requiritur, ut omnia bona, quae creatura rationabiliter expetere potest, aut formaliter aut eminenter in se contineat. Sed eiusmodi bonum solus Deus est. — *b)* Angelus et anima humana sunt indefinitae capacitatis. Sed cuncta bona creata sunt finita. Ergo illis non plene sufficiunt. Vel, ut fere dicit s. Thomas,[1] obiectum voluntatis est bonum universale, sicut obiectum intellectus est verum universale. Ergo voluntas solo bono universali potest satiari. Sed bonum universale est solus Deus.

[1] 1, 2 q. 2, a. 8 in c.

Idem s. Doctor ostendit [1] beatitudinem non consistere in singulis bonis creatis, quae ab eo reducuntur ad tria genera: ad bona externa, ad quae pertinent divitiae, honor, fama, potestas; ad bona corporis, ad quae pertinent sanitas, robur, pulchritudo, corporalis voluptas; ad bona animae, ad quae pertinent scientiae et virtutes.

Non solum ratio dictat, sed etiam *Scriptura*, maxime totus liber Ecclesiastis, docet beatitudinem in rebus creatis inveniri non posse. In cuius libri principio (1, 2) et fine (12, 8) praedicatur: *Vanitas vanitatum,.... et omnia vanitas.* Econtra in Scriptura Deus exhibetur ut creaturae rationalis summum bonum. Sic legitur Ps. 72, 25-28: *Quid enim mihi est in caelo? et a te quid volui super terram? Defecit* (= Etsi deficiat) *caro mea et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum. Quia ecce, qui elongant se a te, peribunt.... mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.*

Idem docent ss. Patres, e. g. *s. Augustinus,* qui dicit [2] « Fecisti nos ad te, Domine, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. » Et [3] « Satis ostendis, quam magnam creaturam rationalem feceris, cui nullo modo sufficit ad beatam requiem, quidquid te minus est, ac per hoc nec ipsa sibi. » Et paulo post: « Hoc tantum scio, quia male mihi est praeter te, non solum extra me, sed et in me ipso; et omnis mihi copia, quae Deus non est, egestas est. »

« Praeterea in *catecheticis instructionibus* et populi christiani exhortationibus ab hac veritate tamquam principio et fundamento initium sumi solet. Et re vera in ea tota christiana doctrina de vita recte ordinanda innititur, eam tamquam certam supponit, sine ea corruit. « *Pesch.* [4] ».

2. Beatitudo essentialis obiectiva caelestium est Deus, non ut est obiectum cognitionis abstractivae, sed *ut est in se.*

3. Beatitudo essentialis *formalis* caelestium i. e. possessio Dei, quae, ut per se patet, pure spiritualis est, habetur *actibus intellectus et voluntatis*, sc. visione, amore, gaudio Hinc:

A. De visione beatifica.

THESIS. **Beati lumine gloriae elevati Deum vident, i. e. intuitive cognoscunt.**

Est *de fide* ex Conc. Florentino et ex Constitutione Benedicti XII « Benedictus Deus » et ex Conc. Viennensi.

Dicitur a *Conc. Flor.* in decreto unionis Graecorum: Illorumque animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam vel in suis cor-

---

[1] Ib. a. 1-8.
[2] Conf. l. 1, c. 1, n. 1.
[3] Ib. l. 13, c. 8.
[4] Tom. 3, n. 425.

poribus vel eisdem exutae corporibus..... sunt purgatae, in caelum mox recipi et *intueri clare Deum trinum et unum, sicuti est,* pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius (D. 588). Et in *Constitutione* « *Benedictus Deus* » a Benedicto XII anno 1336 edita dicitur: Vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione obiecti visi se habente, sed divina *essentia immediate se nude, clare et aperte* eis ostendente (D. 456). A *Conc. Vienn.* damnatus est error, « quod anima non indiget *lumine gloriae* ipsam elevante ad Deum videndum » (D. 403).

Opponitur aliquibus Graecis et Armenis, Palamitis (saec. 15), Rosmini (D. 1773-1775), qui omnes cognitionem Dei intuitivam veri nominis infitiati sunt; item Beguardis, qui animam ad Deum videndum lumine gloriae egere negarunt, etc.

Explicatur: 1. *Quantum ad ipsam visionem. a)* Beati Deum non cognoscunt abstractive, sive ratione sive fide, sed *intuitive;* non obscure et confuse, sed *clare et distincte.* Deus enim intellectum eorum, cui physice praesens est, per se ipsum ad sui cognitionem movet. Haec igitur cognitio fit sine medio et (ex quo) et (in quo et quo (specie intelligibili *impressa* i. e. similitudine obiecti cogniti, qua hoc obiectum intellectui praesens redditur).

Species autem intelligibilis *expressa* seu verbum mentis, si intelligitur ipsa intellectio perfecta, in visione beatifica, ut patet, habetur.

b) Beati Deum non cognoscunt nec cognoscere possunt *comprehensive* seu adaequate seu totaliter, quia repugnat ens infinitum ab ente finito adaequate ideoque infinite cognosci. Nihilominus vocari solent *comprehensores* = apprehensores iuxta illud 1 Cor. 9, 24: *Sic currite, ut comprehendatis* sc. bravium.

c) Ut intellectus creatus Deum intuitive cognoscere possit, supernaturaliter elevetur necesse est. Elevatur autem *lumine gloriae.* Quod quidem lumen non est solus exterior Dei concursus intellectui praestitus neque aliquod actuale tantum auxilium intellectum intrinsecus confortans neque ipsa persona divina vel Verbi vel Spiritus Sancti intellectum informans, ut voluit Thomassinus; sed est aliquid creatum, supernaturale, habituale, intellectui inhaerens seu est *supernaturalis habitus* intellectus. Eo intellectus creatus supernaturaliter ac permanenter assimilatur intellectui increato, ita ut Deum immediate seu intuitive possit cognoscere seu videre.

Est autem hic habitus *operativus* seu est in genere causae *efficientis*, quia una cum intellectu ad visionem beatificam eliciendam efficienter concurrit.

Non est, ut quidam putaverunt, in genere causae *materialis*, disponens intellectum ad visionem beatificam recipiendam.

2. *Quantum ad obiectum visionis (primarium).* Beati ut obiectum *essentiale* beatitudinis suae vident Deum ipsum, ut est *in se:* consequenter omnia divina attributa; tres divinas personas, quia Deus, ut est in se, trinus est; ideas divinas secundum esse earum *eminens*, quia sic sunt ipse Deus (non secundum formalem repraesentationem); actus Dei liberos *entitative* sumptos, quia sic sunt perfectio Dei essentialis (non terminative sumptos, i. e. prout ad diversa obiecta terminantur, quia sub hac ratione perfectioni divinae nihil addunt).

Cum beati visione beatifica praeter ipsum Deum etiam in Deo alia videant, quae pertinent ad beatitudinem accidentalem, Deus vocatur obiectum visionis beatificae *primarium*, illa alia vocantur eiusdem visionis obiectum secundarium, de quo infra.

Probatur: I. Ex Scriptura, in qua praedicatur beatos faciem Dei videre; eos non, sicut nos, Deum cognoscere per speculum, in aenigmate, ex parte, sed facie ad faciem, sicut nos a Deo cognoscimur, sicut Deus ipse est. Matth. 18, 10 Christus ipse dicit: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est.* Et Luc. 20, 36 Christus de beatis hominibus dicit: *Aequales angelis sunt.* — 1 Cor. 13, 12: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.* — 1. Io 3, 2: *Scimus, quoniam, cum apparuerit Deus, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.*

II. Ex Traditione. Docetur a ss. Patribus, praesertim *Irenaeo, Basilio, Chrysostomo, Augustino.*

Dicit *Iren.*[1]: «Hoc concedit (Deus) his, qui se diligunt, i. e. *videre* Deum, quod et prophetabant prophetae. Quoniam, quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Homo enim a se non videt Deum. Ille autem volens videbitur ab hominibus, a quibus vult et quemadmodum vult; potens enim

[1] Adv. haer. l. 4, c. 20, n. 5.

in omnibus est Deus... Videbitur autem in regno caelorum *paternaliter*... Patre incorruptelam donante in aeternam vitam, quae unicuique evenit ex eo, quod videat Deum ». — *Basil.*[1]: « Non est Dominus noster (Iesus Christus) secundum humanitatis considerationem ultimum desiderabile, sed neque angeli. Crassa enim est harum quoque rerum scientia in comparatione illius « facie ad faciem.... » (Solus Pater) ipse est finis et ultima beatitudo. Si enim Deum *non iam in speculis et per aliena* cognoscimus, sed ad ipsum ut solum et unum accedimus, tunc ultimum finem sciemus.... Dei enim Patris regnum est immateriale, et, ut ita quis dicat, *ipsius divinitatis visio.* » — *Chrysost.*[2]: « Si Petrus (in transfiguratione Christi) obscuram quandam videns futurorum imaginem omnia statim reiecit ab animo ob inditam ex tali visione voluptatem, quid dicetur, quando *ipsa rerum veritas aderit*, quando apertis aedibus regiis intueri licebit regem ipsum, non amplius in aenigmate neque per speculum, sed *facie ad faciem*, non amplius per fidem, sed *per speciem*»? — *Aug.*[3]: « Illa *visio Dei, qua contemplabimur* incommutabilem atque humanis oculis *invisibilem Dei substantiam*, quae solis sanctis promittitur..., sola est summum bonum nostrum, cuius adipiscendi causa praecipimur agere, quidquid recte agimus ».

Nota « Quodsi ss. Patres tum graeci tum latini satis multi *negare* videntur Dei essentiam a beatis in caelo videri, observanda sunt haec:

a) Nonnulli ss. Patres negant solam possibilitatem visionis *corporalis*, in quo loquendi modo sequuntur Origenem, qui dicit « ne ipsi quidem Unigenito visibilem esse naturam Dei, » sed statim rationem reddit, quia « videri et videre corporum res est[4] ». In hunc modum s. Aug.[5] explicat varia dicta ss. *Hieron.* et *Ambr.*

b) Alii Patres loquuntur de sola visione Dei *in hac vita*, ut *Greg. Nyss* (orat. 6 de beatit.).

c) Illi Patres, qui contra Eunomianos pugnant, supponunt eiusmodi adversarios, qui docent Deum a creatura ita posse videri, ut ipse se videat, i. e. posse perfecte *comprehendi*. Talem igitur visionem Patres reiiciunt; sed quia illa aetate termini visionis et comprehensionis nondum facti erant technici, interdum contra comprehensionem Dei ita loquuntur, ut visionem quoque videantur negare. Inter hos prae ceteris citari solet *Chrysost.*, qui in homiliis de incomprehensibili Dei natura (περὶ ἀκαταλήπτου) contra Anomoeos e. g. haec docet: « Ascendamus ad caelos; an forte quipiam ibi sint, qui, quid secundum substantiam sit Deus, norint.... Verum ut ex abundanti discas nullam ibi creatam virtutem id nosse, audiamus angelos...[6] ». Attamen, ut intelligamus, de qua cognitione vel visione loquatur, eam saepe vocat « perfectam comprehensionem », « cognitionem secundum totam perfectionem », « cognitionem talem, qualem Pater habet de Filio ». *Pesch.*[7].

---

[1] Ep. 8, n. 7.
[2] Ad Theod. laps. I, n. 11.
[3] De Trin. 1, 13.
[4] De princip. l. 1, c. 1, n. 8.
[5] Epist. 148 vel 111,
[6] Hom. 1, n. 6.
[7] Tom. 2, n. 70.

Scholion I. Quo tempore animae humanae ad visionem beatificam admittantur. Animae iustorum a corporibus separatae nulli culpae nullique poenae obnoxiae ad visionem beatificam *statim* admittuntur, id quod est definitum a Benedicto XII. in Constitutione « Benedictus Deus », in qua dicitur: « Hac in perpetuum valitura Constitutione auctoritate apostolica definimus, quod... animae sanctorum omnium... mox post mortem suam et purgationem praefatam in illis, qui purgatione huiusmodi indigebant, etiam *ante resumptionem suorum corporum* et iudicium generale post ascensionem Salvatoris nostri I. C. in caelum, fuerunt, sunt et erunt in caelo... ac post D. N. I. C. passionem et mortem viderunt et vident divinam essentiam visione intuitiva..., quodque, postquam inchoata fuerit... eadem visio et fruitio sine aliqua intercisione seu evacuatione... continuabitur usque ad finale iudicium et ex tunc usque in sempiternum » (D. 536). Cf. quoque decretum Conc. Florent. in thesi citatum, in quo asseritur animas purgatas in caelum *mox* recipi.

Illa Benedicti XII. constitutione damnata est sententia aliquot theologorum saec. 14. (praesertim ordinis fratrum minorum), qui putabant animas nulli culpae nullique poenae obnoxias admitti quidem in caelum, verumtamen ante resurrectionem corporum ibi non videre essentiam Dei, sed perfui tantum aspectu *Christi gloriosi*, ita tamen, ut per velamen humanitatis eiusdem Christi inebrientur torrente voluptatis profluentis ex infinita gloria divinitatis, quacum illa humanitas hypostatice est unita.

Scholion II. Quae circa intuitivam Dei visionem humana ratione cognosci possint et quae non possint. I. Ratione cognosci *potest:*

1. Visionem Dei intuitivam *nulli* intellectui creato (vel creabili) *naturaliter* esse possibilem. Nam: *a)* Omnis intellectus creatus, eo praecise quod est creatus, est ex essentia sua *potentialis;* Deus autem ex essentia sua est actus purissimus (in eo nulla est potentialitas). Sed naturalis cognitio cuiusvis intellectus est secundum modum ipsius intellectus. Ergo actus purissimus ab intellectu potentiali naturaliter cognosci potest solummodo secundum modum entis potentialis; ergo non secundum modum proprium, sed secundum modum analogum; ergo

non intuitive. — *b)* Facultas cognoscendi creaturae propria est *essentialiter diversa* a facultate cognoscendi Dei propria. Sed facultates cognoscendi, quae sunt essentialiter diversae, ideo essentialiter diversae sunt, quia earum obiectum formale est essentialiter diversum. Iam vero obiectum formale intellectus divini est divina essentia, ut est in se. Ergo eadem essentia, ut in se est, naturaliter non potest esse obiectum formale intellectus creati. — *c)* Supernaturalis *fides* non potest haberi viribus naturalibus. Sed illa fides ad visionem beatificam se habet ut imperfectum ad perfectum, ut initium ad terminum. Ergo neque visio beatifica naturalibus creaturae viribus haberi potest.

2. *Non repugnare,* quod intuitiva Dei cognitio intellectui creaturae *influxu Dei supernaturali* communicetur. Nam si hoc fit, principium totale ac sufficiens ad Deum videndum non est intellectus creaturae solus, sed creaturae intellectus et influxus Dei supernaturalis simul, idque ita, ut supernaturalis Dei influxus sit agens principale et intellectus creatus non agat nisi secundum potentiam obedientialem.

Idem sic quoque exprimi solet: Intuitivam Dei cognitionem intellectui creato *influxu Dei supernaturali* communicari posse *negative* cognosci ac probari potest.

II. Ratione ex principiis naturalibus *positive* cognosci probarique *non* potest visionem beatificam intellectui creato esse *possibilem.*

« Nam: 1. Si posset positive probari, post tot tantorumque virorum diligens studium *inventa esset* probatio; atqui summi theologi concedunt hactenus nullam rationem inventam esse, quae hoc sufficienter evincat..... 2. Visio beatifica est *ultra debitum naturae.* Atqui si posset positive a nobis apprehendi ut possibilis, non esset ultra debitum naturae. Nam quod intellectus naturaliter apprehendit ut summum bonum suum, hoc voluntas naturaliter et ut sibi debitum appetit. Facultas enim appetitiva tam late extenditur, quam facultas apprehensiva. » *Pesch* [1].

Visio beatifica est igitur mysterium stricte dictum.

---

[1] Tom. 2, n. 82 et 83.

Ratione cognosci non posse visionem beatificam comprehensoribus reapse *concedi* per se patet.

B. De amore beatifico.

THESIS. **Beati Deum amore amicitiae diligunt; et hic quoque amor ad beatitudinem essentialem formalem requiritur.**

Probatur I. pars: I. Ex Scriptura, in qua asseritur caritatem prorsus numquam, ergo neque in altera vita habituram esse finem.

1. Cor. 13, 8: *Caritas numquam excidit (= cessat), sive prophetiae evacuabuntur sive linguae cesssabunt sive scientia destruetur.*

II. Ratione. Impossibile est creaturam, quae summum bonum clare intuetur, hoc non propter id ipsum amare.

Probatur II pars ratione: Creatura, quae non solum intellectu sed etiam voluntate praedita est, non est perfecte beata, nisi etiam voluntas eius cum summo bono perfecte coniungitur. Sed voluntas cum summo bono perfecte non coniungitur, nisi hoc bonum amore amicitiae diligit.

Scholion. Necessitas, qua amor beatificus ex visione beatifica fluit, secundum opinionem omnium fere theologorum est *physica*, quae comparari potest cum ea, qua ex igne applicato materiae igni concipiendo aptae incendium oritur. A creatura igitur visione beatifica fruente non potest vinci. A Deo autem, si eius sola potentia spectatur, vinci potest, idque concursum suum beato ad amorem eliciendum necessarium denegando. Eum tamen denegari non congruit cum divina sapientia, et, si denegaretur, voluntas beati ex parte intellectus ita esset determinata, ut, si in actum transiret, non posset transire nisi in actum, quo Deum super omnia diligeret.

C. De gaudio beatifico.

THESIS. **Beati Deo gaudent, quod quoque gaudium ad beatitudinem essentialem formalem requiritur.**

Explicatur: Hoc gaudium beatorum consistit in quadam spirituali dulcedine ac quietatione, quae ex eorum amore erga summum bonum habito et ex huius boni amati praesentia necessario oritur.

Probatur I. pars: I. Ex Scriptura. Matth. 25, 21: *Euge serve bone et fidelis,.... intra in gaudium Domini tui;* i. e:

« Gaudium, quo herus fruitur, tibi communicabitur; eiusdem eris socius et particeps..... Illud gaudium autem tam magnum est, ut non possit concludi in homine; et ideo homo intrat in gaudium illud incomprehensibile, et non intrat gaudium illud in hominem velut comprehensum ab homine *(Caiet.)* ». *Knabenbauer*[1]. Nequit igitur gaudium illud intelligi gaudium beatorum mere accidentale, sed certe primario intelligendum est gaudium eorum essentiale, illud sc., quod est de ipso Deo.

II. Ex Traditione et mente Ecclesiae, e. g. ex verbis s. Augustini et Benedicti XII.

Dicit s. *Aug.*[2]: « Nemo beatus est, qui eo, quod amat, non fruitur; nam et hi, qui res non amandas amant, non se amando beatos putant, sed fruendo. Quisquis ergo fruitur eo, quod amat verumque et summum bonum amat, quis eum beatum nisi miserrimus negat » ? — Et *Bened. XII* in Constitutione « Benedictus Deus » : Beati « divina essentia *perfruuntur,* necnon.... ex tali visione et *fruitione* eorum animae, qui iam decesserunt, sunt vere beatae et habent vitam et requiem aeternam » (D. 456).

Probatur II. pars ratione. Beatitudo caelestis perfecte satiat beatorum appetitum; sed hic haudquaquam satiaretur, si illi eo bono, quod vident et amant, non delectarentur.

Scholion. Quaeri potest, quis horum trium actuum (sc. visionis, amoris, gaudii) constituat beatitudinis illius essentiam *metaphysicam.* i. e. quis eorum sit illud, quo eadem beatitudo in ratione beatitudinis *primo* constituatur et unde cetera, quae ad ipsam etiam requiruntur, emanent. Ad quod quaesitum *plerique cum s. Thoma* respondent eum actum esse beatificam *visionem,* cum Deus per hanc visionem prius apprehendatur, quam per amorem ac gaudium, et cum eadem visio sit amoris ac delectationis radix.

Contra quod profertur, quod visio beatifica radix amoris vocari non potest nisi sensu latissimo et improprio.

« Nam licet hic amor beatificus supponat visionem beatificam per modum conditionis sine qua non, tamen non fluit ex ea: neque ut proprietas ex essentia, neque ut facultas ex natura, neque ut actus ex potentia. Cum enim amor Dei sit actus et numero et specie distinctus a visione Dei, sane proprium postulat principium, videl. voluntatem habitu caritatis instructam. « *Tepe*[3] ».

---

[1] In Matth. II, pag. 371.

[2] De civ. Dei, l. 8, c. 8.

[3] Tom. 4 n. 844.

Unde alii, in his *Suarez* [1] et *Gregorius de Valentia* [2], essentiae *metaphysicae* beatitudinis *mentionem haud facientes* simpliciter dicunt aeternam beatitudinem essentialiter consistere aequabiliter *in visione et amore* (non in gaudio, quia gaudium visionem et amorem supponit). Iuxta hos igitur theologos visio beatifica et amor beatificus sunt ad instar duorum brachiorum, quibus beati Deum complectuntur.

Imo *Scotistae* docent eandem beatitudinem *principalius* consistere in amore, qui ab iis non raro vocatur fruitio.

Mastrius e. g. scribit [3]: « Dicendum est beatitudinem in utroque actu intellectus et voluntatis essentialiter consistere, scilicet visione et fruitione, quas habent intellectus et voluntas in patria respectu obiecti beatifici, principalius tamen in fruitione, quam in visione ». Et *Dupasquier* [4]: « Beatitudo formalis consistit in operatione intellectus et voluntatis, sed principalius in fruitione, quae est operatio voluntatis ».

Rationem afferunt (Scotistae), quod caritas est *nobilissimus* actus hominis; quare minus malum est carere omni alia re quam carere caritate. Praeterea sola caritate *perfecte iungimur* cum Deo vinculo amicitiae, dum cognitione Deus solum intentionaliter nobis praesens fit, id quod multo minus est. Tandem beatitudo est *consecutio* summi boni et ultimi finis. Finis autem et bonum pertinent ad voluntatem; ergo etiam consecutio eius.

Sed obstat, quod amor per se abstrahit a bono habito vel non habito. Ideo caritas, qua beati in caelo Deum amant, quatenus nude secundum se seu secundum definitionem spectatur, *eadem* est, qua *in terra* dilexerunt. Ergo, si amor qua talis bearet, etiam beatos redderet iustos in hac vita, quod pugnat cum factis. Verum quidem est amorem *in patria* esse *incomparabiliter excellentiorem* quam in via, ita ut etiam specie differre dici possit. Sed hoc eo venit, quod amor in patria versatur circa obiectum *clare propositum et perfecte possessum,* non eo, quod interna natura amoris mutetur et per amorem patriae obiectum formaliter possideatur (cf. *s. Thom.* 1, 2, q. 67, a. 6 ad 2 et 3). Quia igitur amor ex se non est causa praesentiae et possessionis obiecti amati, minus verum est amorem per se constituere essentiam beatitudinis, cum alia operatio necessaria sit, qua Deus possideatur. Ergo dicendus non est amor esse essentia beatitudinis.

Immo si agitur de amore *benevolentiae qua tali,* hic amor *solius amati bonum spectat,* et ita per eum amans omnino *non possidet* bonum suum. Per amorem enim aliquis non tam possidet quam possidetur.

Multa quidem hic *disputant Scotistae de excellentia voluntatis prae intellectu.* Sed imprimis non quaeritur, utra facultas sit nobilior, sed utra sit talis, ut per eam *formaliter* Deus *possideri* possit. Porro *sub multiplici re-*

---

[1] Disp. 7, sect. 1.
[2] Disp. 1, q. 3. p. 4
[3] In. 1, sent. disp. 6, q. 12, a. 1.
[4] Tom. 3, tract. 5, quaest. 5, concl. 3

spectu intellectus est nobilior voluntate; est enim radix vitae spiritualis, efficit sua amplitudine et indifferentia, ut voluntas sit libera, praeit voluntati eam illustrando et dirigendo et actui eius speciem tribuit, omnia obiecta in se intelligibiliter producit eaque voluntati proponit, ita ut voluntas nullum bonum habeat nisi per intellectum.

Hoc quoque modo voluntas tendit in bonum et finem, non quasi ipsa possit per se finem attingere et possidere, sed quatenus suo pondere impellit alias facultates, ut ipsae bonum apprehendant.

In hac quidem vita *caritas est perfectior fide,* quia caritas amat Deum, ut est in se, intellectus vero non apprehendit Deum, ut est in se, sed secundum conceptus tantum analogos. *Visio autem est perfectior actus quam caritas,* in quantum perfectio *hominis beati* respicitur, licet perfectior dici possit caritas, in quantum sermo est de gloria Dei externa, quia maius quid est secundum aestimationem moralem amari quam cognosci.

Quamvis igitur communiter theologi concedant beatitudinem sine amore amicitiae neque esse neque concipi posse, tamen actus, quo formaliter Deus possidetur a beatis, non est amor. Aliis verbis: Deus, ut est summum bonum, est quidem ratio formalis quae beatificans, non vero ratio formalis sub qua beatificans ». *Pesch* [1].

De sent. *s. Bonav.* et *Richardi a Med.* cf. opera s. Bonav. tom. 4, pag. 1007, Scholion, et pag. 1009.

§ II. *De indefectibilitate beatitudinis essentialis.*

Beatitudo essentialis est indefectibilis. Nam si deficere posset, non esset beatitudo vera. Est autem indefectibilis, et quia beati non possunt peccare ac peccando se ea indignos reddere, et quia Deus eam numquam aufert, sed in aeternum conservat. Hinc:

A. De impeccabilitate beatorum.

THESIS. **Beati sunt impeccabiles.**

Est *de fide* ex ordinario magisterio Ecclesiae etc.

Origenes docuisse dicitur angelos beatos in suis ministeriis peccata negligentiae committere posse. Ab aliquibus tamen de hoc errore purgatur.

Explicatur: Sensus thesis est: 1. Beati numquam peccabunt. 2. Habent quidem, cum sint creaturae rationales ac liberae, peccandi potentiam; sed impossibile est hanc potentiam, quam diu visio beatifica durat, transire in actum.

---

[1] Tom. 3, n. 446-448.

Probatur ex Scriptura beatos numquam peccare. Apoc. 22, 3 de caelo dicitur: *Et omne maledictum* (κατάθεμα = κατανάθεμα) *non erit amplius.* Sed peccatum est maledictum, i. e. maledictione dignum. — Apoc. 21, 27. — 1. Petr. 1, 3. 4.

Non obstat Iob. 4, 18: *In angelis suis reperit pravitatem* (Septuag: σκολιόν τι ἐπενόησε). Nam haec verba intelligi possunt et debent de angelis nondum beatis, sed in conditione probationis constitutis, in qua multi sunt lapsi. Verum etiamsi ita intelligi non possent, non obessent, quia prolata sunt ab Eliphaz, qui iuxta Iob. 42, 7 non semper locutus est *rectum* (Septuag: ἀληθές).

Probatur ratione theologica beatos peccare non posse. Voluntas cuiuslibet creaturae rationalis necessario diligit bonum (in communi acceptum). Ergo, si eius intellectus clare apprehendit aliquod ens ut bonum purum et summum, i. e. ut bonum, cui nullum sub ullo respectu admixtum est malum et quod solum propter se est diligendum ac propter quod alia omnia diligenda sunt, voluntas eius hoc ens necessario super omnia diligit. Sed intellectus cuiusvis beati per lumen gloriae Deum ut eiusmodi bonum clare apprehendit. Ergo voluntas cuiusvis beati Deum necessario super omnia diligit. Ergo nullus beatus ullo modo potest peccare.

Confirmatur: « Bonitas Dei potentior est ad movendam voluntatem beati, quam bonum in communi ad movendam voluntatem viatoris, quia 1. bonitas Dei *est infinita;* bonum in communi abstrahit a finito et infinito; 2. bonitas Dei *clare et intuitive videtur* a beato; bonum in communi obscure et abstractive cognoscitur a viatore; 3. bonitas Dei *continet in se eminenter omnia alia bona particularia;* bonum in commuui non continet illa eminenter, sed tantum imperfecte, sicut genus continet speciem. Hinc sequitur 4. omnia alia bona particularia *perfectiore modo* esse in Deo *quam in se ipsis,* at imperfectiore modo in ratione boni communis quam in se ipsis. Nunc ita concludo: Bonitas Dei multis modis potentior et efficacior est ad movendam voluntatem beati, quam bonum in communi ad movendam voluntatem viatoris, ut explicatum est. Ergo, si bonum in communi potest efficere, ut viator nihil appetat nisi in ordine ad bonum in communi, multo magis bonitas Dei potest efficere, ut beatus nihil appetat nisi in ordine ad Deum, ac proinde ut numquam peccet. Hoc autem efficit bonitas Dei, quatenus per visionem beatificam clare et intuitive cognoscitur. Ergo visio beatifica reddit beatum impeccabilem ». *Becanus* [1].

---

[1] Summa theol. schol. p. 2, tr. 1, c. 1, q. 9, n. 6.

Scholion. Cum beati in amorem Dei clare visi adeo rapiantur, ut ei in omnibus velint placere, iis moraliter videtur esse impossibile ea, quae Deo minus placent, praeferre iis, quae Deo *magis placere* evidenter intelligunt.

B. De aeternitate beatitudinis essentialis.

THESIS. **Beatitudo essentialis est aeterna.**

Est *de fide* ex verbis symboli apostolici: Credo... vitam aeternam, et ex Lat. IV. Cap. Firmiter (D. 356).

Explicatur: Dicitur in thesi beatitudinem *essentialem* aeternam esse, quia gaudia a beatis de bonis creatis habita, quae constituunt beatitudinem accidentalem, non omnia aeterna sunt.

Probatur: I. Ex Scriptura, in qua:

1. *Beatitudo caelestis vocatur* vita aeterna (in novo testam. ter et quadragies, e. g. Matth. 19, 29. Marc. 10, 30. Io. 4, 14. 36.), salus aeterna (Hebr. 5, 9), gloria aeterna (1. Petr. 5, 10), immarcescibilis gloriae corona (1. Petr. 5, 4), aeternum gloriae pondus (2. Cor. 4, 17), regnum aeternum (2. Pet. 1, 11), hereditas aeterna (Heb. 9, 15), hereditas incorruptibilis et immarcescibilis (1. Petr. 1, 4).

2. *De iis, qui salvantur, haec praedicantur:* In perpetuum vivent (Sap. 5, 16), vivent in aeternum (Io. 6, 52, 59), manent in aeternum (1. Io. 2, 17), semper cum Domino erunt (1. Thess. 4, 16), non morientur vel mortem non videbunt in aeternum (Io. 11, 26; 8, 51), non peribunt in aeternum (Io. 10, 28), non sitient in aeternum (Io. 4, 13).

II. Ratione. Si beatitudo essentialis non esset aeterna, non esset vera beatitudo. Nam nec satiaret appetitum creaturae rationalis atque immortalis ideoque beatitudinis aeternae capacis et appetentis, nec excluderet omne malum, sc. eius amissionem.

Scholion. 1. Beatitudo caelestis essentialis iuxta omnes fere theologos aeterna est sua *natura*, non solummodo ex providentia divina. « Ratio est, quia nulla elementa seu semina corruptionis in se continet, ut patet ex ipsis principiis, quae ad eam concurrunt. Nam huiusmodi semina non inveniuntur in ipsa *anima rationali*, siquidem haec est natura sua immortalis; neque in *lumine gloriae et habitu caritatis*, quia haec dona supernaturalia eo ipso, quod sunt habitualia, habent

esse de se permanens; neque in *essentia divina*, quae est suo modo et principium et obiectum visionis et amoris beatorum; nam essentia divina habet esse absolute incorruptibile. Nec dici potest huiusmodi semen inveniri in ipsa *instabilitate voluntatis creatae*, quia haec instabilitas non manet in beatis, qui Deo ut fini ultimo necessario adhaerent, consequenter propria voluntate beatitudinem deserere nequeunt.

Fatemur tamen posse Deum de potentia absoluta beatitudinem destruere; at negamus hoc eius internae incorruptibilitati officere, quia ad internam incorruptibilitatem alicuius rei non requiritur, ut Deus de potentia absoluta eam destruere non possit, sed sufficit, ut de *potentia ordinaria* id non possit. Sic angelus est natura sua incorruptibilis, licet Deus de potentia absoluta eum annihilare possit » *(Tepe* [1]*)*. Deus autem caelestem beatitudinem potentia ordinaria destruere non potest, quia, postquam eam aeternam libere constituit, sapientiae suae debet eam in aeternum conservare.

2. Aeternitas beatitudinis suae iuxta omnium theologorum doctrinam a beatis semper *certo cognoscitur*. Secus enim per eam non excluderetur omnis anxietas nec satiaretur omne rationabile desiderium, unde nec beatitudo formalis esset vera beatitudo.

ARTICULUS II.

DE BEATITUDINE CAELESTI ACCIDENTALI SPIRITUUM.

Hic solummodo agitur de beatitudine accidentali, quae spiritibus i. e. angelis et animabus separatis competit. De beatitudine accidentali, quae post resurrectionem mortuorum impertietur hominum corporibus, infra disseretur.

1. Comprehensores praeter beatitudinem essentialem fruuntur beatitudine accidentali. Quod *a)* docetur ab ipso *Christo* dicente Luc. 15, 10: *Gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente; — b)* suadetur *ratione*. Nam et beati accidentalis beatitudinis sunt capaces et Deus ex infinita sua bonitate propensus est ad iis concedenda omnia bona, quorum sunt capaces.

---

[1] Tom. 4, n. 868.

2. Beatitudo accidentalis distinguitur duplex: omnium beatorum communis et aliquorum propria. Hinc:

§ I. *De beatitudine accidentali omnium communi.*

Beatitudo accidentalis obiectiva omnium communis complectitur obiectum secundarium visionis beatificae et alia bona. Unde:

A. De obiecto secundario visionis beatificae.

I. Obiectum secundarium visionis beatificae sunt eae *creaturae* tam possibiles quam reales, quas beati mediante lumine gloriae in Deo vident.

II. *Fieri posse,* ut beati in Deo non solum multa possibilia (non omnia), sed etiam realia in aliqua temporis differentia exsistentia (praesentia, praeterita, futura) videant, manifestum est. Nam:

1. *In essentia divina* ut in medio omnia, quae praeter Deum sunt et esse possunt, secundum suum esse formale sunt cognoscibilia et a Deo cognoscuntur. Ergo si intellectus creatus supernaturaliter ita elevari potest, ut videat essentiam divinam, ut ipsa est in se, etiam ita potest elevari, ut essentiam divinam videat, in quantum in ea alia secundum suum esse formale sunt cognoscibilia (*non* tamen, ut in ea *omnia* sunt cognoscibilia, quia repugnat intellectum creatum ita elevari, ut intellectui increato sit aequalis).

2. Beati per lumen gloriae clare vident divinam essentiam. Atqui divina essentia realiter est idem ac divina *omniscientia.* Ergo beati per lumen gloriae clare vident divinam omniscientiam. Ergo etiam pro perfectione luminis gloriae clare possunt videre plura vel pauciora divinae omniscientiae obiecta.

III. Secundum communem theologorum sententiam quivis comprehensor in essentia divina eas creaturas eosque eventus videt, quae *ad eum spectant.*

Hoc axioma etiam sic solet exprimi: Quivis comprehensor in essentia divina videt ea, quae cognoscere eum decet vel eius interest vel ei est optatum etc.

Ratio est, quia ad perfectam beatitudinem pertinet omnibus optatis aequis et honestis responderi. Sed omnibus com-

prehensoribus in optatis est ea cognoscere, quae ad ipsos spectant, idque optare aequum est et honestum.

Quaenam illa sint, non potest ad amussim determinari. Communiter censentur esse:

1. *Alii beati.* Omnes enim beati perfectam societatem constituunt, cuius membra inter se novisse decet. In Deo quoque inter se diligunt.

2. *Mysteria fidei* (e. g. incarnationis), quae in statu viae crediderunt. Nam omnino decet comprehensoribus ea omnia clare manifestari in Verbo, quae viatoribus obscure revelata erant per fidem.

3. *Mundus corporeus* quoad « omnium rerum genera et species et virtutes et totum ordinem », ut dicit s. Thomas [1]. Nam creatura rationalis, quae sub aliquo respectu est pars universitatis mundi, habet naturalem appetitum haec omnia cognoscendi, id quod eo apparet, quod studium hominum circa ea omnia versatur.

4. Ea, quae a creaturis liberis ad beatos diriguntur, speciatim *cultus,* qui iis tribuitur, et *preces,* quae iis fiunt.

5. Ea hominum *gesta,* quae scire beatorum interest ratione *munerum,* quibus hac in vita sunt functi, etc. Haec autem non sunt omnes illae res parvae, quas in hac vita homines curiosi scire cupiunt, sed ea, quae Deo afferunt honorem atque hominibus salutem, et similia.

B. De aliis ad beatitudinem accidentalem spectantibus.

I. Beati ex iis, quae in statu viae possederunt, *retinent:*

1. *Habitus supernaturales praeter fidem et spem,* sc. gratiam sanctificantem atque caritatem, virtutes morales ac dona Spiritus Sancti (supposita sententia probabiliore, quae tenet haec una cum gratia sanctificante infundi). Probatur per partes:

a) Fides in conceptu suo includit *obscuritatem;* sed cognitio obscura statui beato non convenit. Inde etiam fit, ut, si comprehensoribus praeter ea, quae in Deo vident, aliquid reveletur, id ita reveletur, ut ab iis non obscure apprehendatur, sed clare videatur.

---

[1] Contra gent. l. 3, c. 59, n. 1.

b) Obiectum primarium spei, sc. *Deus*, ab omnibus beatis *possidetur*. — Futura *glorificatio corporum* ab animabus separatis appetitur quidem, sed, cum illa glorificatio iis *nullatenus* sit *bonum arduum*, haec appetitio videtur provenire ex habitu caritatis, quo inclinantur ad se ipsos propter Deum diligendos et ad bonum proprium appetendum. — Amor, quo diligunt *Deum* ut summum bonum *suum*, qui in terra et in purgatorio, ubi adiunctam habet rationem ardui, ad spem pertinet, in caelo videtur pertinere ad habitum *caritatis*. Nam « non potest quis amare alium perfecto amore amicitiae, quin conformetur eius voluntati, quatenus licet et decet. Ergo cum in Deo detur voluntas de omni utilitate beati, necesse est istum ex vi amoris amicitiae erga Deum indivisim velle omnem suam utilitatem. Constat igitur beatum eodem actu velle bonitatem divinam, quatenus est bona Deo et quatenus est bona sibi ». *Esparza* [1].

c) De caritate legitur 1. Cor. 13, 8: *Caritas numquam excidit*. Cuius ratio obvia est. — Virtutes morales infusae et dona Spiritus Sancti beatis non sunt inutiles. His enim habitibus facultates naturales beatorum *perficiuntur*, et beati possunt saltem ob excellentiam uniuscuiusque eorum propriam *gaudere* se iis esse praeditos seque in statu viae actus eorum elicuisse.

2. *Species earum rerum* (etiam rerum fidei), *quas in vita mortali sibi acquisiverunt*, ita ut omnia meminerint, quae tunc cognoverunt.

Sed quamvis meminerint se haec et haec olim fide cognovisse, tamen ipsa scientia fidei in iis non manet. Nam cum res, quas olim fide cognoverunt, ab iis iam in Deo clare videantur, obscuritate recedente formalis ratio assentiendi est mutata.

II. Ad haec, ut communiter fere tenetur, accipiunt *scientiam infusam*. Qua quidem scientia res creatas cognoscunt non in Deo, sed in iis ipsis seu in proprio genere. Ratio, quae affertur, est, quia res creatae in hunc modum sunt cognoscibiles, quapropter cum statu perfectissimo beatorum conveniens est eos cognitione huic cognoscibilitati respondente non carere.

Conclusio. Consequenter iis, quae de beatis sunt dicta: 1. *Vacui sunt ab omni ignorantia privativa* (i. e. carentia

[1] De act. hum. q. 4. a. 5.

cognitionis statui suo convenientis), multo magis ab omni *errore* sive culpabili sive inculpabili. Vacui quoque sunt ab omni *tristitia*. Peccata a se et ab aliis commissa oderunt quidem ac detestantur, sed dolorem ex iis non magis accipiunt, quam Deus. Neque se tradunt tristitiae ob reprobationem propinquorum vel amicorum sibi cognitam, quia nihil diligunt nisi in Deo et propter Deum. 2. *Quaecunque sibi exoptant, iis fruuntur*. Nam nec possunt quidquam irrationabiliter vel inordinate sibi exoptare et, ni ita esset, beatitudo eorum esset manca, consequenter non vera.

Bona sibi futura, e. g. glorificationem corporum, eo tantum tempore obtinere cupiunt, quod a Deo est statutum. Bona possibilia aliorum, e. g. salutem aliorum hominum, etiam propinquorum, non desiderant nisi super omnia optantes, ut circa eos fiat voluntas Dei consequens et absoluta.

Scholion. De dotibus animae beatae. Lumen gloriae vel *visio, comprehensio* i. e. assecutio vel retentio, *fruitio* vocari solent dotes animae beatae, quae Verbo incarnato unita est matrimonio spirituali plane indissolubili (2. Cor. 11, 2. Eph. 5, 32). Quae quidem dotes respondent tribus virtutibus theologicis, quibus in statu viae ornata erat anima eidem Verbo spirituali matrimonio nondum plane indissolubili unita, et removent imperfectiones earum proprias, sc. fidei obscuritatem, spei timorem, caritatis anxietatem quaerentis (vermissend) amati perceptibilem praesentiam.

« Quamvis eadem dona secundum rem sint etiam in anima Christi et in angelis, non tamen ibi nomen dotis iis applicatur, quia dos pertinet ad sponsam, in quantum haec relationem habet ad sponsum. Anima autem *Christi non* init spirituale matrimonium cum Verbo, cum matrimonium sit inter *personas distinctas; neque angeli* sunt sponsae Christi, cum matrimonium sit inter personas *eiusdem naturae*. Quare de solis hominibus scriptum est: *Vidi sanctam civitatem... paratam, sicut sponsam ornatam viro suo* (Apoc. 21, 2. Cf. 19, 7 et Io. 3, 29). Nihilominus sunt theologi, qui etiam in angelis dotes admittunt, ut Suarez ». *Pesch*[1].

§ II. *De beatitudine accidentali aliquorum propria.*

I. Beatitudo accidentalis aliquorum propria imprimis ea est, quae vocari solet aureola i. e. corona aurea minor. Con-

[1] Tom. 3, n. 453.

sistit in speciali *gaudio et honore*, quibus in caelo fruuntur eae animae, quae in terris *eximiam quandam victoriam* ex hostibus animarum salutis retulerunt.

Vocatur *corona (aurea)*, quia haec est signum victoriae, unde etiam in Scriptura beatitudo caelestis corona vocari solet (1. Cor. 9, 25. 2. Tim. 4, 8. Iac. 1, 12. 1. Petr. 5, 4. Apoc. 2, 10; 13. 11). Vocatur *minor* comparata ad praemium essentiale, quod vocari potest corona (aurea) maior.

Ceterum hic modus loquendi videtur esse desumptus ex Exod. 25, 25, ubi in labio (margine) mensae propositionis fieri iubetur corona et super illam altera corona aureola.

II. Aureola distinguitur triplex: *martyrum*, *virginum*, *doctorum* i. e. eorum, qui verbum Dei legitime docuerunt. Est triplex aureola, quia triplex est spiritualis pugna; et triplex pugna est, quia est *triplex salutis animarum hostis:* mundus, caro, diabolus. In pugna committenda cum mundo ii homines victoriam eximiam adipiscuntur, qui ne cruciatibus lethalibus quidem a mundo sibi illatis a christiana veritate et virtute possunt dimoveri. In pugna ineunda cum carne illi victoriam eximiam consequuntur, qui a delectationibus venereis per totam vitam prorsus abstinent. In pugna pugnanda contra diabolum ii eximia victoria potiuntur, qui verbum Dei docendo errores dispellunt, quorum pater est diabolus (Io. 8, 44), et ita hunc (non solum a se, sed) etiam ab aliis aut abigunt aut arcent.

« Quidam vero distinguunt tres aureolas secundum *tres vires animae*, ut dicantur tres aureolae respondere potissimis trium virium animae actibus. Potissimus enim actus potentiae rationalis est veritatem fidei etiam in aliis diffundere; et huic actui debetur doctorum aureola. Irascibilis vero actus potissimus est etiam mortem propter Christum superare; et huic debetur aureola martyrum. Concupiscibilis vero actus potissimus est a delectabilibus carnis maximis abstinere penitus; et huic debetur aureola virginum.

Alii vero aureolas tres distinguunt secundum ea, quibus *Christo nobilissime conformamur*. Ipse enim mediator fuit inter Patrem et mundum. Fuit ergo doctor, secundum quod veritatem, quam a Patre acceperat, mundo manifestavit. Fuit autem martyr, secundum quod a mundo persecutionem sustinuit. Fuit vero virgo, in quantum puritatem in se ipso servavit. Et ideo doctores, martyres, virgines ei perfectissime conformantur ». *S. Thomas*[1].

De martyribus legitur Apoc. 7, 13 sqq.: *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt et unde venerunt?... Hi sunt, qui*

[1] Complem. q. 99, a. 11, in c.

venerunt de tribulatione magna et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei etc. — De virginibus Apoc. 14, 3. 4. *Cantabant quasi canticum novum...; et nemo poterat dicere canticum nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt.* — De doctoribus Dan. 12, 3: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.*

III. Inter aureolas excellit ratione *difficultatis pugnae* aureola martyrum, ratione *diuturnitatis pugnae* aureola virginum, ratione *nobilitatis obiectorum*, pro quibus pugnatur, aureola doctorum. Sed quia in victoria, quatenus est victoria, magis consideratur pugna ipsa, quam obiectum, pro quo pugnatur, et iterum magis pugnae difficultas quam diuturnitas, simpliciter loquendo ordine prima est aureola martyrum, secunda virginum, tertia doctorum.

Christus Dominus aureolam *non* habet. Nam aureola datur iis, qui victoriae Christi facti sunt participes. Ipsi, in quo fuit plenitudo victoriae, competit aliquid omni aureola excellentius.

ARTICULUS III.

DE BEATITUDINIS CAELESTIS INAEQUALITATE.

THESIS. **Beatitudo comprehensorum pro diversitate meritorum quantum ad gradum seu mensuram inaequalis est.**

Est *de fide* ex Conc. Florent. et Trident.

Dicit *Florent.* animas beatorum « intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius » (D. 588). Et *Trident.* sess. 6, can. 32: Si quis dixerit hominis iustificati bona opera non vere mereri... gloriae augmentum, a. s.

Opponitur Iovinianо et Luthero, qui contenderunt omnium comprehensorum beatitudinem quantum ad gradum esse aequalem.

Iovinianus in hunc errorem incidit, quia stoicorum placita secutus putavit omnes virtutes omniaque merita aequalia esse, Lutherus, quia sensit

iustitiam omnium iustificatorum aequalem esse, utpote quae sit iustitia Christi iis imputata.

Explicatur: 1. Cum impossibile sit Deum infinitum ab intellectu finito infinite cognosci, ille ab hoc non cognoscitur nisi *gradu quodam determinato*. Qui quidem gradus in hoc beato maior, in illo minor esse potest.

2. Eiusdem diversitatis *radix* proxima saltem est *maior vel minor perfectio luminis gloriae;* imo haec iuxta omnes fere, si excipias Caietanum et Scotistas, est radix illius diversitatis unica.

Caietanus[1] enim et Scotistae[2] sentiunt visionem beatificam eo quoque perfectiorem esse, quo maiore naturali perfectione sit beati intellectus.

3. Pro diverso gradu visionis beatificae etiam amorem et gaudium beatificum gradu esse diversa manifestum est.

4. Sicut beatitudo essentialis, ita beatitudo accidentalis pro diversitate meritorum inaequalis est; ipsa quoque aureola. Insuper fieri potest, ut ex duobus beatis, qui eandem aureolam, e. g. martyrii possident, alter habeat maius praemium essentiale, eo quod impugnationem sustinuit maiore cum caritate, alter habeat perfectiorem aureolam, eo quod passus est plura vel acerbiora.

5. Unusquisque tanta beatitudine fruitur, quantae *capax* est, unde nemo maiorem sibi exoptat. Neque quisquam maiori gloriae aliorum invidet, sed unusquisque de beatitudine aliorum omnium gaudet, sicut de sua.

Probatur: **I. Ex Scriptura**, iuxta quam: 1. Unusquisque in iudicio vel tempore retributionis recipiet secundum *opera* sua (Matth. 16, 27), secundum *laborem* suum (1. Cor. 3, 8), secundum ea, quae *gessit* (2. Cor. 5, 10), secundum ea, quae *sevit* (2, Cor. 9, 6), secundum mensuram, qua *mensus est* (Luc. 6, 38). Sed haec omnia in diversis diversa sunt.

Matth. 16, 27: *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis; et tunc reddet unicuique secundum opera eius* (κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ). Rom. 2, 6. Apoc. 22, 12. — 1. Cor. 3, 8: *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* (κατὰ τὸν ἴδιον κόπον). —

[1] In 3, q. 10, a 4 ad 2.

[2] Cf. *Mastrius*, in 1. lib. sent. disp. 6, n. 194, et *Frassen*, tom. 1, tract. 1, disp. 3, a. 7, sect. 4, q. 2. concl. 3.

2. Cor. 5, 10: *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum* (ἵνα κομίσηται ἕκαστος τὰ διὰ τοῦ σώματος, i. e. ea, quae per corpus i. e. per corporis tempus operatus est, πρὸς ἃ ἔπραξεν, εἴτε ἀγαθὸν εἴτε κακόν). — 2. Cor. 9, 6: *Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus* (ἐπ' εὐλογίαις i. e. largiter), *de benedictionibus* (ἐπ' εὐλογίαις) *et metet.* — Luc. 6, 38: *Date, et dabitur vobis; mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe* (γάρ) *mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.*

2. Gloria caelestis vocatur *merces* (Matth. 5, 12), *retributio* (Col. 3, 24), *corona iustitiae* reddenda a *iudice* et eo quidem *iusto* (2. Tim. 4, 8). Sed de ratione mercedis, retributionis, coronae iustitiae est, ut tribuatur secundum mensuram operum.

Cf. pag. 154, ubi de exsistentia meriti.

3. In caelo sunt *multae mansiones* (Io. 14, 2) et in resurrectione *claritas* beatorum erit *diversa* (1. Cor. 15, 41. 42).

Cf. pag. 106, ubi de inaequalitate gratiae sanctificantis.

Non obstat *parabola operariorum*, quorum singuli eundem denarium acceperunt (Matth. 20, 1-16). Nam: 1. Idem denarius est aeterna gloria quoad *substantiam*, non quoad gradum spectata. In comparationibus enim aequalitas numquam fere habetur in omnibus. 2. Illa parabola docetur mercedem non praecise pendere ex laboris *diuturnitate*. Maiore enim caritate ac fervore ii, qui per breve tantum tempus Deo serviunt, efficere possunt, ut eundem, imo maiorem gradum gloriae sint acquisituri, quam ii, qui ei serviunt per longum tempus. 3. Quod paterfamilias dicit se posse distribuere dona, sicut velit, proxime intelligi potest de *gratia*, quae est gloriae radix.

II. **Rationibus congruis.** 1. Convenit homines maiore praemio *allici* ad semper faciendum bonum. — 2. In tota rerum universitate sunt *varii perfectionis gradus*, et hoc ei est decori; ergo etiam in regno caelorum varios gradus beatitudinis ac gloriae esse omnino est conveniens.

PARS ALTERA.

DE COMMUNIONE SANCTORUM.

Praenotanda.

I. Communio sanctorum est ~~connexio,~~ quae est inter *membra Ecclesiae.* Ecclesia est coetus legitimus Deum colentium. Eius caput est Christus, unde recte vocatur corpus Christi mysticum (Eph. 4, 15. 16).

II. Ecclesia pro diverso statu membrorum dividitur in *militantem, patientem, triumphantem.* Prima est in terra, altera in purgatorio, tertia, ad quam etiam angeli pertinent, in caelo.

III. Connexio, quae est inter membra Ecclesiae, vocatur communio *sanctorum,* quia longe plurimi eorum, inter quos illa connexio est, sancti re vera sunt, nimirum omnes ad Ecclesiam triumphantem et patientem et multi ad Ecclesiam militantem pertinentes, ceteri autem vocatione sunt sancti (Rom. 1, 7).

IV. Esse communionem sanctorum probatur:

1. *Ex Scriptura,* in qua *a)* nomine regni caelorum et regni Dei modo significatur Ecclesia Christi, quatenus est in hac vita, modo, quatenus est in altera vita, modo, idque plurimum, quatenus est et in hac vita et in altera; — *b)* fideles in terris degentes vocantur beatorum conservi (Apoc. 6, 11; 19, 10; 22, 9), fratres (Rom. 8, 29. Apoc. 6, 11), cives (συμπολῖται — Eph. 2, 19).

2. *Ex symbolo apostolico,* in quo expresse profitemur sanctorum communionem. Sed hanc intelligendam esse unionem nostram cum beatis etc. patet ex antiquissimis huius symboli expositionibus, ut ipse *Harnack*[1] concedit.

---

[1] Ad « Apostol. Glaubensbekenntnis », 9. ed. 1892, p. 32, s.

CAPUT I.

De Communione, Quae Est Inter Membra Ecclesiae Militantis.

I. Iusti, excellentiores potissimum, per sanctam vitam, merita precesque, *quin specialem intentionem habeant necesse sit,* Deum possunt movere, ut aliis hominibus vel etiam communitatibus benedicat, bona tam naturalia quam supernaturalia concedat, mala avertat etc. Quo plura igitur membra Ecclesiae vere sancte vivunt, eo plures atque efficaciores gratiae aliis huius mystici corporis membris conferuntur.

Iuxta Gen. 30, 27 Deus benedixit Laban propter Iacob (cf. 39, 5); et ut legitur Gen. 18, 32, Dominus pepercisset civitati Sodomorum, si in ipsa fuissent decem iusti.

II. Iusti *speciali intentione habita:*

1. Pro aliis hominibus, tam iustis quam peccatoribus, *de congruo fallibili mereri* possunt gratias actuales (cf. pag. 162).

2. Pro aliis iustis luere possunt poenas temporales, quibus hi post culpas remissas manent obnoxii, seu *vim satisfactoriam* operum suorum bonorum in alios iustos possunt *transferre.* Nam Deum poenam a iusto pro iusto solutam acceptare *posse* manifestum est. Quivis enim creditor solutionem debiti ab alio pro debitore factam potest acceptare. Deum illam poenam pro eo, pro quo solvitur, generatim saltem *reapse acceptare,* ita ut hic ab eadem poena luenda vere liberetur, nobis satis constat ex mente Ecclesiae et eo suadetur, quod «caritas magis potest apud Deum quam apud homines» (S. Thomas [1]). Si igitur apud homines alter pro suo in alterum amore huius debitum solvere potest, idem poterit apud Deum.

Unde haud immerito dicit *Catechismus Romanus* [2]: «In eo summa Dei bonitas et clementia maximis laudibus et gratiarum actionibus praedicanda est, qui humanae imbecillitati hoc condonavit, ut unus posset pro altero satisfacere».

---

[1] Suppl. q. 13, a. 2.

[2] P. 2, c. 5, n. 76.

Nota. 1. Iusti vim operum bonorum meritoriam *de condigno,* qua merentur augmentum gratiae sanctificantis et gloriae, in alios homines obstante absoluta Dei voluntate transferre *non possunt.*

2. Iidem vim operum suorum meritoriam *de congruo totam* in alios transferre non debent, quia etiam ipsi gratiis actualibus egent easque sibi acquirere tenentur.

3. Vim autem operum bonorum satisfactoriam totam in alios transferre licitum est.

CAPUT II.

De Communione, Quae Ecclesiae Militanti Et Etiam Triumphanti Est Cum Ecclesia Patiente.

THESIS. **Animae purgatorii suffragiis vivorum iuvari possunt.**

Est *de fide* ex Conc. Florent. et Trident. etc.

Dicit *Florent.:* Definimus,... si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis post mortem purgari; et ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta (D. 588). — *Trid.* sess. 25. decr. de purg. (D. 859).

Probatur praeter Scripturam, et quidem 2. Mach. 12, 46, de quo supra:

Ex Traditione. 1. *Ex ss. Patribus.*

a) Ss. Augustinus et Cyrillus Alex. speciales libellos scripserunt, quibus illud probarunt.

S. Aug. scripsit libellum « de cura pro mortuis gerenda », in quo illud (c. 1, n. 3) ex 2. Mach. 12 et ex Traditione probat. *S. Cyrill. Alex.* libellum scripsit « adversus eos, qui audent dicere non esse offerendum pro iis, qui in fide obdormierunt », cuius fragmenta habes apud Migne (76, 1423).

b) S. Ephraem in testamento suo enixe rogavit, ut post mortem suam non pompa funebris duceretur, sed orationes et sacrificia pro anima sua fierent.

In illo testamento praeter alia scribit[1]: « Quando diem trigesimum complevero, mei memoriam fratres facite. Mortui enim oblatione iuvantur,

[1] Opp. lat. t. 2, p. 401.

quam viventes faciunt. Si filii Mathathiae, qui solum in figura celebrabant festa et commemorationes, quemadmodum legistis in Scripturis (2. Mach. 12, 43), oblationibus expiabant debita eorum, qui in bello ceciderant,... quanto magis sacerdotes Filii Dei expiabunt debita defunctorum oblationibus suis».

c) Multi ss. Patres, tam occidentales quam orientales haec duo testantur: α) suis temporibus preces et sacrificia pro defunctis Deo *offerri* solita esse; β) his suffragiis animas defunctorum *iuvari.*

Patres *occidentales* praesertim sunt: Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Isidorus Hispal.; *orientales:* Cyrillus Hieros., Epiphanius, Cyrillus Alex., Pseudo-Dionysius Areopag.

Scribit *Tertull.*[1]: «Oblationes pro defunctis... annua die facimus... Harum et aliarum disciplinarum, si legem expostulas Scripturarum, nullam invenies; traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix et fides observatrix». — *Cypr.* narrat[2] ab episcopis latam esse legem, ne quis clericum constitueret testamenti exsecutorem, «ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur; neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes et ministros voluit avocare». — *Aug.*[3]: «Inspira Domine meus, Deus meus, inspira servis tuis fratribus meis,... ut quotquot haec legerint, meminerint ad altare tuum Monicae famulae tuae cum Patricio quondam eius coniuge,... ut quod a me illa poposcit extremum, uberius illi praestetur in multorum orationibus». — Et[4]: «Orationibus sanctae Ecclesiae et sacrificio salutari et eleemosynis, quae pro eorum (defunctorum) spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum universa observat Ecclesia». — *Isid. Hispal.*[5]: «Sacrificium pro fidelium defunctorum requie offerre vel pro iis orare, quia per totum orbem hoc custoditur, credimus, quod ab ipsis apostolis traditum sit. Hoc enim ubique catholica tenet Ecclesia, quae, nisi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus vel eleemosynam faceret vel sacrificium Deo offerret».

Cyrill. Hierosol.[6]: «Deinde pro omnibus generatim oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum hoc credentes adiumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram iacet victima». — *Epiph.*[7]: «Preces, quae funduntur pro mortuis, ipsis

---

[1] De corona militis, cc. 3 et 4.
[2] Epist. 1, n. 2.
[3] Confess. l. 9, c. 13, n. 37.
[4] Serm. 172, n. 2.
[5] De eccl. offic. l. 1, c. 18, n. 11.
[6] Catech. myst. 5, n. 9.
[7] Haer. 75, n. 7.

utiles sunt». — *Cyrill. Alex.*[1]: «Quid absurdi fuerit Christum corpore praesentem pro iis, qui in fide obdormierunt, supplicationes accipere?... Quid impedit, ne cum precibus pro ipsis fusis una secum convehant et sacrificium; et qui id facere sibi proponunt, oblatis auxiliis eorum animas iuvent». — *Pseudo-Dionys.*[2]: «Accedens divinus sacerdos precem sacram super mortuum peragit;... precatur divinam clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam commissa peccata defuncto, eumque in luce statuat et regione vivorum».

2. *Ex liturgiis* Ecclesiae, tam graecae quam latinae, etiam sectarum orientalium (Iacobitarum, Nestorianorum), in quibus omnibus habentur orationes pro defunctis recitandae.

In liturgia *s. Iacobi* e. g. legitur: «Fac Domine, ut oblatio nostra accepta sit... in requiem animarum earum, quae ante nos obierunt».

Ipse *Calvinus* scribit[3]: «Ante mille et trecentos annos usu receptum fuit, ut precationes fierent pro defunctis. (Veteres) omnes in errorem abrepti sunt. (Dico) in eo aliquid humani passos esse, ideoque ad imitationem trahendum non esse, quod fecerunt».

«Mirum videri potest, quod in veteribus liturgiis oratio fiat etiam *pro sanctis*. Ita e. g. in liturgia *s. Chrysostomi:* «Offerimus tibi rationalem hunc cultum pro iis, qui in fide requiescunt,... patriarchis, prophetis, apostolis, martyribus,... praecipue pro sanctissima immaculata Maria». Sed antiqui doctores iam exposuerunt alio modo fieri orationes pro sanctis, qui sunt in caelo, alio modo pro reliquis defunctis; pro sanctis quidem, ut ait s. *Cyrillus Hierosol.:* «ut Deus orationibus illorum et deprecationibus suscipiat preces nostras»; pro reliquis autem oramus «maximum esse credentes animarum iuvamen, pro quibus offertur precatio» (Catech. myst. 5, n. 9)». *Pesch.*[4].

Scholion I. Per quae et quomodo animabus purgatorii a vivis subveniri possit. Animabus purgatorii a vivis subveniri potest:

1. *Per sacrificium missae* (idque potissimum, ut dicit Trident. sess. 25 decr. de purg.), *per indulgentias* (cf. pag. 353 et 354), *per quaevis opera bona*, quae revocari solent ad orationes, eleemosynas, ieiunia aliave opera poenitentiae.

2. Per haec omnia, quae uno nomine vocantur suffragia, *dupliciter: a)* Certe *per modum satisfactionis vicariae*, ita

[1] Apud Migne 76, 1423.
[2] De eccl. hier. c. 7, § 4.
[3] Inst. l. 3, c. 5, n. 10.
[4] Tom. 9, n. 609.

ut animae patienti, cui a Deo ex toto applicantur, tantum satispassionis remittatur, quantum valet satisfactio pro ea praestita. — *b) Per modum impetrationis:* certe ita, ut ob illa suffragia Deus viventibus det gratiam pro defunctis satisfaciendi et has satisfactiones acceptet etc. (cf. infra Schol. IV, ubi de intercessione sanctorum); probabiliter etiam ita, ut Deus ob illa suffragia satisfactiones Christi et sanctorum animabus purgatorii applicet. Sine hac enim applicatione seu ex pura misericordia Deus defunctis poenas non remittere videtur.

Animas defunctorum suffragiis vivorum per modum impetrationis indirecte tantum posse iuvari censet e. g. Suarez; eas etiam directe iuvari posse censent Bellarminus et de Lugo.

3. *His sub conditionibus: a)* Ut habeatur *intentio* animas patientes iuvandi. Nam quodvis eiusmodi suffragium est donatio quaedam. Sed ut habeatur donatio, ex parte donatoris necessaria est intentio dandi. — *b)* Ut adsit *status gratiae* in eo, qui iisdem animabus subvenit *per modum satisfactionis ex opere operantis.* Nam homo iniustus non potest satisfacere pro se, ergo multo minus pro aliis. Neque quisquam alteri dare potest id, quod nondum fecit suum.

Dictum est: qui subvenit α) per modum satisfactionis, quia per impetrationem, quae unice innititur divina liberalitate, etiam peccator subvenire potest; — β) ex opere operantis, sc. per privatas orationes et eleemosynas et ieiunia aliave opera poenitentiae, ut excludantur ea, quibus animabus subvenitur ex opere operato vel quasi ex opere operato, sc. sacrificium missae, suffragia nomine Ecclesiae facta, fortasse etiam indulgentiae.

Forsitan defuncti iuvantur quoque iis operibus misericordiae etc., quae iussu eorum fiunt a vivis in statu peccati mortalis exsistentibus.

4. Non solum generaliter, sed *etiam particulariter,* i. e. certis purgatorii animabus. Verumtamen: *a) Non* est certum a Deo *semper* seu sine ulla exceptione suffragia *iis* animabus applicari, pro quibus fiunt. — *b)* Multo minus certum est illa suffragia a Deo determinatis animabus semper applicari *quoad totum valorem.*

Ea non semper a Deo ita applicari tenent *Caietanus, Melchior Canus, Medina, Salmanticenses,* ex recentioribus *Hurter, Lehmkuhl* aliique multi contra alios, idque, ut videtur, merito.

Nam tantum abest, ut id semper fieri certo scire possimus, quia deest certa Dei promissio, ut directe et indirecte inferre nobis liceat id non semper fieri. α) *Directe.* Nam *generatim* dici potest defunctos magis subiacere foro iustitiae quam misericordiae. *Speciatim* hoc potest dici: « Sicut propter certa peccata Deus ex iustitia moveri potest ad gratias uberiores et efficaces denegandas, ita propter certa peccata et negligentias defunctorum iustitia divina id statuere potuit atque re vera statuisse censenda est, ut *in poenam* suffragia vivorum, sive satisfactiones personales sive indulgentiae sive missarum satisfactiones, hunc et illum defunctum non possint attingere et sublevare, nisi haec ira Dei iusta sedata divinaque iustitia placata sit sive *per poenas ab anima defuncti toleratas,* sive operibus bonis a vivis ad placandum Deum exhibitis, inter quae praecipium locum occupat sine dubio ss. missae sacrificium. Quod si ita est, nihil mirum, si aliquando multae missae requirantur, neque sufficiat offerre Deo indulgentias, ut anima certa e purgatorio liberetur. Nam obvoluta quasi iacet in densissimis tenebris divinae irae atque iustitiae; quae tenebrae multa diuturnave *propitiatione* (per sacrificium missae potissimum efficienda) prius dispellendae sunt, donec tandem suffragia vivorum, indulgentiae, missarum satisfactiones tamquam radii pacificae lucis et tamquam ros lenissimus ad animam defuncti recreandam descendant eamque *solutione* poenarum liberare possint ». *Lehmkuhl* [1]. — β) *Indirecte.* Quid sequeretur, si omnia suffragia a Deo semper quoad totum valorem animabus determinatis applicarentur? Demonstretur exemplo: Homo quidam dives per quinquaginta annos omnibus fere sceleribus se obstrinxit, omnibus diebus plura peccata mortalia commisit, filios male educavit, multos innocentes seduxit, pauperes oppressit etc. Sed cum uxor eius pia ipsius conversionem quotidie enixe deprecata fuerit, moribundus gratiam conversionis accepit. Statim post eius mortem in altari privilegiato missa pro eius anima legitur. Illico haec migrat in caelum et beatorum sedem consequitur! Credat Iudaeus Apella.

Rationabiliter haec possunt teneri: Deus suffragia satisfactoria, quae pro defunctis fiunt, animabus purgatorii semper applicat, fere semper iis animabus, pro quibus fiunt, his tamen plerumque non quoad totum valorem, sed ea tantum proportione, quam ipse pro sua iustitia et sapientia et bonitate libere constituit. Quae supersunt, aliis animabus pro eadem iustitia et sapientia et bonitate confert.

In missali praeter diem obitus, depositionis, anniversarii speciales missae assignantur pro diebus tertio, septimo, trigesimo: pro die tertio, ut videtur, quia Christus tertio die resurrexit, vel etiam quia defunctus peccavit cogitationibus et verbis et operibus, in Deum et in se et in proximum; pro die septimo, quia apud iudaeos duravit *luctus mortui septem dies* (Eccli. 22, 13. Gen. 50, 10) et quia dies septimus est sabbati seu requietis, quam Ec-

[1] Tom. 2, n. 181.

clesia defunctis exoptat; pro die trigesimo, quia iudaei pro Aaron (Num. 20, 30) et Moyse (Deut. 34, 8) triginta dies luxerunt.

Scholion II. Quem sensum habeant preces quaedam ab Ecclesia pro defunctis fieri solitae. Sunt preces liturgicae, quibus Ecclesia a Deo petere videtur, ut defuncti liberentur a *gehenna*.

Precatur e. g. in offertorio missae defunctorum: « Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni et de profundo lacu; libera eas de ore leonis, *ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum;*... fac eas Domine *de morte* transire ad vitam ».

Hic modus orandi: 1. Iuxta sententiam probabiliorem est *dramaticus*. Ecclesia sibi repraesentat mortem animarum purgatorii et sub hac repraesentatione postulat, ut a gehenna liberentur, « i. e. ut ita a Deo praeveniantur et disponantur, ut per viam salutis incedant... Et probabile est illam orationem Ecclesiae, etiamsi post mortem alicuius fiat, in praescientia Dei illi potuisse proficere etiam ante mortem ». *Suarez* [1].

Nec rationabiliter obiici potest, si haec explicatio valeret, sub eadem repraesentatione orari posse etiam pro beatis. Nam orari non potest nisi pro iis, quibus preces nostrae etiamnunc possunt prodesse, quamvis aliter, ac verbis proprie acceptis exprimitur.

2. Iuxta sententiam minus probabilem Benedicti XIV est *minus accuratus*, quo videtur quidem peti, ut animae liberentur a gehenna, sed reapse petitur, ut liberentur e purgatorio.

Scholion III. Num animae purgatorii orent pro vivis et ab his possint invocari. 1. Communiter et merito tenetur animas purgatorii pro vivis orare. Nam illae animae sanctae et Deo carae homines in terris degentes vera caritate diligunt et generaliter saltem norunt, in quibus periculis hi versentur et quantum auxilio Dei indigeant. Insuper gratitudo, quae in iis certe non est minor, quam in nobis, eas haud dubie impellit ad orandum pro ipsarum benefactoribus.

2. Ecclesia animas purgatorii non invocat, sed nec fideles eas invocare vetat.

---

[1] De poenit. disp. 48, sect. 5, n. 12.

Impossibile non est illis animabus fidelium invocationes innotescere per divinam revelationem vel immediate vel mediantibus angelis (custodibus potissimum) factam. Fieri quoque potest, ut Deus earum causa preces hominum exaudiat, licet ipsae has nesciant.

Scholion IV. Num beati animabus purgatorii suffragiis impetratoriis subveniant. 1. *Certum* est beatos pro animabus purgatorii intercedere. Hoc enim patet ex communione sanctorum, quae est etiam inter Ecclesiam triumphantem et patientem, et ex mente Ecclesiae militantis, quae in orationibus suis id innuit.

Haec enim sic orat: « Nostrae congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, *beata Maria semper virgine intercedente* cum omnibus sanctis tuis ad perpetuae beatitūdinis consortium pervenire concedas »; et: « Intercedentibus omnibus sanctis tuis pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur ».

2. *Certum* quoque est beatos intercessionibus suis a Deo posse impetrare, *a)* ut fideles in terris viventes ad suffragia satisfactoria pro defunctis praestanda divinitus excitentur, — *b)* ut eae satisfactiones, quae non fiunt pro animabus determinatis vel quae fiunt pro defunctis determinatis, qui non sunt in purgatorio, vel quae iis determinatis animabus purgatorii, pro quibus fiunt, aut ex toto aut ex parte non conceduntur, illis animabus conferantur, quas Deo commendant.

3. *Probabile* est beatos intercessionibus suis posse impetrare, ut Christus satisfactiones suas et sanctorum animabus purgatorii directe applicet.

« Ceterum admittendum est has intercessiones sanctorum fieri secundum certas leges a Deo statutas, ut possit e. g. specialis poena esse, ut quaedam animae careant sanctorum intercessionibus vel earum plus minusve capaces sint ». *Pesch.* [1].

Consequenter iis, quae dicta sunt, videtur esse manifestum animas purgatorii beatos posse invocare.

Communiter tenetur animas patientes etiam pro se ipsis orare.

[1] Tom. 9, n. 612.

CAPUT III.

De Communione, Quae Est Inter Ecclesiam Militantem Et Triumphantem.

Membra Ecclesiae triumphantis a membris Ecclesiae militantis coluntur, pro iis intercedunt, consequenter ab iis invocantur. Hinc:

ARTICULUS I.

DE CULTU SANCTORUM.

Praenotanda.

1. Cultus est honor coniunctus cum submissione, qui alicui tribuitur propter superiorem eius excellentiam.

Si cum honore submissio coniuncta non est, eo quod excellentia honorati non est vel non iudicatur superior quam excellentia honorantis, non habetur cultus, sed simpliciter honor.

Is vel id, cui honor cum submissione tribuitur, est obiectum cultus materiale; excellentia, ob quam illud fit, est obtectum cultus formale.

Cultus vocatur quoque adoratio sensu latiore accepta.

2. Cultus dividitur:

a) Pro diversitate excellentiae, ob quam ipse exhibetur, in cultum politicum seu civilem et cultum religiosum seu sacrum. Prior exhibetur ob excellentiam naturalem, alter ob excellentiam supernaturalem.

Cultus religiosus iterum dividitur in supremum et subordinatum. Cultus supremus exhibetur ob excellentiam supernaturalem increatam; competit igitur soli Deo. Vocatur latria (adoratio sensu strictiore accepta, germ. Anbetung). — Cultus subordinatus exhibetur ob excellentiam supernaturalem creatam. Quae quidem distinguitur duplex: communis et singularis. Haec est excellentia sanctissimae Dei matris propria, quae inter omnes sanctos excellit. Illa est excellentia aliorum omnium sanctorum propria. Cultus qui his sanctis exhibetur, vocatur

dulia (germ. Verehrung); cultus, qui b. Virgini exhibetur, vocatur hyperdulia (germ. Hochverehrung).

Vox graeca « προσκύνησις » modo adhibetur ad significandum quemlibet cultum, modo ad significandum cultum soli Deo debitum.

b) Pro diverso modo, quo obiectum materiale cum obiecto formali coniungitur, in absolutum et relativum. Cultus absolutus est ille, qui alicui exhibetur ob excellentiam ipsius propriam.

Excellentia potest esse alicuius propria α) per modum identitatis, ut quaevis perfectio divina propria est Dei; β) per modum formae inhaerentis, ut sanctitas creata propria est angeli vel animae humanae; — γ) per modum substantialis unionis, ut perfectio animae hominis propria est corporis animati eiusdem hominis. Itaque habetur cultus absolutus, si Deus adoratur, si angelus vel sanctus colitur ob suam sanctitatem, si corpus hominis vivi colitur ob perfectionem animae.

Cultus relativus est ille, qui alicui exhibetur ob excellentiam alterius, quacum habet moralem connexionem.

Habetur igitur, si imago colitur ob excellentiam eius, quem repraesentat; si reliquiae coluntur ob excellentiam eius, cuius sunt; si vasa sacra coluntur propter id, quod continent.

Qui quidem cultus vocatur relativus, quia alicui non defertur nisi propter relationem, quam habet ad aliquem, qui possidet excellentiam propriam. Duo igitur sunt obiecta huius cultus materialia: alterum immediatum, quod cultum *relative recipit;* alterum mediatum, in quod cultus *absolute terminatur.* Unum autem est obiectum eiusdem cultus formale, sc. excellentia propria eius, in quem cultus absolute terminatur.

§ I. *De cultu sanctorum absoluto.*

Thesis I. **Sanctis in caelo degentibus cultus duliae licite et pie exhibetur.**

Est *fide ~~certum~~* ex ordinario magisterio Ecclesiae etc.

Opponitur praesertim protestantibus.

Probatur: I. Ex Scriptura, iuxta quam:

1. A viris probis coluntur angeli, maxime angelus Domini (maleach Iahve), qui iuxta opinionem satis communem catholicorum fuit angelus creatus, qui tamen personam gessit Filii Dei (cf. tom. 1, pag. 79); idque fit, quin ab hagiographis ullo

modo vituperetur. Sic, quando in agro urbis Iericho angelus, *princeps exercitus Domini,* apparuit Iosue, *cecidit Iosue pronus in terram. Et adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum? Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, sanctus est. Fecitque Iosue, ut sibi fuerat imperatum* (Ios. 5, 14-16). — Similia inveniuntur Gen. 18, 2; 19, 1. Tob. 12, 16.

2. Coluntur homines sancti et ministri Dei in terris viventes. Sic princeps quinquagenarius Ochoziae *cum venisset, curvavit genu contra Eliam et precatus est eum* (4. Reg. 1, 13); *filii prophetarum... venientes in occursum eius* (Elisei) *adoraverunt eum proni in terra* (4. Reg. 2, 15); Sunamitis *corruit ad pedes eius* (Elisei) *et adoravit super terram.*

« Honor huiusmodi Eliae et Eliseo exhibitus non erat mere civilis, sed religiosus; tribuitur enim prophetis non propter excellentiam aliquam naturalem, sed propter eximiam sanctitatem et supernaturalem dignitatem. Neque tamen a sacris scriptoribus huiusmodi cultus vituperatur, sed potius (implicite saltem) comprobatur et commendatur. At si cultus religiosus exhiberi potest hominibus piis, qui adhuc in terris versantur, a fortiore exhiberi potest sanctis, qui feliciter regnant cum Christo in caelis. Cf. Num. 22, 31, ubi Balaam adorat angelum ». *Tepe* [1].

3. Sancti ab ipso Deo honorantur. Nam Christus dicit Io. 12, 26: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus;* et Apoc. 3, 21: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno eius.* Quodsi sancti a Deo, qui iis est superior, honorantur, a nobis, qui sumus iis inferiores, licite coluntur.

« Neque his obstat, quod apostolus ait: *Nemo vos seducat... religione angelorum* (Col. 2, 18). Nam monet cavendum a falso cultu angelorum (aeonum), qualem nonnulli iudaei et gnostici excogitaverunt (cf. Eusebius, H. E. l. 3, c. 28). Neque obstat, quod angelus ait ad s. Ioannem apostolum, qui voluit adorare eum: *Vide, ne feceris, conservus tuus sum et fratrum tuorum habentium testimonium Iesu; Deum adora* (Apoc. 19, 10; cf. 22, 8. 9). Aut enim Ioannes putabat Christum sibi apparuisse, et angelus dedocet eum; aut agitur de adoratione latiore sensu accepta, et angelus monet per Christum fideles et maxime apostolos evectos esse ad dignitatem, quae par sit dignitati angelorum. Ergo angelus humiliter declinat venerationem ab apostolo oblatam, nullo vero modo docet non licere angelis cultum tribuere ». *Pesch* [2].

---

[1] Tom. 3, n. 1142.

[2] Tom. 4, n. 632.

II. **Ex Traditione.** 1. *Ex ss. Patribus,* tam latinis, ut Tertulliano, Cypriano, Hieronymo, Augustino, quam graecis, ut Basilio, Gregorio et Naz. et Nyss., Chrysostomo.

Dicit *Tertull.*[1]: « Oblationes pro natalitiis (martyrum) annua die facimus ». — *Cypr.*[2]: « Sacrificia pro eis (i. e. in eorum honorem) semper, ut meministis, offerimus, quoties martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus ». — *Hieron.*[3]: « Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum ». Et in vita s. Paulae: « Vale, o Paula, et *cultorem tuum* orationibus iuva ». — *Aug.*[4]: « Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro evangelica veritate passionem paratum esse sentimus. Sed illos tanto devotius, quanto securius post certamina superata; quanto etiam fidentiore laude praedicamus iam in vita feliciore victores, quam in ista adhuc usque pugnantes. At illo cultu, qui graece λατρεία dicitur, latine uno verbo dici non potest, cum sit quaedam proprie divinitati debita servitus, nec colimus nec colendum docemus nisi unum Deum ». — Et[5]: « Ostendatur mihi Romae in tanto honore templum Romuli, in quanto ibi ostendo memoriam Petri. In Petro quis honoratur nisi ille defunctus pro nobis »? — Et[6]: « Beatissimum Petrum piscatorem modo genibus provolutis adorat... gentium multitudo credentium ».

Basil.[7]: « Martyrum honores cum summo studio procurantur ab iis, qui in Domino sperant, tum praecipue a vobis, qui virtuti operam datis ». — *Greg. Naz.*[8]: « Quid autem Machabaei? Horum enim nomine diem hunc festum agitamus, qui quamvis apud multos non honorentur, quia non post Christum decertarunt, digni tamen sunt, qui ab omnibus honore afficiantur ». — Et[9]: « Omnium martyrum memoria celebranda est omnibusque et linguae et aures et mentes prompte aperiendae, ut de eorum laudibus libenter aliquid dicamus et audiamus omniaque alia eorum certaminibus inferiora esse censeamus ». — *Greg. Nyss*[10]: « Cui regum talis honor habetur? Quis ex iis, qui supra modum inter homines excellere visi sunt, tali memoria celebratur? Quis imperatorum, qui urbes munitas ceperunt, nationes innumeras subegerunt, adeo decantatus et fama celebratus est, ut hic miles pauper...»? — *Chrysost.*[11]: « Vos non aliter priscos, aliter recentiores colitis sanctos, sed eadem alacritate, eodem amore, eodem affectu colitis omnes et commendatis ».

---

[1] De corona c. 3.
[2] Epist. 39, n. 3.
[3] Ep. 109, al. 53 ad Riparium, n. 1.
[4] Contra Faustum, l. 20, c. 21.
[5] Enarr. in ps. 44.
[6] Serm. 204 in app. al. 25 de sanctis n. 3,
[7] Ep. 291. ad episcopos Ponti.
[8] Orat. 15. in Mach. n. 1.
[9] Orat. 24, n. 4.
[10] Orat. de s. Theodoro.
[11] Homil. in ss. mm. Iuventinum et Maximinum.

2. *Ex antiqua praxi Ecclesiae,* quae apparet ex eo, quod inde a primis saeculis in honorem sanctorum, maxime martyrum: *a)* in omnibus *liturgiis,* tam orientalibus quam occidentalibus, eorum fieri solebat commemoratio; — *b)* erigebantur arae et aedificabantur *sacella,* confessiones, martyria, memoriae nuncupata, vel etiam *templa;* — *c)* celebrabantur *dies festi,* praesertim anniversarii martyrii eorum; — *d)* componebantur *cantica et hymni et sermones;* — *e)* ornabantur *sepulcra,* imprimis luminibus accensis.

« Quod vero Ecclesia, quod fideles iam primis saeculis sponte sua fecerunt nemine reclamante nisi infideli vel haeretico, quod eo magis invaluit, quo magis Ecclesia dilatabatur, nullisque obstaculis in sua praepediebatur explicatione: id religioni christianae et Ecclesiae veluti connaturale et congenitum eiusque spiritui consentaneum censeri debet, non secus ac rationi humanae cultus quidam humanus, societati civili cultus civilis est conveniens ». *Hurter* [1].

S. Augustinus dicit [2] quidem: « Si templum alicui sancto excellentissimo de lignis et lapidibus faceremus, anathematizaremur a veritate Christi et ab Ecclesia Dei »; sed intelligit: si illud fieret simpliciter seu eadem intentione, qua ipsi Deo; non, si illud fit secundum quid tantum seu intentione omnino diversa. Idem enim s. Doctor alibi dicit [3]: « Populus christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat et ad excitandam imitationem et, ut meritis eorum consocietur atque orationibus adiuvetur, ita tamen, ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memoria martyrum, constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit: Offerimus tibi Petre aut Paule aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronavit, apud memorias eorum, quos coronavit, ut ex ipsorum locorum admonitione maior affectus exsurgat ad acuendam caritatem et in illos, quos imitari possumus, et in illum, quo adiuvante possumus ».

Quoad alia dicta ss. Patrum, quibus cultus sanctorum reprobari videtur, recte monet *Perrone* [4] « Nondum determinata *technologia* seu vocabulorum vi videntur interdum veteres omnem cultum angelorum et sanctorum reiicere, dum negant *colendos* eos esse, *adorandos, venerandos* etc. At his vocibus utebantur ad excludendos angelos et sanctos a supremo latriae cultu, qui profecto uni Deo debetur. His enim vocibus utebantur ethnici, qui nullam inter cultum supremum et inferiorem distinctionem agnoscebant.

---

[1] Comp. tom. 3, n. 885.

[2] Coll. cum Maximino Ariano, n. 14.

[3] Contra Faust. l. 20, c. 21.

[4] Tract. de cultu sanctor. c. 1, n. 33.

Aliis autem verbis catholicam de cultu sanctorum doctrinam designabant, dum profitebantur se eos *diligere, honorare, caritate et dilectione cum ipsis coniungi* aliaque eiusmodi. Factis demum publicis, festorum sc. celebratione in martyrum honorem... aliisque superius commemoratis, quid sentirent, satis ostendebant».

III. **Ratione,** qua intelligitur cultum sanctorum honestum et pium esse:

1. *Ex parte sanctorum.* Nam hi excellunt donis supernaturalibus gratiae ac gloriae, cum Deo intime et inseparabiliter sunt coniuncti, cum Christo sedent in throno (Apoc. 3, 21) *et regnabunt in saecula saeculorum* (Apoc. 22, 5). Iam vero honestum et pium est agnoscere sanctos ea dona habere, quae re vera habent, agnoscere sanctos iisdem donis nobis praestare seu nos sanctis ob eadem dona esse inferiores, verbis vel aliis modis ea, quae agnoscimus, significare. Sed hoc nihil aliud est nisi sanctos colere.

Confirmatur. Nemo sanae mentis improbat cultum civilem hominibus ob eminentias naturales exhibitum.

2. *Ex parte Dei,* in quantum: *a)* Cultus sanctorum ex cultu Dei connaturaliter nascitur. « Sicut enim honor, qui regiae defertur maiestati, in eius redundat ministros, amor Dei in proximum; et sicut amor fontis amabiles reddit etiam rivulos: ita verus Dei cultus redundat in Dei amicos illosque omnes, in quibus refulgent participationes earum prefectionum, propter quas adoramus Deum ». *Hurter* [1].

b) Cultus sanctorum in cultum Dei ultimo vertitur. Nam: α) Omnes sancti, tam angeli quam homines, omnia, quae sunt et habent, et naturalia et supernaturalia, a Deo creatore et sanctificatore acceperunt. — β) Omnes sancti homines saltem (cf. tom. 1, pag. 318, n. VIII, 2) omnes gratias, quibus salvati sunt, Christo redemptori debent, sine quo ne unus quidem ex iis ad aeternam salutem pervenisset.

Qui igitur horum haud immemor sanctos colit, Deum vel etiam Christum non minus honorat, quam ille honorat artificem, qui huius opera admiratur et laudat.

3. *Ex parte nostra.* Cultu sanctorum docemur aestimare et sequi caelestia, impellimur ad eos imitandos, quos colimus,

---

[1] Ib. n. 886.

nobis additur animus ad sancte vivendum, a nobis exercetur humilitas.

Scholion. De praestantia s. Ioseph. Inter sanctos, quibus cultus duliae tribuitur, eminet s. Ioseph. Unde aliqua speciatim dicenda sunt de eius dignitate et sanctitate et cultu, de quibus *Einig* haec habet [1]:

1. *Dignitas* s. Ioseph in eo est, quod erat *a)* vir Mariae (Matth. 1, 16), i. e. vere et proprie Mariae sponsus, omnino habens in eam iura maritalia; — hinc *b)* Christi pater putativus (Luc. 2, 33. 48); — imo *c)* cum nomine ex vero illo matrimonio secundum legem simul habebat iura omnia paterna et officium, affectum ac sollicitudinem paternam; — *d)* erat secundum legem caput et superior Virginis et Christi ipsius ut hominis; — unde *e)* est singularis eius erga Christum et Virginem affectus amoris, amicitiae, familiaritatis, gratitudinis.

Quodsi s. Ioseph dignitas cum *apostolorum* dignitate conferatur, *Suarez* haec statuit [2]: « Intelligo... quaedam esse ministeria praecise pertinentia ad ordinem gratiae gratum facientis: et in hoc ordine intelligo apostolos habuisse supremum dignitatis fastigium... Alia vero sunt ministeria, quae attingunt ordinem unionis hypostaticae, qui ex suo genere perfectior est...: et in hoc ordine intelligo institutum esse ministerium s. Ioseph, et esse veluti in infimo gradu illius, et ex hac parte excedere reliqua... Unde D. Thomas... dixit apostolos esse maiores officio novi testamenti; officium autem Ioseph non pertinuit ad novum testamentum neque proprie ad vetus, sed ad utriusque auctorem et lapidem angularem, qui fecit utraque unum ».

2. *Sanctitas* s. Ioseph, si *absolute* spectatur, erat, ut probat Suarez, omnino eximia; id quod patet *a)* ex munere a Deo ei collato, — *b)* ex eo, quod iam ante matrimonium cum Virgine contractum et ante Christum natum vir iustus erat et perfectus, multo igitur maius post matrimonium illud postque Christum natum, — *c)* ex signis sanctitatis huius in evangelio manifestis, sc. prudentiae, fidei, obedientiae.

Quodsi s. Ioseph cum *reliquis sanctis* comparetur, Suarez dicit [3]: « Non existimo esse temerarium neque improbabile, sed pium potius et verisimile, si quis fortasse opinetur sanctum hunc reliquos omnes in gratia ac beatitudine antecellere, quia

---

[1] Tract. de Verbo incarnato, thes. 14, schol. 4.
[2] Tom. 19, disp. 8, sect. 1, n. 10.
[3] Ib. sect. 2, n. 6.

ex Scriptura nihil est, quod repugnet, neque in Patribus aliquid reperio ».

« Nihilominus tamen », ita idem Suarez [1], « cordati ac prudentis hominis esse existimo nihil temere aut nimium asseveranter affirmare, quia re vera, ubi deest Scripturae auctoritas aut Ecclesiae traditio, nulla potest esse sufficiens certitudo in re praesertim ex divina electione ac praedestinatione pendente, cuius consilia inscrutabilia sunt et abditissima mysteria.

Multo autem minus censeo esse asserenda vel credenda quaedam privilegia, quae nonnulli huic sancto tribuunt, ut fuisse sanctificatum in utero matris, caruisse fomite vel omni actuali peccato... Haec enim et similia, quae sunt praeter generales canones Scripturae, non sunt sine convincente ratione et magna auctoritate Ecclesiae vel ss. Patrum approbanda. Denique quae dona scientiae aut sapientiae aut quae gratiae gratis datae huic sancto donatae fuerint, incertum nobis est... In his donis et gratiis facile credi potest superatum fuisse hunc sanctum non solum ab apostolis, sed etiam ab aliis, quibus ad utilitatem Ecclesiae magis erant necessaria ».

3. *Cultus* s. Ioseph publicus saltem primis saeculis non apparet. Ratio, cur et generatim sanctorum et speciatim s. Ioseph cultus ab initio parcius ageretur, erat absque dubio periculum tum labendi in idololatriam tum calumniarum, quae facile contra Virginem Deiparam imo et ipsum Christum ex cultu s. Ioseph peti poterant.

In oriente cultus s. Ioseph non probatur esse antiquior saeculo decimo, *in occidente* saeculo octavo.

Ex *scriptoribus ecclesiasticis* s. Ioseph laudibus eximiis prosecuti sunt primi Alcuinus et Rhabanus Maurus, postea Ioannes Gerson, Petrus Alliacensis, Vincentius Ferrerius, Bernardinus Senensis, Ioannes Trithemius.

Festus dies s. Ioseph reperitur in breviario fratrum minorum saec. 14, et decreto anni 1399 ad totum ordinem extenditur; in breviario Romano occurrit anno 1479.

Magna *incrementa* cultus s. Ioseph cepit inde a saeculo 16; summa saeculo 19; Pius IX a. 1847 festum « patrocinii s. Ioseph ad universam Ecclesiam extendit; a. 1870 eum « Patronum Ecclesiae catholicae » declaravit ».

Verbis Christi: *Non surrexit* (ἐγήγερται) *inter natos mulierum maior Ioanne Baptista,* ut ex antecedentibus ac consequentibus et Luc. 7, 28 patet, non consideratur personalis sanctitas, sed conditio publica et theocratica. Quantum ad hanc in vetere testamento prophetae erant maiores ceteris ho-

[1] Ib. et n. 7.

minibus, quia speciatim a Deo erant electi, ut mentes hominum verterent in Messiam venturum, circa quem totum vetus testamentum versabatur, eumque praenuntiarent. Iam vero Ioannes Baptista non, sicut prophetae, Messiam futurum praenuntiavit, sed praesentem demonstravit.

THESIS. II. **Beata Maria Virgo digna est cultu hyperduliae.**

Explicatur: Cultus hyperduliae, sicut cultus duliae, a cultu latriae sine ulla dubitatione essentialiter distinguitur, imo infinite distat. Utrum autem cultum duliae gradu tantum an essentialiter superet, est controversum. Pro sententia posteriore affertur, quia ratio eius formalis est affinitas illa cum Deo, quam sola b. Virgo ratione maternitatis suae habet.

Cultum hyperduliae et cultum duliae *gradu* tantum inter se differre tenent e. g. *Hurter* [1], *Heinrich-Huppert* [2], *Probst* [3]; eos *essentialiter* inter se differre censent *Egger* [4] et *Pesch* [5].

Probatur: B. M. V. habet eam dignitatem easque praerogativas, quas nulla alia mera creatura habet, ut manifestum est ex iis omnibus, quae in variis tractatibus de ea sunt dicta. Praeterea vel etiam propterea:

I. *Est mater nostra,* i. e. omnium hominum et imprimis christianorum. Nam:

1. Cum sit mater naturalis Christi, et *Christus* dignatus sit esse *frater noster* adoptivus (Rom. 8, 29), ipsa est adoptiva omnium nostrum mater. Unde etiam de omnium hominum salute est sollicita.

Rom. 8, 29: *Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*

2. *S. Augustinus* dicit [6]: « Mater est et virgo... plane mater membrorum eius, quae nos sumus ». — Et *s. Petrus Chrysol.* [7]: « Maria benedicta et facta est vere nunc mater viventium per gratiam ».

3. *Ecclesia* Mariam matrem omnium hominum et imprimis christianorum agnoscit.

---

[1] Medulla, n. 1289, in fine.
[2] § 226, n. 2603.
[3] Kirchenlexikon, 3, 1233 in medio.
[4] Theologia specialis, n. 330, B- Quaeres.
[5] Tom. 4, n. 639.
[6] De s. virginit. 6.
[7] Serm. 140.

« Quid... de pervulgata illa opinione *Ioannem sub cruce stantem gessisse personam fidelium omnium,* nosque omnes Mariae virgini tamquam filios esse commendatos et Christum nobis matrem suam in matrem nostram dedisse, Mariam sub cruce quasi testamento Filii esse nostram matrem constitutam? Uti ex explicatione textus patet, quam dant interpretes et veteres et recentiores, haec in *sensu litterali non* continentur, *neque ab ullo s. Patre* verba in eum sensum accipiuntur. Verbis enim illis solum « docemur Christum voluisse ante mortem suam matris orbitati subvenire, procurando ei refugium apud dilectionis discipulum; unde *ex illa hora accepit eam discipulus in sua* » (*Corl. Fil.* [1]). Haec est interpretatio Aug., Chrys., Cyr. Alex. Unde illa vulgaris opinio non est interpretatio textus, verum solum *sensu accommodatitio* ex evangelio eruitur (*Corl. Fil.*). *Primus,* qui reperiri potuit, verba illa ad hunc sensum transtulit *Rup.* [2] ita scribens: « Quia in passione Unigeniti omnium nostrum salutem beata Virgo peperit, plane omnium nostrum mater est. Igitur quod de hoc discipulo dictum est ab eo, recte et de alio quolibet discipulo, si praesens adesset, dici potuisset, nisi quia, licet omnium, ut dictum est, mater sit, pulchrius tamen huic ut virgo virgini commendari debuit ». Postmodum haec applicatio verborum: in Ioanne nos omnes datos esse Mariae filios nobisque datam esse Mariam in matrem, satis communis evasit... Verba illa *pie adhiberi posse* ad commendandum cultum b. Virginis non est quod in dubium vocetur. Dici enim potest cum *Van Steenkiste* (in evang. Matth. 2. ed. II p. 586): « Possunt adhiberi, sed sensu quodam deducto ex sensu litterali per paritatem rationis hoc modo: per verba illa voluit Iesus, ut Ioannes Mariam in terris honoraret et coleret tamquam matrem suam, et hoc quidem propter amorem Iesu, quia huius mater erat; nos etiam, qui sumus sicut Ioannes discipuli Iesu eumque diligimus, (ut par est) votis Iesu obsequemur honorando matrem eius in caelis gloriosam ». — Ex hisce autem patet fundamentum et argumentum maternitatis Mariae quoad nos quaerendum esse *non in his verbis, sed in relatione fraternitatis adoptivae,* quam cum Filio Dei per eius incarnationem obtinuimus ». *Knabenbauer* [3].

II. *Inde ab antiquissimis temporibus a populo christiano insigni devotione honorabatur.* « Huius rei testes sunt monumenta priscae christianae pietatis in catacumbis, in quibus nullius sancti tam frequentes imagines conspiciuntur quam b. Virginis ». *Pesch* [4].

III. *Ab Ecclesia iis titulis honoratur, quibus nullus alius sanctus.*

Passim e. g. vocatur *causa nostrae salutis,* idque « quatenus cooperata est ad incarnationem, tum moraliter: se prae-

---

[1] Corluy, Fillion.
[2] Rupertus Tuitiensis (Deutz), O. S. B. † 1135.
[3] Comment. in Ioann. pag. 546 sq.
[4] Tom. 4, n. 639.

parando ad maternitatem divinam et consentiendo, ut incarnatio in se fieret et filius suus offerretur pro humano genere; tum physice: generando et alendo Christum ». *Idem* [1]. — A Concilio Nicaeno II appellatur *omnium christianorum domina*. In antiphonis breviarii vocatur *caeli porta, stella maris, — regina caelorum, domina angelorum, — mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra.*

IV. *A ss. Patribus summis laudibus extollitur.*

Sic de ea dicit *Iren.* [2]: « Quemadmodum illa (Eva)... inobediens facta et sibi et universo generi humano causa facta est mortis, sic et Maria... obediens et sibi et universo generi humano causa facta est salutis... Evae inobedientiae nodus solutionem accepit per obedientiam Mariae ». — Similiter *Tertull.* [3]: « Crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit, haec *credendo delevit* ». — *Ambr.* [4]: « Non enim sola familiaritas est causa, quod (Maria) diu mansit (apud Elisabeth), sed etiam tanti vatis (Ioannis Baptistae) profectus. Nam si primo ingressu tantus processus exstitit, ut *ad salutationem Mariae* exsultaret infans in utero, *repleretur Spiritu Sancto mater infantis,* quantum putamus usu tanti temporis sanctae Mariae addidisse praesentiam »? — *Aug.* [5]: Maria particeps est « *caelestis propinquitatis* ». — *Petrus Chrysol.* [6]: « Vere benedicta, quae fuit *maior caelo,* fortior terra, orbe latior; nam Deum, quem mundus non capit, sola cepit. Portavit eum, qui portat orbem; genuit genitorem suum, nutrivit omnium viventium nutritorem ».

Scholion: Cultus b. Virginis iure merito etiam ad *purissimum eius cor* extenditur. « Sane hunc cultum probat: 1. Auctoritas Ecclesiae, quae festum eius instituit, altaria et templa in eius honorem dedicavit, confraternitates sub titulo Cordis Iesu et Mariae erexit atque indulgentiis fideles ratione huius cultus locupletavit. 2. Probant manifestae rationes, cultui Cordis Iesu admodum analogae. 3. Probant sensus fidelium fructusque laetissimi huius cultus, praesertim per sodalitatem sub invocatione purissimi Cordis Mariae Parisiis (a. 1838) institutam ». *Egger* [7].

Nota. « Cum Inquisitionis decreto (13 Ian. 1875) duo opuscula prohiberentur, in quibus de sacratissimo sanguine b. Mariae Virg. disserebatur, Pius IX eadem die mandavit per huiusmodi promulgationem monendos esse alios etiam scriptores, qui ingenia acuunt super iis aliisque id genus argumentis, quae novitatem sapiunt ac sub pietatis specie insuetos cultus titulos, etiam per ephemerides, promovere student, ut ab eorum proposito desistant

---

[1] Ib. n. 624.
[2] Adv. haer. 3, 22, 4.
[3] De carne, 17.
[4] In Luc. 2, 29.
[5] Ep. 243, 9.
[6] Serm. 143.
[7] Dogm. spec. n. 331.

ac perpendant periculum, quod subest, pertrahendi fideles in errorem etiam circa fidei dogmata et causam praebendi religionis osoribus ad detrahendum puritati doctrinae catholicae ac verae pietati.

Profecto! Monitum Apostoli (Rom. 12, 3): *sapere ad sobrietatem* etiam in hac materia non est superfluum ac maxime praedicatoribus commendandum ». *Idem* [1].

§ II. *De culto relativo.*

THESIS I. **Licitus ac pius est cultus sacrarum reliquiarum.**

Est *de fide* ex ordinario magisterio ac praxi Ecclesiae et ex conc. Trident.

Dicit *Trident.* sess. 25 martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus Sancti ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur: ita ut affirmantes sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi vel eas aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari atque eorum opis impetrandae causa sanctorum memorias frustra frequentari omnino damnandos esse, prout iam pridem eos damnavit et nunc etiam damnat Ecclesia (D. 861).

Opponitur gnosticis, Eunomio, Vigilantio, Wiclifitis, Husitis, Lutheranis, Calvinistis etc.

Explicatur: 1. Sacrae reliquiae, etiam simpliciter vocatae reliquiae, accipi possunt sensu strictiore et sensu latiore. Sensu *strictiore* acceptae sunt *corpora* sanctorum defunctorum vel eorum *partes*, plerumque ossa vel cineres. Sensu *latiore* acceptae sunt eae res, quae ad eos, cum in vita erant, *propius pertinuerunt* et de se aptae sunt ad piam eorum redintegrandam memoriam. Eiusmodi res praecipue sunt vestimenta, instrumenta mortificationis, instrumenta martyrii.

2. Cultus, qui reliquiis exhibetur, non est nisi *relativus*. Nam in cultu includitur submissio quaedam. Sed creatura ratione praedita rebus ratione carentibus se submittere rationabiliter non potest. Ergo reliquiae propter se coli non possunt. Consequenter, si coluntur, non considerantur nisi secundum relationem, quam habent ad sanctos in caelo viventes. Itaque cultus reliquiarum, licet proxime ad eas dirigatur, in iis non sistit, sed ultimo dirigitur ad eos, quorum reliquiae sunt.

---

[1] Ib. in fine (Schol. 3).

Probatur : I. Ex Scriptura, iuxta quam fideles reliquias magni aestimarunt, imo speraverunt se eas adhibendo a Deo beneficia esse accepturos; et Deus hanc fidelium mentem ac spem miraculis confirmavit. Sic :

1. *Iosias*, rex Iuda, qui *fecit quod placitum erat coram Domino* (4. Reg. 22, 2), cum in Bethel altare idolorum destruxit et super illud, ut profanaretur, ossa mortuorum concremavit, sollicite conservari iussit sepulcra duorum prophetarum (4. Reg. 23, 16-18).

2. *Eliseus pallio Eliae, quod ceciderat ei, percussit aquas... et divisae sunt huc atque illuc, et transiit.* (4. Reg. 2, 14). — 4. Reg. 13, 21 coll. Eccli. 48, 14.

3. Primi christiani *Ephesii* sudaria et semicinctia Pauli ponebant super languidos et daemoniacos; *et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur* (Act. 19, 12). — Matth. 9, 20-22. Act. 5, 15.

Christus dixit quidem Matth. 23, 29-31: *Vae vobis, scribae et pharisaei, hypocritae, qui aedificatis sepulcra prophetarum et ornatis monumenta iustorum, et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum; itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt.* Verum Christus his verbis non reprehendit illud opus in se spectatum, sed pharisaeorum mentem hypocriticam, qua sepulcra prophetarum defunctorum exornabant et prophetam viventem, imo Messiam a prophetis praenuntiatum persequebantur.

II. Ex Traditione. 1. *Ex ss. Patribus*, qui reliquias sanctorum vocant *pretiosas* (Basil.), *spirituali gratia confertas* (Chrys.), *fontes vitae* (Ephraem), *munera salutis* (Ambros.); qui provocant ad *miracula* a Deo ad eas patrata (Hilar., Ephraem, Ambros., Chrysost.), qui earum *cultum defendunt* (Hieron.).

Hilar.[1] : « Veneranda ossa quotidie testimonio sunt, dum in his daemones mugiunt, dum aegritudines depelluntur, dum admirationum opera cernuntur ». — *Basil*[2]. « Pretiosae censentur reliquiae sanctorum eius (Christi). — *Ephraem*[3] : « Fontes vitae sunt corpora iustorum defunctorum. Mundus testis est omnium curationum quovis in loco ». — *Ambros.*[4] : « Munera itaque salutis accipite, quae nunc sub sacris altaribus reconduntur. — Et de

[1] Contra Const. n. 8.
[2] Hom. in Ps. 115, n. 4.
[3] Carm. 14.
[4] Exhort. virgin. c. 2, n. 10.

inventione corporum ss. Gervasii et Protasii dicit [1]: « Cognovistis, imo vidistis ipsi multos a daemoniis purgatos, plurimos etiam, ubi vestem sanctorum manibus tetigerunt, iis, quibus laborabant, debilitatibus absolutos, reparata vetusti temporis miracula... umbra quadam sanctorum corporum plerosque sanatos cernitis ». — *Chrysost.* [2]: « Sanctorum non modo corpora, sed ipsi loculi et monumenta spirituali gratia conferta sunt. Nam si in Eliseo id contigit, ut defunctus sepulcrum eius attingens mortis vincula dissolverit et ad vitam rursum redierit, multo magis hoc tempore, quo gratia uberior, Spiritus maior est vis, ut si cum fide aliquis arcam attingat, magnam inde virtutem hauriat Ideo reliquias sanctorum nobis concessit Deus, volens nos ad eundem zelum per illos adducere et nobis quasi portam praebere et firmum solatium malorum, quae nos assidue corripiunt. Quamobrem vos omnes cohortor, fratres, si quis vestrum aegritudine animi vel corporis morbo vel quavis alia calamitate aut peccatorum mole premitur, ut cum fide huc accedat; et ab illis omnibus liberatus magna cum laetitia revertetur et aspectu solo conscientiam tranquilliorem reportabit ». — *Hieron.* [3]: « Exortus est subito Vigilantius seu verius Dormitantius, qui immundo spiritu pugnet contra Christi spiritum et martyrum neget sepulcra veneranda... Quid necesse est (inquit) te tanto honore non solum honorare sed etiam adorare illud nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis? Quid pulverem linteamine circumdatum adorando oscularis? — Quis enim, o insanum caput, aliquando martyrem adoravit? Quis hominem putavit Deum?... Dolet martyrum reliquias pretioso operiri velamine, et non vel pannis vel cilicio colligari vel proiici in sterquilinium, ut solus Vigilantius ebrius et dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando apostolorum basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantius imperator I, qui sanctas reliquias Andreae, Lucae et Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas daemones rugiunt et inhabitatores Vigilantii illorum se sentire praesentiam confitentur? Sacrilegus dicendus est nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Iudaea transtulit in Thraciam? Omnes episcopi non solum sacrilegi sed et fatui iudicandi, qui rem vilissimam et cineres dissolutos in serico et vase aureo portaverunt? Stulti omnium ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquiis et tanta laetitia, quasi praesentem viventemque prophetam cernerent, susceperunt? — *Aug.* testatur [4] per contactum reliquiarum sua aetate varia miracula esse facta.

2. *Ex actis martyrum*, e. g. s. Cypriani.

In iisdem legitur [5]: « Ita beatus Cyprianus passus est, eiusque corpus propter gentilium curiositatem in proximo positum est. Inde per noctem sub-

---

[1] Epist. 22, n. 9.

[2] Homil. in s. Ign. M. n. 5.

[3] Contra Vigil. n. 1. 4. 5.

[4] De civ. Dei l. 22, c. 8, n. 2, 10 sqq. — Confess. l. 9, c. 7. — Retract. l. 1, c. 13, n. 7.

[5] Opera Cypriani (ed. *Hartel*) 3, CXIII.

latum cum cereis et scholacibus (facibus) ad areas Macrobii Candidiani procuratoris... cum voto et triumpho magno deductum est».

3. *Ex Conciliis,* praesertim ex Nicaeno II, quod damnat eos, qui audent spernere... vel proiicere... sanctas reliquias martyris (D. ~~245~~ 289).

4. *Ex antiqua consuetudine super reliquias martyrum erigendi aedificia,* quae confessiones, martyria, memoriae vocabantur, et *altaria,* quae offerendo sacrificio missae inserviebant.

« Luculenta argumenta huius veritatis ex *catacumbis* colligi possunt. Ibidem enim frequenter inveniuntur *vasa vitrea* vel ex alia materia confecta, in quibus sanguis martyrum religiose reservabatur; inveniuntur *altaria* super martyrum sepulcra erecta; pariter conspiciuntur *altaria portatilia,* quae certis diebus pro celebratione sacrificii missae deferebantur super sepulcra martyrum. Similiter pro eximio s. reliquiarum testimonio multae ibidem reperiuntur sepulcrales inscriptiones, ex quibus elucet fides et devotio fidelium. Hi enim multum curarunt, ut prope ossa martyrum sepelirentur « pro solatio propter corpus martyris », sc. ut per communionem participes redderentur beneficiorum et donorum inde promanantium. Praeterea ibi habentur multa *reliquiaria,* in quibus martyrum cineres, panni sanguine tincti vel etiam partes corporum devote recondebantur; haud raro reliquiae auro vel gemmis pretiosis sunt ornatae. Item in catacumbis inventae sunt res *ex voto* oblatae ab iis, qui ob reverentiam et devotionem reliquiis exhibitam singularia acceperunt beneficia, uti ipsam corporis sanitatem. Huiusmodi res diversas formas habent, e. g. oculorum, manuum, pedum quandoque ex auro vel argento confectorum. Demum coram sepulcris martyrum vel eorum altaribus saepius *columnae lapideae vel marmoreae* inveniuntur, in quibus vasa olei habebantur, ut in honorem sanctorum accenderentur. *Gottfried a Graun* [1].

III. Ratione theologica et congrua. 1. *Quoad reliquias sensu strictiore acceptas.* Corpora sanctorum: *a)* Fuerunt membra Christi (1. Cor. 6, 15) ac templa Spiritus Sancti speciali modo in iis inhabitantis (1. Cor. 6, 19), et sanctis usui fuerunt ad Deo fideliter serviendum ac bona opera facienda. — *b)* Etiam, postquam ab animabus morte sunt separata, ad eas, quae iam in Deo aeterna felicitate fruuntur, pertinent. — *c)* In gloriosa resurrectione cum animabus iterum unientur atque eorum beatitudinem participabunt. — Propter haec omnia cultu relativo certe sunt digna.

2. *Quoad reliquias sensu latiore acceptas.* Est moris hominum, ut eas res in honore habeant, quae propius pertinue-

[1] Tom. 1, pag. 849.

runt ad mortuos magni habitos atque celebratos, eo quod horum memoriam repraesentant. Unde non oportet mirari catholicos similiter agere respectu sanctorum, quos ob eorum virtutes supernaturales pluris aestimant quam homines, qui celebrantur ob sua ingenia et gesta naturalia.

THESIS II. **Licitus ac pius est usus et cultus sacrarum imaginum.**

Est *de fide* ex Conc. Nicaeno II et Tridentino.

Dicit *Nic. II:* Definimus... venerabiles ac sanctas imagines proponendas... Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto, qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum (πρωτοτύπων) earum memoriam et desiderium, ad osculum et ad honorariam his adorationem tribuendam (καὶ ταύταις ἀσπασόν καὶ τιμητικὴν προσκύνησιν ἀπονέμειν), non tamen ad veram latriam, quae secundum fidem est (οὐ μὴν κατὰ πίστιν ἡμῶν ἀληθινὴν λατρείαν) quaeque solam divinam naturam decet (πρέπει), impartiendam; ita ut istis sicuti figurae pretiosae ac vivificae crucis et sanctis evangeliis et reliquis sacris monumentis incensorum et luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum et antiquis piae consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit; et qui adorat (προσκυνῶν) imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam (τοῦ ἐγγραφομένου τὴν ὑπόστασιν) (D. 243 et 244). — *Trident.* docet imagines Christi, Deiparae Virginis et aliorum sanctorum in templis praesertim (esse) habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant; ita ut per imagines, quas osculamur et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus et sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur ». (D. 861).

Opponitur iconoclastis, Waldensibus, Albigensibus, Wiclifitis, Husitis, protestantibus. Multi illorum haereticorum, tam antiquiorum quam recentiorum, praesertim Lutherani, improbant solum imaginum cultum, (non improbant, quod in honore habentur); alii, imprimis ad sectam Calvini pertinentes, earum etiam usum.

Explicatur I. pars, qua enuntiatur licitum ac pium esse ss. imaginum *usum.* Iis verbis solummodo asseritur usum ss. imaginum non repugnare legi divinae sive naturali sive positivae omnes homines, imprimis christianos obliganti. Non asseritur ss. imagines haberi et praesertim in templis publice exponi semper et ubique expedire. Quod si spectatis omnibus

circumstantiis umquam vel usquam non expedit, certe potest prohiberi.

Probatur I. pars: I. Ex Scriptura, in qua narratur Deum ipsum iussisse super arcam foederis fieri duos Cherubim. Dominus enim locutus est ad Moysen Exod. 25, 18: *Duos quoque Cherubim aureos et productiles facies ex utraque parte oraculi.* — 3. Reg. 6, 27 sqq. 2. Par. 3, 10 sqq.

Neque obstat, quod Dominus dicit: Exod. 20, 4: *Non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem, quae est in caelo desuper et quae in terra deorsum, nec eorum, quae sunt in aquis sub terra.* Nam « in quantum hic habetur lex positiva Mosaica, haec est data pro iudaeis, non pro christianis. In quantum vero huic praecepto subest lex naturalis, interdicitur idololatria, quare statim additur: *Non adorabis ea.* Hac lege etiam tenentur christiani; at cultus sacrarum imaginum nihil commune habet cum idololatria. Quid iudaeis fuerit interdictum, non est una omnium sententia. De qua re vide *Bellarminum* (De cultu sanct. l. 2, c. 7. 8) ». *Pesch*[1].

II. Ex Traditione. 1. *Ex scriptis ss. Patrum*, imprimis Tertulliani, Basilii, Cyrilli Alex.

Tert. meminit consuetudinis antiquae, qua calices figura boni pastoris solebant ornari. Scribit enim[2]: « Si forte patrocinabitur pastor, quem in calice depingis ». — *Basil.* dicit[3]: « Locum martyris laudandi cedamus linguis magnificentioribus, atque vocaliores doctorum tubas ad id praeconium invitemus. Exsurgite nunc mihi, o praeclari athleticorum gestorum pictores. Mutilatam huius ducis imaginem artibus vestris adornate. Coronatum athletam obscurius a me depictum solertiae vestrae coloribus illustrate. Velim abeam victus a vobis egregia martyris facta pictura repraesentaturis... Depingatur in tabella et certaminum praefectus Christus, cui gloria in saecula saeculorum. Amen ». — Et *Cyrill. Alex.*[4]: « Etiamsi facimus imagines piorum hominum, non tamen ut eas adoremus tamquam deos, sed ut iis inspectis ad ipsorum aemulationem impellamur; ideo autem Christi imaginem facimus, ut mens nostra ad illius amorem excitetur ».

2. *Ex aliis monumentis.* In catacumbis, etiam antiquissimis, ut ss. Priscillae, Domitillae, Lucinae, quarum origo ab archaeologis ipsis temporibus apostolicis adscribitur, permultae imagines sunt inventae: *c. quadringentae et quinquaginta* imagines *Christi* (infantis, pueri, baptizati a Ioanne, versantis in nuptiis Canae habitis, stantis in medio apostolorum) maxime

---

[1] Tom. 4, n. 662.
[2] De pudicitia, c. 10.
[3] Homil. 17 in Barl. M. n. 3.
[4] In ps. 113, 16.

boni pastoris; *totidem fere Deiparae, multae ss. Petri et Pauli.* Plurimae quoque inventae sunt repraesentationes symbolicae et imagines biblicae maxime ad Christum spectantes. Ex illis imaginibus aliae, sc. eae, quae repraesentant vel *Christum ut pastorem* vel sacrarum rerum symbola, ab archaeologis adscribuntur *saeculo primo;* aliae, nimirum eae, quae repraesentant *b. Virginem et principes apostolorum,* ab iisdem adscribuntur saeculo *tertio saltem.*

III. Ratione. 1. Homines *natura propensi* sunt ad intelligibilia sibi repraesentanda per sensibilia. 2. Imagines sacrae ad varia sunt *utiles.* Nam per eas *a)* homines non satis eruditi in rebus ad religionem spectantibus *erudiuntur; — b)* mysteria religionis et sanctorum exempla *memoriae penitus infiguntur; — c) affectus* devotionis et imitandi studium *excitantur.*

Explicatur II. pars, qua asseritur licitum ac pium esse ss. imaginum *cultum.* 1. *Imago* tripliciter potest considerari: *a) Materialiter* tantum, sc. ut res quaedam physica (lignea, lapidea etc.). Ita spectata cultu nequaquam est digna; imo ne honore quidem. — *b) Formaliter in actu signato,* ut scholastici loquuntur (seu, ut alii loquuntur, modo mixto, i. e. materialiter et formaliter simul), sc. ut res quaedam sacra (cultui divino deputata, quae specialem ad Deum vel sanctos habet relationem). Ita spectata digna est, quae habeatur in honore. — *c) Formaliter*[ssime] *in actu exercito,* ut scholastici loquuntur (seu, ut alii loquuntur, formaliter tantum), sc. praecise ut repraesentatio Dei vel sancti. Si ita consideratur, respectu eius sermo est de cultu, i. e. de honore coniuncto cum submissione.

2. Hic *cultus* secundum mentem Ecclesiae et rationabiliter sic potest explicari: *a)* Homo quidam e. g. genu flectit coram imagine Iesu Christi una cum affectu submissionis et verbis recitatis: Adoro te, o Iesu. Ille affectus et haec verba non diriguntur ad Christi imaginem, sed ad Christum ipsum. Genuflexio exterius dirigitur ad Christi imaginem. Sed habetur *intentio* per hanc genuflexionem eum colendi, qui imagine repraesentatur. Unde fit, ut eadem genuflexio transeat ac terminetur ad *ipsum Christum. — b) Actus externi,* sc. genuflexio, corporis vel capitis inclinatio etc., qui de se sunt indifferentes, *per affectum internum determinantur huiusque naturam*

participant. Si igitur affectus internus est affectus latriae, etiam actus externus ad cultum latriae pertinet; si ille est affectus hyperduliae, etiam hic ad cultum hyperduliae pertinet etc.

Probatur II. pars: I. Quodammodo ex Scriptura. Num. 21, 8. 9: *Locutus est Dominus ad eum* (Moysen): *Fac serpentem aeneum, et pone eum pro signo* (i. e. super perticam); *qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyses serpentem aeneum, et posuit eum pro signo; quem cum percussi aspicerent, sanabantur.* Serpens exaltatus in pertica fuit figura Christi exaltati in cruce. Iudaei per hoc, quod *fide*, ut merito supponi potest, serpentem aspexerunt, sanitati sunt restituti. Sed ille aspectus ex fide et cum fide factus non fuit alienus a religioso cultu.

Ios. 7, 6: *Iosue... pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam, tam ipse quam omnes senes Israel, miseruntque pulverem super capita sua.* Arca fuit symbolum praesentiae Dei. Imagines sunt repraesentationes Dei vel sanctorum. Si non est illicitum coram illa humi pronum procumbere, neque illicitum est coram his genua flectere vel caput inclinare.

II. Ex Traditione. 1. *Ex scriptis ss. Patrum:* Basilii, Hieronymi, Gregorii M.

Scribit *Basil.*[1]: «Characteres sacrarum imaginum *honoro et exosculor eximie*, cum hae traditae sint a sanctis apostolis nec sint prohibitae, imo in omnibus ecclesiis nostris depictae». — *Hieron.*[2]: «Hierosolymis cuncta loca tanto ardore ac studio circumivit (Paula), ut, nisi ad reliqua festinaret, a primis non posset abduci, *prostrataque ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat*». — *Greg. M.*[3]: «Scio quidem, quod imaginem Salvatoris non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei in eius amore recalescas, cuius te imaginem videre desideras. Et nos quidem non quasi ante Divinitatem *ante illam prosternimur*, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum aut passum, sed in throno sedentem recordamur».

2. *Ex antiqua praxi christianorum*, quae colligitur ex eo, quod iis ab ethnicis exprobatur adoratio crucis.

---

[1] Epist. 360.
[2] Ep. 27. ad Eustochium de epitaph. Paulae, c. 3.
[3] L. 9, ep. 52, ad Secundinum.

Hanc illis exprobrans exhibetur Celsus apud Origenem [1], Caecilius in Octavio Minutii Felicis [2], Iulianus apostata apud Cyrillum Alex. [3].

III. Ratione. 1. Imagines hominum *dilectorum et celebratorum* solent haberi in honore; quin etiam circa eas interdum ea fiunt, quae pertinent ad cultum civilem. Eodem igitur iure circa imagines Dei et sanctorum ea facere licet, quae ad cultum religiosum pertinent.

« Qui imaginem coronat imperatoris », inquit *s. Ambrosius* [4], « utique illum honorat, cuius imaginem coronavit; et qui statuam contempserit imperatoris, imperatori utique, cuius statuam consputaverit, fecisse videtur iniuriam ».

2. Si quis devote e. g. adorat Christum, eum *cogitatione* sibi solet *depingere*. Homo, qui adorantis mentem introspiceret, quin nosset eius intentionem, putaret eum adorare illam internam imaginem. Tamen adorat ipsum Christum. Intentione enim fit, ut adoratio non haereat circa illam imaginem, sed transeat ad ipsum Cbristum. Iam vero quantum ad cultum nihil interest, utrum imago sit externa an interna. Haec non magis quam illa est Christus ipse.

3. Imagines sunt idem respectu oculorum, quod *verba* sunt respectu aurium. Iam vero licitum et pium haberi solet pronuntiato nomine Iesu caput inclinare, et passim intelligitur hunc actum cultus spectare ad ipsum Dominum. Ergo non aliter iudicandum est de cultus actu, qui fit circa Iesu imaginem.

Scholion I. De imaginibus Dei Patris et Spiritus Sancti. Licet imagines Dei Patris et Spiritus Sancti (et consequenter ss. Trinitatis) conficere et exponere, modo absit et intentio conficientium per eas proprie exprimendi naturam divinam et periculum contemplantium eas in hunc modum intelligendi. Nam:

1. In *Scriptura: a)* Est sermo (metaphorice intelligendus) de *Dei vultu* (Ps. 4, 7; 10, 8. 1. Petr. 3, 12), *oculis* (Iob. 14, 3; 34, 21. Ps. 10, 9; 138, 16), *brachio et manu* (Deut. 5, 15. Ps. 88, 22; 135, 12. Ierem. 21, 5), *pedibus*. (Is. 66, 1. Matth. 5, 35). Sed metaphoras, quae verbis exprimuntur, licet imagi-

[1] Contra Celsum, l. 2, n. 47.
[2] N. 9.
[3] Contra Iulianum, l. 6.
[4] In ps. 118.

nibus quoque imitari. — *b)* Narratur *apparuisse et Deum Patrem* ut antiquum dierum (Dan. 7, 9) et *Spiritum Sanctum* sicut columbam (Matth. 3, 16). Iam vero certe non est nefas Deum sub ea forma visibili, sub qua apparuit, repraesentare.

Antiquum dierum Danieli apparentem fuisse *Deum* ex eo patet, quod *millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei* (ib. v. 10); eum fuisse Deum *Patrem* ex eo potest colligi, quod distinguitur a Filio hominis eidem postea apparenti (ib. v. 13).

2. *Conc. Nicaenum II* dicit: « Credentes in unum Deum in Trinitate collaudatum honorabiles eius imagines salutamus (ἀσπαζόμεθα). Qui sic non habent, anathema sint » (D. 247). Et *Alexander VIII* damnavit hanc propositionem (25): « Dei Patris sedentis simulacrum nefas est christiano in templo collocare » (D. 1182).

3. Hominibus *moris* est etiam *abstractas notiones* virtutum vel vitiorum imaginibus repraesentare.

Scholion II. De imaginibus miraculosis seu thaumaturgicis, quae vocantur. Imagines miraculosae (Gnadenbilder) eae vocantur, quae hoc habent, ut coram ipsis supplicantes a Deo saepe beneficia specialia, interdum etiam miraculose accipiant. « Non eis inest virtus supernaturalis aliqua... *S. Thomas* scribit [1] Deum patrare miracula *in praesentia* sacrarum reliquiarum. Eo fortius dicendum est miracula fieri *non per* imagines thaumaturgicas, sed *in earum praesentia*, quia Deo ex rationibus nobis ignotis placet coram his imaginibus miracula operari ». *Minges* [2].

Ex *Scriptura* cf. Num. 21, 8. 9. Io. 5, 4. *S. Augustinus* haec scribit [3]: « Ubique quidem Deus est; et nullo continetur vel concluditur loco, qui condidit omnia; et eum a veris adoratoribus in spiritu et veritate oportet adorari, ut in occulto etiam iustificet et coronet. Verumtamen ad ista, quae hominibus visibiliter nota sunt, quis potest eius consilium perscrutari, quare *in aliis locis* haec miracula fiant?... Sicut, quod apostolus dicit (1. Cor. 12, 30): non omnes sancti habent dona curationum, non omnes habent diiudicationem spirituum, ita *nec in omnibus memoriis sanctorum* ista fieri voluit ille, qui dividit propria unicuique, prout vult ».

Quamvis nobis generatim ignotum sit, cur Deus praecise hoc loco vel coram hac imagine specialia beneficia hominibus

[1] 3, q. 25, a. 6 in c.
[2] Dogm. spec. pars 2, pag. 204, n. VI, 2.
[3] Epist. 178.

praestare soleat, tamen aliqua ratio obvia est, cur haec praestare soleat certis ac determinatis locis. Quae quidem est haec: Homines orando aliquo loco, quo iam multa specialia beneficia hominibus collata esse credunt, mirum in modum excitari solent ad habendam fiduciam. Quo maior autem orantis fiducia est, eo promptior est Deus ad eum exaudiendum (Matth. 21, 21. 22. Marc. 11, 24).

ARTICULUS II.

DE INTERCESSIONE ET INVOCATIONE SANCTORUM.

THESIS I. **Sancti in caelis cum Christo regnantes pro hominibus in terris viventibus intercedunt.**

Est *de fide* ex ordinario magisterio Ecclesiae et ex Conc. Trident.

Trid. sess. 25. docet « sanctos... orationes suas pro hominibus Deo offerre » (D. 860).

Probatur: I. Ex Scriptura, qua pro hominibus intercedentes exhibentur: 1. *Angeli,* et quidem *Raphael* Deo commendans orationem Tobiae et *angelus Domini* (verisimilius Michael) orans pro iudaeis.

Tob. 12, 12 (Dixit Raphael Tobiae): *Quando orabas cum lacrymis... ego obtuli orationem tuam Domino.* Hoc non potest significare: ego orationem tuam Deo palam feci, quia Deus est omniscius; ergo rationabiliter nihil significare potest nisi: ego orationem tuam Deo commendavi seu oratione mea sublevavi. — Zach. 1, 12. 13. 16: *Et respondit angelus Domini et dixit: Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Ierusalem et urbium Iuda, quibus iratus es? iste iam septuagesimus annus est. Et respondit Dominus angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria... Propterea haec dicit Dominus: Revertar ad Ierusalem in misericordiis, et domus mea aedificabitur in ea.* Huius testimonii vim vel ipse Melanchthon sensit; unde in apologia confessionis Augustanae confitetur: Largimur, quod angeli orent pro nobis; exstat enim testimonium Zach. 1, 12.

2. *Animae defunctorum in limbo Patrum detentae,* et quidem anima *Oniae,* summi sacerdotis, et anima *Ieremiae* prophetae.

2. Machab. 15, 11-16 Machabaeus... *exposito digno fide somnio... universos laetificavit. Erat autem huiuscemodi visus: Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonum et benignum..., manus protendentem orare pro omni populo iudaeorum. Post hoc apparuisse et alium virum aetate et gloria mirabilem... Respondentem vero Oniam dixisse: Hic est fratrum amator et populi Israel; hic est, qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Ieremias propheta Dei. Extendisse autem Ieremiam dexteram et dedisse Iudae gladium aureum dicentem: Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo deiicies adversarios populi mei Israel.* Quod quidem somnium ab hagiographo dicitur fide dignum, unde ab ipso Spiritu Sancto iudicatur visionem illam rei veritati respondere.

Iam vero, si animae iustorum in limbo detentae pro hominibus in terris degentibus oraverunt, a fortiore pro iis orare censendae sunt animae sanctorum in caelis cum Christo regnantes.

3. *Animae sanctorum in caelo degentes*, sc. viginti quatuor seniores Christo offerentes i. e. commendantes orationes sanctorum.

Apoc. 5, 8: *Viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas et phialas aureas plenas odoramentorum, quae sunt orationes* (προσευχαί) *sanctorum.* Iam vero vocabulum « προσευχή », quod in novo testamento tricies septies reperitur, undecies saltem aperte significat supplicia. Illud vel semel tantum significare laudes vel grates etc. haudquaquam potest probari.

Loci, in quibus vocabulum illud supplicia aperte significat, sunt Matth. 17, 20; 21, 22. Marc. 9, 29 (Vulg. 28). Luc. 22, 45. Act. 10, 31; 12, 5. Rom. 1, 10; 15, 30. Col. 4, 12. Philem. 22. Iac. 5, 17.

Porro sancti in caelo degentes Deo supplicationes offerunt seu supplicant non pro se ipsis; ergo pro aliis; et quidem, ut liquet, maxime pro membris Ecclesiae militantis in Scriptura haud raro sanctis vocatis, cum eorum salus periclitetur.

II. Ex Traditione. 1. *Ex ss. Patribus,* tam *latinis* (Cypr., Ambros., Hieron., Aug.), quam *graecis* (Orig., Greg. Naz. et Nyss., Chrysost.).

Cypr.[1]: « Magnus illic (in caelo) nos carorum numerus exspectat; parentum, fratrum, filiorum frequens nos et copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate secura et adhuc *de nostra salute sollicita* ». Et[2]: « Memores nostri invicem simus, utrobique pro nobis semper oremus... Et si quis nostrum istinc prior divinae dignationis celeritate praecesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio, pro fratribus nostris apud misericordiam Patris *non cesset oratio.* — *Ambros.*[3]: « Habetis proximos, qui *pro vobis supplicant.* Habetis apostolos proximos, habetis martyres proximos... Pro socru rogant Petrus et Andreas frater eius; tunc pro affine poterant; iam nunc possunt pro nobis et pro omnibus impetrare ». — *Hieron.*[4]: « Pro te (Paula) Dominum *rogat* (Blesilla) mihique veniam *impetrat* peccatorum ». Et[5]: « Si apostoli et martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro ceteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, *quanto magis post coronas, victorias et triumphos?* Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat a Deo veniam; et Stephanus, imitator Domini sui et primus martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur; et postquam cum Christo esse coeperint, minus valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in navi animas condonatas, et postquam resolutus esse coeperit cum Christo, tunc ora clausurus est et pro his, qui in toto orbe ad suum evangelium crediderunt, mutire non poterit »? — *Aug.*[6]: « Omnes martyres, qui cum Christo sunt, *interpellant* pro nobis. Non transeunt interpellationes ipsorum, nisi cum transierit gemitus noster ».

Orig.[7]: « Quis dubitat, quod sancti quique Patrum et *orationibus nos iuvent* et gestorum suorum confirment atque hortentur exemplis »? — *Greg. Naz.*[8]: Nunc tanto magis *proficit nobis precibus,* quanto Deo propinquior est, postquam vincula deposuit corporalia ». — *Greg. Nyss.*[9]: « Ipse (s. Theodorus martyr) ad Deum abiit... *rogans* a Deo pro nobis utilia ». — *Chrysost.*[10]: « Sicut milites vulnera, quae in proeliis sibi inflicta sunt, regi monstrantes fidenter loquuntur, ita et illi in manibus absecta capita gestantes et in medium afferentes, quaecunque voluerint, apud regem caelorum *impetrare* possunt.

2. *Ex aliis monumentis,* praesertim actis martyrum et Conciliis. Sic in fine actorum *martyrum Scillitanorum,* qui anno 200. passi sunt, legitur: « Consummati sunt Christi martyres mense Iulio, die decimo septimo, et *intercedunt pro no-*

---

[1] De mortalitate.
[2] Ep. 57. ad Cornel.
[3] De viduis, c. 9.
[4] Ep. ad Paulam de obitu Blesillae.
[5] Contra Vigilant. n. 6.
[6] Enarr. in ps. 85.
[7] In Num. hom. 26, n. 6.
[8] Orat. funebr. in patrem.
[9] Orat. de s. Theodoro M.
[10] Hom. in ss. martyres Iuventin. et Maximin.

bis ad Dominum Iesum Christum ». — In *Conc. Chalced.* episcopi acclamarunt Flaviano, qui occisus erat in latrocinio, quod vocatur, Ephesino: Flaviano aeterna memoria! Flavianus post mortem vivit; martyr *pro nobis orat.*

III. Ratione theologica. Sancti praediti sunt *caritate* (1. Cor. 13, 8), qua non solum diligunt Deum, sed etiam proximum, i. e. omnem creaturam rationalem supernaturalis beatitudinis capacem, ergo etiam nos homines in terris degentes. Iam vero caritas animum inclinat ad *bene faciendum* iis, qui beneficiorum accipiendorum sunt capaces vel etiam egentes, quales nos haud dubie sumus. Sed sancti nobis non possunt bene facere nisi pro nobis *orando.* Ergo censendum est eos hoc facere, idque eo magis, quoniam pro se ipsis orare iam nec debent nec possunt.

Scholion I. De efficacia intercessionis sanctorum.

Preces sanctorum, maxime, si iis salus hominum exposcitur, sunt efficaces, i. e. Deus promptus est ad eas exaudiendas. Nam si testante Scriptura (Iac. 5, 16) preces iustorum in terris pro Christo militantium, qui salutem aliorum hominum petunt, efficaces sunt, certe efficaciores sunt preces sanctorum in caelis cum Christo triumphantium.

Iac. 5, 16: *Orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio iusti assidua.*

Scholion II. De intercessione B. M. V.

1. B. Virgo magis, quam ceteri sancti, prompta est ad orandum pro nobis, quia habet maiorem caritatem, quam illi omnes (distributive saltem sumpti), et quia est nostra mater.

2. Christus magis promptus est ad Mariam exaudiendam, quam ceteros sanctos, quia illa est ipsius mater, etc.

Hinc intercessio b. Virginis est omnium efficacissima.

THESIS II. **Licitum et utile est sanctos invocare.**

Est *de fide* ex Conc. Trident. sess. 25.

Dicit *Tridentinum* bonum atque utile esse suppliciter eos (sanctos una cum Christo regnantes) invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster redemptor et salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere; illos vero qui negant sanctos aeterna felicitate in caelo fruentes invocandos esse, aut qui asserunt vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam vel pugnare cum verbo

Dei adversarique honori unius mediatoris Dei et hominum Iesu Christi, vel stultum esse in caelo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire (D. 860).

Opponitur protestantibus etc.

Explicatur: Secundum mentem totius Ecclesiae:

1. Sanctos solummodo precamur, ut Deum pro nobis orent. Itaque beneficia *non ab iis* exspectamus, sed *a Deo*, ad eorum tamen intercessionem.

2. Omnia beneficia ordinis supernaturalis, quae nobis ad intercessionem sanctorum conferuntur, primario conceduntur ob merita Christi, redemptoris nostri (cf. tom. 1, pag. 349).

3. Efficacia quoque intercessionis sanctorum hominum (probabiliter etiam angelorum — cf. tom. 1, pag. 318, n. VIII, 2) nititur meritis Christi estque eorum fructus. Nam omnes sancti homines, etiam b. Virgo, gloriam suam atque amicitiam divinam et consequenter efficaciam suae intercessionis debent gratiis propter merita Christi sibi datis.

Preces verbis liberioribus vel minus accuratis expressae, quibus ab aliquo sancto, maxime a b. Vergine auxilium imploratur, iuxta hanc Ecclesiae mentem intelligendae sunt.

Probatur: I. Ex Scriptura et ratione theologica. Iuxta testimonia Scripturae licitum et utile est implorare intercessionem hominum in terris degentium; ergo etiam licitum et utile est implorare intercessionem sanctorum in caelis regnantium.

Probatur antecedens: 1. Ex Iob 42, 8, ubi ipse Deus ad amicos Iob dicit: *Ite ad servum meum Iob.... Iob autem servus meus orabit pro vobis; faciem eius suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia.* 2. Ex epistolis s. Pauli, in quibus et orationibus fidelium se commendat (Rom, 15, 30. 1. Thess. 5, 25) et fideles ad orandum pro aliis adhortatur (Eph. 6, 18. 1. Tim. 2, 1). 3. Ex Iac. 5, 16 supra cit.

1. Thess. 5, 25: *Fratres, orate pro nobis.* — 1. Tim. 2, 1: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.*

Probatur consequentia. Illud licitum esse patet ob paritatem rationis. Illud utile esse colligitur ex eo, quod sancti in caelis degentes et invocationes ad se directas cognoscunt, (ut

dictum est supra, ubi de visione beatifica), et ad orandum pro nobis sunt parati (ut in thesi praec. est probatum).

Non obstat 1. Tim. 2, 5: *Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus.* Nam solus Christus est mediator *per solutionem.* Et de hac quidem mediatione apostolus loquitur; unde adiungit: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Sed *sub* hoc mediatore alii possunt esse mediatores *per orationem,* qui Christum non magis de gradu depellunt, si sunt caelicolae, quam, si sunt terricolae.

II. Ex Traditione. 1. *Ex scriptis ss. Patrum,* tam graecorum quam latinorum.

Orig. [1]: « Obsecratio et postulatio et gratiarum actio non absurde potest et sanctis offerri ». — *Athan.* [2]: « Intercede, hera et domina et regina et mater Dei pro nobis ». — *Basil.* [3]: « Quantum laborares, ut vel unum reperires, qui pro te Dominum deprecaretur? Ecce quadraginta sunt concordem effundentes orationem... Qui angustia aliqua premitur, ad quadraginta martyres confugiat; qui laetatur, recurrat ad eosdem, ille quidem, ut a malis liberetur, hic vero, ut res sibi secundae esse pergant ». — *Ephraem* [4]: « Rogo vos, dilecti, convertite ad me benigna corda vestra et orate pro me benignissimum unigenitum Filium Dei ». — *Greg. Naz.* [5]: « Tu vero (s. Basili), sacrum et divinum caput, e caelo nos, quaeso, inspice, carnisque stimulum a Deo nobis ad disciplinam datum aut precibus tuis siste aut certe, ut cum forti animo perferamus, persuade atque omnem nostram vitam ad id, quod maxime conducibile est, dirige ». — *Greg. Nyss.* s. Theodorum martyrem sic alloquitur [6]: « Intercede ac deprecare pro patria apud communem Regem et Dominum... Quodsi maiore etiam opus fuerit advocatione ac deprecatione, fratrum tuorum matyrum coge chorum et cum omnibus una deprecare; multorum iustorum preces populorum peccata dissolvant. Admone Petrum, excita Paulum, necnon Ioannem theologum et dilectum discipulum, ut Deus orationibus illorum suscipiat preces nostras ». — *Chrysost.* [7]: « Confugiamus ad sanctorum preces et oremus, ut pro nobis intercedant ».

Ambros. [8]: « Obsecrandi sunt angeli pro nobis, qui nobis ad praesidium dati sunt; martyres obsecrandi;... possunt pro peccatis rogare nostris... Non erubescamus eos intercessores nostrae infirmitatis adhibere ». — *Hieron.* [9]: « Vale, o Paula, et cultoris tui ultimam senectutem orationibus iuva. Fides

---

[1] In l. de oratione.
[2] In serm. in evang. de Deipara.
[3] Hom. 20, in 40 martyres, versus finem.
[4] Serm. de poenit.
[5] Or. 43, in laudem s. Basilii.
[6] Oratio de s. Theodoro M.
[7] Hom. 44 in Gen. n. 2.
[8] L. de viduis, c. 9, n. 55.
[9] Ep. 27.

et opera tua Christo te sociant. Praesens, quod postulas, facilius impetrabis ». — *Aug.* ss. Paulum et Stephanum sic invocat [1]. « Ambo ibi nos videtis, ambo modo sermonem auditis; ambo pro nobis orate ». — *Greg. M.* [2]: « Fideles, qui de nullo suo opere confidunt, ad ss. martyrum protectionem currunt atque ad sacra eorum corpora fletibus insistunt; promereri se veniam eis intercedentibus deprecantur ».

Patres docendo *solum* Deum esse invocandum neque ad Deum opus esse mediatoribus volunt dicere solum Deum esse invocandum ut bonorum omnium auctorem, et intercessionem sanctorum non esse simpliciter necessariam; minime autem negare volunt hanc esse licitam et utilem.

2. Ex *aliis documentis*: *a)* Ex antiquissimis *inscriptionibus* atque epitaphiis, quae invocationes martyrum continent. — *b)* Ex *actis martyrum*, quae non raro martyrum invocationibus terminantur. — *c)* Ex *actis conciliorum*, quae invocationem sanctorum licitam et utilem esse variis modis contestantur. Sic α) ineunte saeculo quarto *Eustathius*, qui sanctorum invocationem improbavit, a compluribus conciliis dammatus est; — β) in concilio oecum. *Ephesino* s. Cyrillus Alex. in oratione ad Patres habita s. Ioannem evangelistam palam invocavit. — *d)* Ex specialibus *beneficiis* ad invocationem sanctorum, etiam miraculose, divinitus collatis.

De his scribit e. g. *s. Aug.* [3]: « Si miracula sanitatum, ut alia taceam, ea tantummodo velim scribere, quae per hunc martyrem, i. e. gloriosissimum Stephanum, facta sunt in colonia Calamensi et in nostra, plurimi conficiendi sunt libri, nec tamen omnia colligi poterunt, sed tantum, de quibus libelli dati sunt, qui recitarentur in populis ».

Ipsi *centuriatores* Magdeburgenses fassi sunt saeculo quarto invocationem sanctorum iam fuisse in usu.

Nota. — Sanctorum invocatio aliquo quidem modo ad eorum cultum pertinet, quia per eam exprimitur aestimatio de amicitia et potentia, quae iis est cum Deo. Verumtamen ad hunc non pertinet nisi indirecte, quia per illam directe non intenditur sanctorum honor, sed invocantium utilitas. Quia aliquo modo ad cultum pertinet, una cum eo, quia ad eum directe non pertinet, separatim ab eo, ut hic factum est, pertractari potest.

---

[1] Serm. 316.
[2] Moral. l. 16, c. 64.
[3] De civit. Dei, l. 22, c. 8.

PARS TERTIA.

DE NOVISSIMIS GENERIS HUMANI SEU DE CONSUMMATIONE SAECULI.

CAPUT I.

De Iis, Quae Consummationem Saeculi praecedunt.

I. Aliquando *erit* consummatio saeculi, i. e. finis *huius* mundi. Nam Christus dicit Matth. 13, 40: *Sicut ergo colliguntur zizania et igne comburuntur, sic erit in consummatione saeculi* (ἐν τῇ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος). — Cf. Is. 65, 17; 66, 22. 2. Petr. 3, 11-13. Apoc. 21, 1.

II. *Quando* consummatio saeculi futura sit, ignoramus. Matth. 24, 36: *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli caelorum, nisi solus Pater.* Marc. 13, 22.

Nulla probabili ratione nititur opinio, secundum quam hic mundus per *sex millia annorum* durabit, sicut spatio sex dierum factus est, et sicut a Deo, apud quem mille anni sunt tamquam dies (Ps. 89, 4), sex hebdomadis dies ad operandum sunt destinati, septimus autem ad quiescendum, et sicut sex primi generis humani parentes (Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared) defuncti sunt, septimus autem (Henoch) adhuc vivit, etc. Quae quidem opinio reperitur in Talmud (tractatu Sanhedrin) et apud Irenaeum, Origenem, Hilarium, Gregorium Nyss., Hieronymum.

III. Complures tamen a Christo *eventus* indicati sunt, qui consummationem saeculi praecedent, e quibus *collective* sumptis hanc imminere cognosci potest. Matth. 24, 33: *Cum videritis haec omnia* (πάντα ταῦτα), *scitote, quia prope est in ianuis.* Hi eventus sunt sequentes:

1. *Praedicatio evangelii in toto orbe terrarum facta.* Matth. 24, 14. *Praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe* (ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ) *in testimonium omnibus genti-*

bus (πᾶσιν τοῖς ἔθνεσιν), *et tunc veniet consummatio* (καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος).

His verbis non promittitur omnium hominum conversio, sed universalis evangelii praedicatio; nec praenuntiatur, simulatque haec facta sit, futuram esse saeculi consummationem, sed consummationem saeculi futuram non esse, priusquam praedicatio evangelii per totum orbem terrarum sit facta.

Recte tamen cum s. Augustino ex hoc aliisque locis (e. g. Rom. 11, 25: *donec plenitudo gentium intraret*) colligi potest ante finem mundi in omnibus gentibus christianos esse futuros.

Certissime neque ex Io. 10, 16: *Et fiet unum ovile et unus pastor,* neque ex ullo alio loco rationabiliter potest concludi totum orbem terrarum aliquando futurum esse christianum; sed illis Christi verbis tantummodo praedicitur inter eos, qui ex iudaeis, et eos, qui ex gentibus credituri sint, nullum fore discrimen, id quod iam dudum est impletum.

Iam *s. Aug.* animadvertit [1]: « Tunc veniet (consummatio), quid est, nisi ante non veniet. Quanto post ergo veniat, incertum nobis est... Si iam nobis certissime nuntiatum fuisset in omnibus gentibus evangelium praedicari, nec sic possemus dicere, quantum temporis remaneret usque ad finem ».

Quamquam in Scriptura terminus « universus orbis » aliique similes interdum minus late sumuntur (Luc. 2, 1. Rom. 10, 18. Col. 1, 6), tamen ex aliis Christi verbis, e. g. ex verbis (Matth. 24, 7): *consurget gens in gentem et regnum in regnum,* colligi potest loco supra citato sermonem esse de ultimis temporibus *totius* huius mundi, quorum figura fuerunt ultima tempora populi Israel, unde « consummatio saeculi » sensu aliquo restrictiore de hoc intelligi potest.

2. *Conversio iudaeorum.* Rom. 11, 25. 26: *Caecitas ex parte* (maxima) *contigit in Israel, donec* (ἄχρις οὗ) *plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret* (σωθήσεται, i. e. salvabitur), *sicut scriptum est* (Is. 59, 20): *Veniet ex Sion, qui eripiat et avertat impietatem a Iacob.* Cf. Luc. 21, 24. Dan. 12, 1. Ose. 3, 5. Quibus verbis non asseritur nullum hominem de gente iudaica tunc in infidelitate esse permansurum, sed tam multos religionem christianam esse accepturos, ut totus populus conversus esse videatur.

« Quanta tamen iuxta proportionem futura sit mulitudo credentium, et quanta non credentium, id aeque de iudaeis ignotum est ac de gentibus » *Iungmann* [2].

---

[1] Epist. 197.

[2] De novissimis, n. 180.

Quodsi verba « omnis Israel » non intelliguntur de iis, qui origine pertinent ad iudaicam gentem, sed de iis, qui sponte adhaerent iudaico cultui ac legi, strictissime accipi possunt. Nam valde probabile est ultimis temporibus quantum ad religionem duo tantum hominum genera esse futura: christianos eosque omnes catholicos et incredulos.

3. *Plurimorum christianorum a fide defectio.* Nam ipse Christus dicit Luc. 18, 8: *Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra* (ἆρα εὑρήσει τὴν πίστιν ἐπὶ τῆς γῆς)? Et s. Paulus docet 2. Thess. 2, 3 diem Domini non esse futurum, *nisi venerit discessio* (ἡ ἀποστασία) *primum.*

4. *Adventus Antichristi,* de quo aperte est sermo 2. Thess. 2, 3. 4. 8-10 et 1. Io. 2, 18.

2. Thess. 2, 3: *Ne quis vos seducat ullo modo, quoniam nisi venerit discessio* (ἡ ἀποστασία) *primum et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis* (ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας). 4. *Qui adversatur et extollitur supra omne, quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se, tamquam sit Deus* (ὅτι ἐστὶ θεός). 8. *Et tunc revelabitur ille* (ὁ ἄνομος), *quem Dominus Icsus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum.* 9. *Cuius est adventus secundum operationem satanae in omni virtute* (δυνάμει) *et signis et prodigiis mendacibus.* 10 *Et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt.*

1. Io 2, 18: *Filioli, novissima hora est, et sicut audistis, quia Antichristus venit* (ὅτι ὁ ἀντίχριστος ἔρχεται), *et nunc antichristi* (ἀντίχριστοι) *multi facti sunt.*

Praeterea aliis Scripturae locis, praesertim Dan. 7, 24-26 et Apoc. 13, 4 sqq. varia praenuntiantur, quae de Antichristo haud immerito solent explicari. Secundum haec Scripturae testimonia Antichristus:

a) Erit *homo* (non daemon incarnatus; naturaliter nascens), et is quidem *singularis.* Hoc patet: α) Ex 2. Thess. 2, 3. 8. Nam voces « homo peccati, filius perditionis, ille iniquus » significant hominem singularem ac determinatum, praesertim cum in textu originali iis praeponatur articulus, quo significatio vocum ad exprimendam unam rem determinatam contrahitur. — β) Ex 1. Io 2, 18, ubi ὁ ἀντίχριστος (κατ' ἐξοχήν) opponitur ἀντιχρίστοις (per participationem). Sed oppositio non haberetur, nisi ὁ ἀντίχριστος esset persona singularis. Cf. etiam Io. 5, 43.

Secundum opinionem *plurimorum ss. Patrum* erit natione *iudaeus* (cf. Io. 5, 43. 2. Thess. 2, 11. 12. Iudaei autem virum non iudaeum numquam agnoscerent messiam).

Sed *temere* ac nulla ratione complures putarunt eum nasciturum esse *Babylone* et ex tribu *Dan* hoc perperam colligentes ex Gen. 49, 16 et Ierem. 8, 16). Etiam incertum est, utrum oriundus sit ex toro legitimo an *illegitimo;* posterius tamen est *valde probabile,* quia antichristus in omnibus, in quantum fieri potest, videtur esse Christo contrarius (hic filius purissimae virginis, ille filius feminae impurissimae).

Sed apud omnes *constat* eum fore *summo ingenio* atque intellectu perspicacissimo.

b) Erit vir *perversissimus,* Deo et Christo inimicissimus, qui se ipsum in locum Dei substituet (fortasse sensu pantheistico ut supremam ac perfectissimam absoluti evolutionem).

Iuxta unanimem Patrum et theologorum opinionem erit iniquissimus *omnium hominum,* sicut Christus est omnium hominum sanctissimus (2. Thess. 2, 3 *homo peccati* = peccatis omnino deditus). Erit vaferrimus, superbissimus, crudelis, libidinosus (Dan. 11, 37).

Secundum complures Patres et theologos iam ab infantia a *diabolo* circumvenietur atque ad omne malum inducetur, et ipse omnibus huius consiliis parebit (non tamen erit energumenus). Imo non pauci arbitrantur daemonem iam in eius conceptionem influxum habiturum esse, « non quod hanc ipse effecturus sit, sed quod ita naturalia agentia dispositurus sit, ut fructus conceptus temperamentum ad vitia pronissimum nanciscatur ». *Stentrup* [1].

A Deo recipiet *gratias* remote saltem sufficientes. Sed verisimile est eum vix umquam ulli gratiae locum esse daturum. — Nullo argumento firmata est opinio aliquorum, qui sentiunt eum ob nimiam suam malitiam iam in infantia ab angelo suo custode desertum iri.

Publice adversabitur Christo redemptori, ut iam satis patet ex nomine a Scriptura ei imposito, imo etiam Deo creatori, ut apparet ex 2. Thess. 2, 4 (cf. Io. 5, 43). Non tamen oportet sentire eum reapse credere Deum non esse, cum ex diabolica superbia et diabolico odio Dei fieri possit, ut quis honores soli Deo debitos sibi ipsi deferri velit.

c) Plurimos eorum hominum, qui non iam a fide defecerunt, a religione Christi et cultu Dei veri *avertet;* quod ut efficiat, non solum adhibebit omnia, quae poterit, media naturalia, sed etiam ope daemonis multa faciet *prodigia* (Matth. 24, 24. 2. Thess. 2, 1. Apoc. 13, 2).

Media naturalia, quae iuxta doctrinam theologorum in eius erunt potestate, erunt eruditio plane singularis ac tam eximia, ut omnium hominum admirationem sibi sit conciliaturus et eloquentia potentissima etc.

De prodigiis ab Antichristo factis Suarez haec dicit [2]: « Sicut Christus miracula edidit in confirmationem veritatis, ita Antichristus faciet signa

---

[1] Soteriologia, pars 2, th. 153. (pag. 955).

[2] Tom. 19, disp. 54, sect. 4. n. 9.

in confirmationem falsitatis; at sicut Christus illa faciebat virtute Dei, qui est prima veritas, ita ipse faciet virtute satanae, qui est pater mendacii, et ideo non faciet vera miracula sed falsa; quia vel res quae apparebunt, non erunt verae, sed phantasticae, ut si videatur suscitare mortuum, aut vere non erat prius mortuus, aut postea non vere vivet; aut si interdum fuerint res verae, quae apparebunt, non erunt tales, quae modo miraculoso fiant, sed per applicationem causarum naturalium ».

d) Consequetur summam atque amplissimam *potestatem politicam* (Dan. 7, 24. Apoc. 13, 7), quam adhibebit ad Ecclesiam vexandam et ad fideles opibus, terroribus, tormentis ad partes suas trahendos vel etiam dire trucidandos (Dan. 7, 21. Apoc. 13, 15. 17).

Iuxta Apoc. 13, 7 haud immerito tenetur Antichristum consecuturum esse dominationem in *universum orbem terrarum*. Quanto tempore illi ad hanc obtinendam opus futurum sit, est incertum. — Multis (ut Stentrup) certum esse videtur centrum regni Antichristi fore *Hierosolymam,* quia ipse 2. Thess. 2, 4 exhibetur sessurus *in templo Dei,* quod tempore Antichristi restauratum iri dicitur (licet non *ut* templum Dei) et quia iuxta Apoc. 11, 7. 8 Henoch et Elias *Hierosolymis* necabuntur, hi autem, praecise ut Antichristo resistant, divinitus mittentur. — Tunc temporis plurimi erunt *apostatae,* sed etiam multi *martyres.* — Ut plurimis videtur, sub imperio Antichristi religio christiana *publice* exerceri desinet (Dan. 12, 11: *Cum ablatum fuerit iuge sacrificium*). Tamen non exstinguetur. — Summum et universale Antichristi imperium iuxta communem opinionem durabit *tres annos et dimidium,* id quod colligitur ex Dan. 7, 25 (tempus = annus, tempora = duo anni, « cum numerus pluralis aramaice etiam pro duali ad par vel bina denotanda adhibeatur [1] » ; 12, 11. Apoc. 11, 2; 13, 5, cum admitti nequeat numerum certum tam saepe et tam distincte expressum loco numeri incerti esse positum.

e) Vita et regno speciali efficacia divina *privabitur* (2. Thess. 2, 8. Apoc. 19, 20).

« Ut gravissimi theologi Apoc. 19, 20 interpretantur, Christo iubente dehiscet terra, atque Antichristus in id barathrum deiectus ab humoque absorptus exstinguetur, ipsiusque anima in inferni flammas rapietur ». *Stentrup* [2].

5. *Reditus Henoch et Eliae.*

Henoch et Elias nondum mortui (Gen. 5, 24. Eccli. 44, 16. Hebr. 11, 5. — 4 Reg. 2, 11. Eccli. 48, 9. 10) necdum gloria caelesti donati non versantur in eadem conditione ac ceteri homines, sed sunt in gratia ac bono confirmati, merendi et demerendi incapaces (cf. pag. 156), ab omnibus ten-

---

[1] Knabenbauer, in Dan. pag. 200.

[2] Soteriologia, pars 2, th. 159, in fine.

tationibus et aerumnis soluti, multarum rerum cognitione imbuti, pleni consolatione. Probabiliter in vita conservantur, quin cibum aut potum sumant. Ubi degant, incertum est, cum ex Eccli. 44, 16 colligi nequeat eos esse in paradiso, eo quod verba Vulgatae « in paradisum » in textu graeco non inveniuntur et nomen peradisi etiam significat omnem locum amoenum (cf. tom. 1, pag. 216). Probabiliter ambo eandem incolunt regionem et inter se conversantur.

Tempore Antichristi *duos religionis revelatae testes* esse venturos et, postquam per breve tempus praedicaverint, martyrium subituros esse legitur Apoc. 11, 3-12.

Apoc. 11, 3: *Et dabo duobus testibus meis* (ministerium verbi), *et prophetabunt* (i. e. praedicabunt etc.) *diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.* 7. *Et cum finierint testimonium suum, bestia, quae ascendit de abysso, faciet adversus eos bellum, et vincet illos et occidet eos.* 8. *Et corpora eorum iacebunt in plateis civitatis magnae, quae vocatur spiritualiter Sodoma et Aegyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est.* 11. *Et post dies tres et dimidium spiritus vitae a Deo intravit in eos. Et steterunt super pedes suos; et timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos.* 12. *Et audierunt vocem magnam de caelo dicentem eis: Ascendite huc! Et ascenderunt in caelum in nube; et viderunt illos inimici eorum.*

Alterum horum testium esse *Eliam*, magnum illum veteris testamenti prophetam, quem Thesbitem cognominant, a nullo catholico in dubium vocatur et fidei proximum saltem est. Patet ex Malach. 4, 5.

Ibi legitur: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.* Sed α) dies Domini *horribilis* non est nisi dies ultimi iudicii seu dies adventus secundi Christi; — β) hic dies est idem, de quo v. 1. dicitur: *Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus; et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem stipula; et inflammabit eos dies veniens.*

Alterum illorum testium esse *Henoch* fidei proximum quidem non est, tamen a multis certum habetur.

Ratio est, quia α) testante Apocalypsi duo insignes testes ante secundum Christi adventum venient. Alter eorum iuxta revelationem divinam est Elias; ergo concludendum est alterum esse eum, qui teste eadem divina revelatione perinde atque Elias divinitus in vita retinetur; — β) Legitur Eccli. 44, 16: *Henoch placuit Deo et translatus est in paradisum, ut det gentibus poenitentiam* (καὶ μετετέθη ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς = et translatus est exemplar vel indicium vel documentum etc. poenitentiae generationibus [Act. 14, 16 Vulg. 15. Eph. 3, 21] vel progeniei [Luc. 1, 50], quae quidem verba eundem sensum, quem Vulgata exhibet, habere possunt).

Convenienter ante adventum Christi secundum *duo* erunt praecursores, sicut ante adventum eius primum unus fuit. Nam cum Christus primo adventu

immediate solummodo ad iudaeos missus sit (Matth. 15, 24), secundo veniet ad universam Ecclesiam ex iudaeis et gentibus congregatam. « Et ideo unus praecursor mittitur ex circumcisione, cui specialiter attribuitur iudaeorum conversio Eccli. 48, 10: *Et restituere tribus Iacob;* alius vero ex praeputio, cui in praedicto loco videtur specialiter committi gentium conversio, *ut det gentibus poenitentiam*... Dicunt autem veteres scriptores Deum elegisse Henoch, quia inter primos homines in Dei cultu et religione maxime excelluit; Eliam vero, quia zelator maximus fuit divini cultus et quia spiritu et efficacia prophetiae maxime enituit... Voluit autem Deus hos viros *ex prioribus aetatibus* ad hoc munus ad finem usque mundi reservare, tum ut admirabilior esset eorum praedicatio ac testificatio, tum etiam ut ostenderetur idem Deus auctor omnis legis: naturae, scriptae et gratiae, atque idem Christus, eadem fides, quae ab initio mundi usque ad finem praedicatur et in eadem Ecclesia militante perseverat... Dices: quomodo poterunt *tam brevi tempore per universum mundum* praedicare. Respondetur: Primo non oportet, ut ubique doceant, sed praecipue ea circuibunt loca, in quibus vel Antichristus ipse vel potentiores eius ministri versabuntur. Deinde non est credendum Henoch et Eliam semper simul incessuros, sed verisimilius est eos diversas regiones peragraturos, donec divino nutu in eum locum conveniant, ubi simul trucidandi sunt. Denique credibile est eos non solum verbo sed et scriptis consolaturos et confirmaturos fidelium animos, quos etiam plurimum eriget fama virtutis eorum et potentiae adversus Antichristum. Addunt quoque aliqui eos habituros discipulos, quos per universum orbem mittant ». *Suarez* [1].

6. Maximae, insolitae, terribiles *commotiones*, quae fient *in physica rerum natura.*

Matth. 24, 29: *Statim* (εὐθέως) *autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum et stellae cadent de caelo et virtutes caelorum commovebuntur.* Luc. 21, 25. 26. Ioel 2, 30. 31.

Quae quidem tota descriptio ad solum orbem terrarum referri potest. Commodissime sic possunt explicari: « Magnae illae turbae corporum caelestium, quae *meteora* appellantur, ex dissolutione cometarum oriuntur, quae est sententia apud astronomos communiter recepta. Iam si quando densae eiusmodi turbae in planitie orbitae terrae inter lunam et terram ferentur, necesse erit solem lunamque obscurari, neque deerunt stellae, quae dicuntur cadentes, immo eiusmodi stellarum traiectiones frequentissimae erunt. Si porro contingat, ut turba quaedam meteorum, quae mole aequet millesimam partem lunae, recta feratur contra terram consueta celeritate sex milliariorum, maxima in aëre perturbatio orietur; tanti enim subito excitabuntur calores, quanti requiruntur, ut moles quaedam glaciata magnitudine orbis terrarum in aquas resolvatur. Quod si fieret, quis cogitatione assequi posset, quales in aëre fierent commotiones ». *Knabenbauer* [2].

---

[1] Tom. 19, disp. 55, sect. 2, n. 5. 7. 8.

[2] In Matth. pars 2, pag. 338.

CAPUT II.

De Ipsa Consummatione Saeculi.

ARTICULUS I.

DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

§ I. *De veritate resurrectionis.*

THESIS. **Omnes mortui cum iisdem corporibus, quae in vita mortali gestarunt, resurgent.**

Est *dogma fundamentale* religionis christianae. Continetur omnibus symbolis. Saepe ab Ecclesia est definitum.

In symb. apost. recitatur: Credo... *carnis* resurrectionem; et forma Aquileiensi: Credo... *huius* carnis resurrectionem (D. 3); in symb. Nic. Const.: Exspecto resurrectionem *mortuorum;* in symb. Athan.: Ad cuius adventum *omnes* homines resurgere habent cum corporibus *suis.*

A Later. IV. Christus dicitur « venturus in fine saeculi iudicaturus vivos et mortuos et redditurus singulis secundum opera sua, tam reprobis quam electis, qui omnes cum suis *propriis* resurgent corporibus, *quae nunc gestant* ».

Opponitur sadducaeis (Matth. 22, 23), gnosticis, rationalistis etc.

Explicatur: 1. Resurrectio solet definiri: mutatio substantialis, qua id, quod prius exstiterat et corruptum erat, idemmet iterum producitur.

2. Corpora, cum quibus homines resurgent, erunt *physice ac numerice eadem* atque corpora, quae ab iis in vita mortali sunt gestata.

3. Ut haec habeatur identitas, certe *non* est necesse in resurrectione restitui eandem materiam *totam*, quae per integrum vitae cursum ad corpus pertinebat, neque etiam totam, quae tempore mortis est deposita.

Probatur: I. **Ex Scriptura.** 1. *Ex vetere testamento.* Iob. 19, 23-27: *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Scio enim, quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrectu-*

rus sum. Et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, et non alius; reposita est haec spes mea in sinu meo.

Textus hebraicus ad litteram sic vertitur: « Quis dabit ergo, et scribentur verba mea? Quis dabit in libro, et exarabuntur, stilo ferreo et plumbo in aeternum in saxum incidentur? At (et) ego scio: vindex (redemptor) meus vivus et ultimus (postremus) super pulverem surget; et postea pelle mea circumdabuntur haec, et ex carne mea videbo Deum (iuxta alios: et post pellem meam, cum hanc consumpserint, de carne mea Deum intuebor), quem ego conspiciam (intuebor) mihi et oculi mei cernent, et non alienus. Consumuntur (consumpti sunt) renes mei in sinu meo ».

Verum quidem est ex verbis « in novissimo die de terra surrecturus sum » spectato textu originali argumentum, quo resurrectio mortuorum demonstretur, erui non posse; id tamen ex verbis sequentibus posse plurimis videtur. His enim verbis non videtur significari: De morbo sanus surgam et videbo Deum in terra mihi apparentem, innocentiae meae vindicem et bonorum meorum restitutorem; seu iis non videtur exprimi spes recuperandae sanitatis et restituendae pristinae conditionis, ut multi volunt (etiam Chrysost. et Calmet); sed iis videtur agi de *carnis resurrectione.*

Nam 1. Iob *spem recuperandae sanitatis et temporalis felicitatis iam deposuerat,* ut patet ex Iob 7, 16; 17, 1; 19, 10 etc.

Iob 7, 16: *Desperavi; nequaquam ultra iam vivam.* — 17, 1: *Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, et solum mihi superest sepulcrum.* — 19, 10 (eodem capite, quo continentur verba, ex quibus argumentum ducitur): *Destruxit me undique, et pereo, et quasi evulsae arbori abstulit spem meam.*

2. Quorsum *solemne illud exordium:* « Quis mihi tribuat etc. », si Iob nihil aliud vult dicere nisi se sperare sanitatem suam et felicitatem temporalem? Num verba, quibus haec sola spes exprimitur, digna sunt, quae stilo ferreo in saxum incidantur et in perpetuum nota fiant posteritati? Prorsus autem apta sunt, si admittitur Iob ibi exprimere suam spem futurae omnium hominum resurrectionis.

3. « Ipsa verba spectant *aliquid post mortem futurum.* Sensus enim est: Ego scio servatorem meum vivere, qui super ossa mea in sepulcro in pulverem redacta exsurget ultimus,

i. e. post omnes seu in aeternum vivus, et iterum induar corpore meo, et in corpore meo exsistens videbo Deum meum mihi, i. e. in gaudium meum, qui non erit mihi alienus, sed amicus. Cuius rei desiderio consumor (cf. *Knabenbauer*, Comment. in Iob. p. 250 sqq.). — Iob autem non sibi tantum futuram resurrectionem attribuere sed *omnibus hominibus* tum per se evidens est tum inde patet, quod amicos suos ad hoc futurum Dei iudicium remittit ». *Pesch.*[1].

4. *S. Hieronymus*, qui linguam hebraicam certe calluit, expresse dicit[2]: « Iob resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de ea vel manifestius vel cautius scripserit »; — « nullus tam aperte post Christum, quam iste ante Christum ».

5. Illa verba *aetate christiana antiqua* de resurrectione mortuorum intelligi solebant, id quod non solum constat ex testimoniis multorum Patrum, sed etiam ex eo, quod in monumentis primorum saeculorum et in catacumbis saepe cernitur figura atque imago Iob ut typus resurrectionis[3].

2. Mach. 7, 9-11: *Et in ultimo spiritu constitutus sic ait: Tu quidem scelestissime in praesenti vita nos perdis; sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus in aeternae vitae resurrectione suscitabit. Post hunc tertius illuditur, et linguam postulatus cito protulit, et manum constanter extendit et cum fiducia ait: E caelo ista possideo; sed propter Dei leges nunc haec ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.* — 2. Mach. 12, 43; 14, 46. Is. 26, 19. Ezech. 37, 1 sqq. (quae quidem verba agendo de restitutione Israel supponunt fidem resurrectionis mortuorum). Dan. 12, 2.

2. *Ex novo testamento*, in quo et Christus Dominus et Paulus apostolus mortuorum resurrectionem clare atque emphatice docent. Sic:

a) Christus Matth. 22, 30. dicit sadducaeis: *In resurrectione... neque nubent neque nubentur; sed erunt sicut angeli Dei in caelo.* — Io. 5, 28. 29 dicit iudaeis: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei. Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.*

Saepius Christus loquitur de resurrectione *gloriosa*, tum sc., cum eos resurrecturos esse promittit, qui in eum credant et s. eucharistiam sumpturi sint. Cf. Io. 6, 39. 40. 44. 55; 11, 23-26.

---

[1] Tom. 9, n. 684.

[2] Ep. 53 (al. 103, ad Paulin.) 8. — C. Ioann. Hieros. 30.

[3] Cf. Kraus, Roma sotterranea, p. 288.

b) S. Paulus resurrectionem mortuorum verbis et litteris annuntiat.

α) Eam ut veritatem fundamentalem religionis christianae gentibus in publico praedicat et coram iudaeis palam profitetur, ut patet ex Act. 17, 18. 31. 32; 23, 6; 24, 15. 21; 26, 8.

β) Eam in epistolis suis octies saltem propugnat ipsam vocans unum ex primis elementis religionis christianae (Hebr. 6, 1. 2) ipsamque plus minusve probans ex omnipotentia Dei (1 Cor. 6, 14), ex appetitu nostro (Rom. 8, 23) maxime ex resurrectione Christi, nostri capitis (Rom. 8, 11. 1. Cor. 15, 12 sqq. 2. Cor. 4, 14. 1. Thess. 4, 12-16).

1. Cor. 6, 14: *Deus vero et Dominum suscitavit; et nos suscitabit per virtutem suam.* — Rom. 8, 23: *Ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri.* Rom. 8, 11: *Quodsi Spiritus eius, qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.*

Homines autem resurrecturos esse praecise iisdem corporibus, quae in vita mortali gestarunt, ex allatis locis, nisi ea perverse interpretamur, satis intelligimus. Insuper ad omnem dubitationem tollendam dicitur 1. Cor. 15, 53: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.*

Recte iam *Tertullianus* monet [1]: « Resurrectionis vocabulum non aliam rem vindicat, quam quae cecidit. Surgere enim potest dici, et quod omnino non cecidit, quod semper retro iacuit. *Re*surgere autem non est nisi eius, quod cecidit; iterum enim surgere, quia cecidit, *re*surgere dicitur. *Re* enim syllaba iterationi semper adhibetur ». Et s. Thomas [2]: « Idem numero corpus resurget... Non enim resurrectio dici potest, nisi anima ad idem corpus redeat, quia resurrectio est iterata surrectio... Si non est idem corpus, quod anima resumit, non dicitur resurrectio, sed magis novi corporis assumptio ».

II. Ex Traditione.

Praeter testimonia ss. Patrum, quae plurima exstant, quae tamen in re in Scriptura et symbolis tam aperte contenta afferri necesse non est, fides antiquorum christianorum apparet:

1. *Ex actis martyrum,* qui eam fidem coram iudicibus haud raro publice ac intrepide sunt professi.

---

[1] Contra Marcion. l. 5. c. 9.

[2] Suppl. q. 79, a. 1.

2. *Ex epitaphiis et imaginibus* in catacumbis inventis, e. g. Lazari a Christo resuscitati et Danielis in fovea leonum conservati.

3. *Ex nomine coemeterii* i. e. dormitorii loco, ubi defuncti sepeliebantur, imposito.

4. *Ex modo tractandi defunctorum corpora*, qui christianorum inde ab omni antiquitate fuit proprius.

5. *Ex Conciliis.*

Sic Conc. Tolet. XI. (a. 675) dicit: « Exemplo capitis nostri confitemur vera fide resurrectionem carnis omnium mortuorum. Nec in aerea vel qualibet alia carne (ut quidam delirant) surrecturos nos credimus, sed in ista qua vivimus, consistimus et movemur » (D. 234).

6. *Ex professionibus fidei a summis pontificibus praescriptis.*

a) In symbolo Leonis IX. (saec. 11) proposito Petro episcopo haec habentur: « Credo etiam veram resurrectionem eiusdem carnis, quam nunc gesto » (D. n. 295).

Ex illo symbolo desumptae sunt interrogationes, quae, ante consecrationem cuiusvis episcopi a consecratore consecrando proponuntur, inter quas etiam haec est: Credis etiam veram resurrectionem eiusdem carnis, quam nunc gestas, et vitam aeternam?

b) In professione fidei ab Innocentio III. Waldensibus praescripta recitatur: Corde credimus et ore confitemur huius carnis, quam gestamus, et *non alterius* resurrectionem (D. 373).

III. Rationibus congruis. 1. Quantum ad resurrectionem *omnium* hominum (etiam infantium in statu peccati originalis mortuorum). Resurrectio carnis non quidem naturae humanae ullatenus debita est, sed tamen est ei convenientissima. Nam animae humanae *ex ipsius natura* inest facultas informandi suum corpus; consequenter haec illi inerit *in aeternum*. Ex hac naturali facultate connaturaliter oritur aliqua inclinatio ad corpus suum informandum, quae tamdiu erit, quamdiu ipsa erit facultas. Sed conveniens est cum facultate naturali coniungi actum et naturali inclinationi satisfieri.

Itaque « *ceteris paribus* perfectior est status animae in corpore quam extra corpus, quia est pars totius compositi, et omnis pars integralis (materialis) est respectu totius. Et quamvis (anima separata) sit Deo conformior secundum quid, non tamen simpliciter. Tunc enim simpliciter loquendo est aliquid maxime Deo conforme, quando habet, quidquid conditio suae

naturae requirit, quia perfectionem divinam tunc maxime imitatur ». *S. Thomas* [1].

2. Quantum ad resurrectionem omnium *adultorum* (i. e. eorum omnium, qui habent personalia merita vel demerita). Homo in statu viae in et cum corpore bene vel male agit; unde conveniens est eum in statu termini in et cum eodem corpore praemio vel poena affici.

Tertull. [2]: « Quam absurdum... aliam substantiam mercede dispungi, ut haec quidem caro per martyria lanietur, alia vero coronetur, item e contrario haec quidem caro in spurcitiis volutetur, alia vero damnetur ». — *S. Thomas* [3]: Anima non comparatur ad corpus solum ut operans ad instrumentum, quo operatur, sed etiam ut forma ad materiam. Unde operatio est coniuncti, et non tantum animae... Et quia operanti debetur operis merces, oportet quod ipse homo, compositus ex anima et corpore, operis sui mercedem accipiat ».

3. Quantum ad resurrectionem *iustorum* (i. e. in statu gratiae mortuorum).

a) Ob eorum relationem ad Christum *redemptorem et caput.* α) Christus eos perfecte redemit ab omnibus peccatis, tam originali quam actualibus. Sed separatio animae a corpore est effectus peccati originalis. Ergo conveniens est eam, simul atque genus humanum ad finem perductum est, tolli ac corpori immortalitatem restitui. — Sin secus, Christus, secundus Adam, nec nobis reddidisset omnia bona, quae primus Adam nobis perdidit, nec redemisset totum hominem (secundum animam et corpus), unde redemptio ab eo peracta valde imperfecta esset. — β) Christus est eorum caput et exemplar. Quapropter decet hos illi, in quantum fieri potest, assimilari in omnibus; ergo etiam in resurrectione.

b) Ob eorum relationem ad Deum *sanctificatorem.* Homo iustus non solum quoad animam sed etiam quoad corpus (1. Cor. 6, 19) est templum Spiritus Sancti, consecratur sacramentis, praecipue s. communione etc. Sed conveniens est corpus, quod participat sanctificationem, etiam participaturum esse glorificationem.

---

[1] Suppl. q. 78, a. 1, ad 4.
[2] De resurr. carn. c. 56.
[3] Suppl. q. 78, a. 1, ad 3.

Scholion. Iuxta doctrinam omnium catholicorum corpus humanum resuscitandum est physice idem ac corpus in vita mortali ab anima formatum atque praesertim, ut plurimi censent, tempore mortis depositum, non tamen eget tota materia, ex qua tunc temporis constabat. Relinquitur igitur quaerendum:

I. *Num, ut vera resurrectio habeatur, restituenda sit illius eiusdem materiae pars* (plus minusve magna). 1. *Aliqui* hoc negant statuentes ad habendam veram carnis resurrectionem satis esse, si eadem anima (idem principium informans) materiae novae (alienae) imprimat eundem typum (eandem formam atque indolem), quem impressit illi materiae, quam in statu viae informavit. Hoc docuerunt testante Epiphanio [1] *Origenes*, inter scholasticos *Durandus*, nostra aetate *Lacordaire*, *Bonnetty*, alii.

A *Durando* haec affertur ratio: Forma est, quae composito dat esse et unitatem. Materia enim, cum de se sit mera potentia, a forma habet, quod sit haec et quod ab alia distinguatur. Ergo, si eadem forma informat materiam quamcunque, idem habetur compositum. Ergo, ut sit vera resurrectio corporis, satis est, si anima est eadem.

Speciatim *Lacordaire* hoc proposuit: Ut corpus in resurrectione ab anima assumendum idem sit ac corpus ab ea in morte depositum, sufficit, ut animae insit idem *nisus formativus*, vi cuius ipsa illud corpus (quoad materiam omnino novum) ita sibi attemperat, ut quoad formam et indolem huic plane simile sit.

Bonnetty hoc docuit: Cum anima humana copulatum est *germen quoddam* subtile et immutabile, quod nec morte dissolvitur nec post mortem ab ea umquam separatur. Ex hoc germine tempore resurrectionis novum corpus prodibit (se evolvet), sicut ex nympha prodit papilio.

Opponitur: Hoc germen non potest esse nisi aut spirituale aut corporale. Atqui spirituale esse nequit, quia repugnat corpus quantumvis subtile prodire ex substantia spirituali. Si vero corporale est, ad corpus pertinet. Sed corpus in morte ab anima deseritur indeque corrumpitur.

Alii hoc docent: In homine praeter corpus et animam est aliud principium, quod vocatur *virtus formativa seu plastica*. Hoc principium morte non exstinguitur. Tamen post mortem veluti torpet et est sine actu. Sed tempore resurrectionis a Deo iterum suscitabitur atque in actum deducetur. Itaque tunc novum corpus sibi finget et formabit. Corpus igitur resuscitandum idem est ac corpus mortuum per hoc, quod illa virtus formativa seu plastica est eadem.

Opponitur: Haec opinio est affinis trichotomismi. Ubi est illud principium post mortem? « Nec in elementis corporis resoluti illud insitum esse

---

[1] Haer. 64.

fatentur, nec animae immortali illud tribuere videntur, sed sese involvunt singulari quadam specie mysterii. Solemniter enim asserunt illud principium post mortem exsistere et quiescere, sed ubi exsistat, indagari non posse ». *Iungmann* [1].

2. Contra hos paucos theologi *communiter* docent veram carnis resurrectionem non haberi, nisi restituatur pars (plus minusve magna) illius materiae, quae in statu viae ab anima erat informata.

« Haec sententia », inquit *Iungmann* [2], tum ex Scriptura sacra tum ex ss. Patribus clare eruitur, eandem cum s. Thoma omnes doctores scholae praeter Durandum amplectuntur, et ipsa manifeste in praedicatione totius Ecclesiae continetur. Propterea censemus allatam (priorem) opinionem cum sana doctrina non satis componi ac reiiciendam esse ». — Et *Egger* dicit [3]: « Certum est ac firmiter tenendum eandem etiam materiam resurgere. Hoc immediate et evidenter sequitur ex omnibus documentis fidei superius allatis ».

Hanc restitutionem *possibilem* esse sic demonstratur:

a) Nulla materiae pars per ullam vim creatam potest annihilari, sed omnes eius partes, quantumvis mutabuntur, sive deinceps erunt in statu solido, sive in statu liquido, sive in statu aërio, semper *manebunt aliquid.* Deus, cum sit omniscius, in fine mundi haud ignorabit, quae materiae partes olim constituerint singula corpora humana. Et cum sit omnipotens, omnes partes respondentes quamvis longe lateque dispersas poterit colligere, coadunare, cum suis animabus iterum coniungere per easque vivificare.

b) Nulla difficultas affertur per hoc, quod partes corporum humanorum cursu temporis transeunt in *animalia.* Nam, cum haec non sint resuscitanda, ex iis haud minus quam ex aliis rebus eae partes materiae, quae aliquando ad corpora humana pertinebant, possunt recolligi.

c) Haud levis tamen difficultas oritur ex eo, quod partes corporum humanorum cursu temporis transeunt in *alia corpora humana* et propterea in fine mundi quam plurimae erunt particulae (moleculae et atomi), quae olim pertinuerunt ad plures homines. Sed animadvertendum est Deum providentia sua (Luc. 12, 7; 21, 18) praecavere posse, ne tot particulae

---

[1] Tract. de novissimis, n. 226.

[2] Ib. n. 228.

[3] Dogm. spec. n. 724.

corporum humanorum in alia corpora humana transeant, quot sunt necessariae ad illa restituenda.

S. Thomas dicit[1]: « Non requiritur ad hoc, quod resurgat homo idem numero, quod, quidquid fuit materialiter in eo secundum totum tempus vitae suae, resumatur, sed tantum ex eo, quantum sufficit ad complementum debitae quantitatis, et praecipue illud resumendum videtur, quod *perfectius* fuit sub forma et specie humanitatis consistens. Si quid vero defuit ad complementum debitae quantitatis, vel quia aliquis praeventus est morte, antequam natura ipsum ad perfectam quantitatem deduceret, vel quia forte aliquis mutilatus est membro, *aliunde* hoc divina supplebit potentia. Nec tamen hoc impediet resurgentis corporis unitatem, quia etiam opere naturae super id, quod puer habet, aliquid additur aliunde, ut ad perfectam perveniat quantitatem, nec talis additio facit alium numero; idem enim numero est homo et puer et adultus.

Ex quo etiam patet, quod nec resurrectionis fidem impedire potest, etiamsi aliqui carnibus humanis vescantur... Non enim est necessarium, ut ostensum est, quod, quidquid fuit in homine, materialiter resurgat in eo; et iterum, si aliquid deest, suppleri potest per potentiam Dei. Caro igitur comesta resurget in eo, in quo *primo* fuit anima rationali perfecta; in secundo vero, si non solis carnibus humanis est pastus, sed et aliis cibis, resurgere poterit tantum *de alio,* quod ei materialiter advenit, quod erit necessarium ad debitam quantitatem corporis restaurandam. Si vero solis humanis carnibus sit pastus, resurget in eo, quod *a generantibus* traxit; et quod defuerit, supplebitur omnipotentia Creatoris. Quod etsi parentes ex solis humanis carnibus pasti fuerint, ut sic et eorum semen, quod est superfluum alimenti, ex carnibus alienis generatum sit, resurget quidem semen in eo, qui est *natus ex semine,* loco cuius ei, cuius carnes comestae sunt, supplebitur aliunde. Hoc enim in resurrectione servabitur, quod, si aliquid materialiter fuit in pluribus hominibus, resurget in eo, *ad cuius perfectionem magis pertinebat;* unde si fuit in uno ut radicale semen, ex quo est generatus, in alio vero sicut superveniens nutrimentum, resurget in eo, qui est generatus ex hoc sicut ex semine. Si vero in uno fuit ut pertinens ad perfectionem individui, in alio autem ut deputatum ad perfectionem speciei, resurget in eo, ad quem pertinebat secundum perfectionem *individui;* unde semen resurget in genito et non in generante, et costa Adae resurget in Eva et non in Ada, in quo fuit sicut in naturae principio. Si autem secundum eundem perfectionis modum fuit in utroque, resurget in eo, in quo *primitus* fuit ».

II. *Quae et quanta eiusdem materiae pars necessaria esse videatur.* Ab aliis plus, ab aliis minus requiritur; a plerisque tamen requiritur pars praecise eius materiae, quae tempore mortis deposita est.

---

[1] Contra gent. l. 4, c. 81, n. 4 et 5.

Egger e. g. dicit [1]: «Sufficit, ut ea resurgant, quae *tempore mortis* deposita sunt. Neque haec absolute omnia, sed *moraliter omnia* exiguntur». — Econtra *Heinrich-Huppert* [2]: «Es genügt, dass *dieienigen* Moleküle verwendet sind, aus welchen der Leib *zu irgend einer Zeit des Lebens* bestand». — *Perrone* [3]: «Probabile est corpora post resurrectionem *minore* indigere materiae quantitate, quam corpora *mortalia.*». — *Minges* [4]: «Sufficit *pars parva* ad corpus integrum restituendum». — *Heinrich-Gutberlet* [5]: «Es reicht verhältnissmässig *sehr wenig* identischer Stoff hin». — *Hettinger* [6]: «In ihr (der Seele) schlummert deshalb (weil sie die Form des Leibes ist) die Grundgestalt ihres Leibes, den sie auf Erden trug, bis am Tage der Auferstehung aufs neue mit *dem geringsten der früheren Stoffteile* verbunden diese wieder tatsächlich herantritt und die an sich unbestimmte Materie wieder zu ihrem Leibe gestaltet».

§ II. *De tempore resurrectionis.*

I. Secundum doctrinam theologorum communem et omnino tenendam tam electi quam reprobi resurgent *eodem tempore.* Legitur enim 1. Cor. 15, 52: *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, et mortui* (οἱ νεκροί) *resurgent incorrupti.*

II. Ab hac communi doctrina aberrarunt *chiliastae* seu millenarii, iuxta quos duplex erit mortuorum resurrectio. Prior erit statim post devictum Antichristum; altera erit mille annis post. Illa complectetur solos iustos; haec solos reprobos. Inter utramque resurrectionem erit in terris regnum Christi millenarium, de quo haec pauca sunt dicenda:

1. Illud regnum fore a chiliastis colligitur praesertim ex Apoc. 20, 1-5, ubi legitur diabolum per mille annos ligatum iri, intra quod temporis spatium Christus cum suis sit regnaturus ceteris mortuis non viventibus, quae sit resurrectio prima.

Apoc. 20, 1-5: *Et vidi angelum descendentem de caelo habentem clavem abyssi et catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas, et ligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum, et clausit et signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni; et post haec oportet illum solvi modico*

---

[1] Dogm. spec. n. 724.
[2] N. 2692.
[3] Tract de Deo Creatore, pars 3, n. 894.
[4] Dogm. spec. pars 2. pag. 209.
[5] Band 10, § 643, n. III, 1.
[6] Apologie des Christenthums, Band 1, Vortrag 7 (Aufl. 1, S. 333).

tempore. Et vidi sedes, et sederunt super eas, et vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis. Ceteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Haec est resurrectio prima.

Opponitur: Nequaquam probari potest illa Scripturae verba sensu litterali esse intelligenda. — Iis haec videntur indicari: A Christo in terris constitutum est regnum Dei, quod per mille annos, i. e. per diuturnum tempus florebit. Eodem tempore animae eorum, qui pro Christo mortui sunt, vivunt et regnant in caelo. Quod animae iustorum consequuntur hanc vitam caelestem, qua animae iniustae excluduntur, vocatur resurrectio prima; quod illarum corpora in fine mundi resuscitabuntur, vocatur resurrectio secunda.

2. Quantum ad quaestionem, quale illud regnum futurum sit, *duplex* chiliasmus distinguendus est, sc. crassus et mitigatus seu subtilior.

a) Iuxta chiliasmum *crassum* iustis post resurrectionem in terra viventibus licet frui omnibus voluptatibus sensualibus. Hic chiliasmus est haereticus (Cf. Matth. 22, 30. Rom. 14, 17. 1. Cor. 15, 50). Eum tenuerunt aliqui haeretici antiquiores, in his Cerinthus, Ebionitae, Marcionitae, et aliqui recentiores, praesertim Mormones.

b) Iuxta chiliasmum *mitigatum* illis iustis licet frui primario deliciis spiritualibus, secundario tantum sensualibus et iis quidem solummodo honestis. Eum tenuerunt Papias, Iustinus, Irenaeus, alii.

Ab errore chiliasmi differt quorundam opinio omnino dubia, secundum quam ante resurrectionem et ante adventum Antichristi *Ecclesia per aliquod tempus in optima* erit *conditione*, ita ut tunc longe maximam hominum partem complectatur, paucos et infirmos habeat adversarios, floreat auctoritate et sanctitate et doctrina etc.

§ III. *De causis resurrectionis.*

1. Causa *meritoria et exemplaris* resurrectionis *iustorum* erit Christus mortuus et resuscitatus.

2. Causa *efficiens principalis omnium* erit solus Deus (1. Cor. 6, 14), *instrumentalis* (per potestatem excellentiae) Christus homo (Io. 5, 28), qui tamen utetur ministerio angelorum (Matth. 24, 31. 1. Cor. 15, 52. 1. Thess. 4, 15). Hi iuxta

opinionem communem theologorum mortuos excitabunt voce, i. e. sensibili sonu ab ipsis ex imperio Christi effecto; praeterea iuxta opinionem multorum aperient sepulcra ac viscera terrae, et cineres etc. ad corpora reformanda colligent.

Quod ad *tubam* attinet, cuius tribus ultimis locis indicatis fit mentio, « antiqui plerique metaphoricum esse hoc... nomen recte statuunt, et metaphoram desumptam putant ab usu tubarum ad integrum populum convocandum et ad castra movenda praescripto (Num. 20, 1 sqq.)... Quodnam porro... signum intelligatur, non liquet ». *Cornely* [1].

Quod autem ad *locum* spectat, ubi singuli homines sint resurrecturi, nihil certi dici potest. Communiter tamen censent quodvis corpus humanum ibi resuscitatum iri, ubi ipsum vel praecipua eius pars tunc temporis sit futura.

§ IV. *De conditione et qualitatibus corporum resurgentium.*

I. In resurrectione corpora *omnium* hominum:

1. Erunt *immortalia*, id quod est de fide.

2. Erunt *integra*, i. e. omnibus membris et sensibus naturae humanae debitis instructa, id quod de beatis et infantibus non iustificatis a nullo in dubium vocatur, de adultis damnatis satis communiter tenetur, cum nulla ratio probabilis in contrarium afferri posse videtur.

Minus rationabiliter, ut videtur, s. Bonav. cum aliis paucis quoad damnatos contrarium docet dicendo [2]: « Mali surgent cum suis deformitatibus et poenalitatibus, miseriis et defectibus, quos habuerunt in statu viae..., quia malis resurrectio non est ad vitam, sed ad supplicium ». Contra quod dici solet: Poena alterius vitae non respondet naturali huius vitae defectui, sed culpae. Et damnatis multo maior poena est omnia corporis membra habere, quam eorum aliquo carere. Si enim aliquod membrum iis deesset, cruciatus ei convenientes non sentirent.

3. Secundum opinionem communem theologorum habebunt eam staturam, quae respondet aetati hominis *adultae et iuvenili*, ita ut tunc nec pueri nec senes futuri sint [3]. Non tamen omnes erunt staturae eiusdem; sed quivis habebit staturam sibi convenientem et connaturalem.

---

[1] Comment. in 1. Cor. pag. 511.

[2] Brevil. p. 7, c. 5. Cf. tom. 4, pag. 916.

[3] Ab hac tamen opinione aliquatenus dissentit Heinrich-Gutberlet (tom. 10, § 645, pag. 881) eamque pro incerta habet Heinrich-Huppert (n. 2698).

4. Retinebunt *sexualem differentiam*, ut communiter tenetur [1] contra paucos, qui putarunt omnes homines in resurrectione futuros esse aut nullius sexus aut sexus masculini (pro hoc immerito provocantes ad verba Eph. 4, 13 *donec occurramus... in virum perfectum*, de virili i. e. perfecta virtute intelligenda).

Hermaphroditismus hac in re non affert difficultatem, quia in nullo homine uterque sexus aeque ac perfecte habetur, sed re vera alteruter tantum.

5. *Non* exercebunt functiones vitae *vegetativae*, ut edere, bibere, dormire etc, neque erit in iis, ut in corporibus mortalibus, ulla mutatio materiae (Stoffwechsel). Tamen habebunt ea membra, quibus in vita mortali functiones vitae vegetativae exercuerunt, quia et quatenus ad perfectionem naturae humanae pertinent.

Ratio congrua iuxta s. Thomam est haec: Anima se habet ad corpus suum non solum ut forma ad materiam, sed etiam ut causa efficiens ad effectum et ut ars ad artificiatum. Ratio est, quia anima corpus sibi veluti fingit, evolvit, efformat. « Quidquid autem explicite in artificiato ostenditur, hoc totum implicite et originaliter in ipsa arte continetur. Sicut ergo artis opus non esset perfectum, si artificiato aliquid deesset eorum, quae ars continet, ita nec homo posset esse perfectus, nisi totum, quod in anima implicite continetur, exterius in corpore explicaretur ».

In illis membris continebunt eos solos *humores*, qui sunt *perfectionis* et spectant ad bonum *ipsorum resurgentium*, e. g. sanguinem.

6. Exercebunt functiones vitae *sensitivae:* videre, audire etc.

II. Corpora *beatorum* erunt gloriosa, i. e. habebunt quatuor dotes supernaturales, quae sunt impassibilitas, claritas, agilitas, subtilitas. Docetur a s. Paulo, qui scribit 1. Cor. 15, 42-44: *Seminatur* (corpus, id quod a plerisque recte intelligitur de morte ac sepultura) *in corruptione, surget in incorruptione* (impassibilitas); *seminatur in ignobilitate, surget in gloria* (claritas); *seminatur in infirmitate, surget in virtute* (agilitas); *seminatur corpus animale, surget corpus spirituale* (subtilitas).

---

[1] Etiam haec opinio ab Heinrich-Huppert (ibid.) incerta habetur, sed ab Heinrich-Gutberlet cum aliqua restrictione sustentatur (ibid. § 643, pag. 863 sq.).

1. *De impassibilitate* haec sunt tenenda:

a) Impassibilitas *consistit* in eo, quod corpus affici non poterit ullo incommodo, sc. dolore, morbo etc., et quod propterea nulla vi poterit dissolvi. Apoc. 7, 16; 21, 4.

b) Ratio impassibilitatis a s. Thoma repetitur ex perfecto dominio, quod anima glorificata ac Deo plene subiecta in corpus suum habebit, ab aliis theologis, ut Suarez, etiam a qualitate supernaturali corpori infusa.

c) Ad impassibilitatem *referri potest*, quod corpori glorificato nulla delectatio ipsi accommoda deerit. Econtra quivis homo beatus habebit voluptates corporales cum statu suo perfectissimo convenientes, sc. sensationes corpori incorruptibili accommodatas ac valde perfectas, non solum, ut omnes tenent, videndo alios homines beatos ac mundum tunc pulcherrimum et audiendo verba ab illis prolata, sed etiam, ut plurimi censent, tactu experiendo gratum influxum aetheris, gustatu sentiendo saporem iucundissimum, quin sit usus cibi vel potus, odoratu percipiendo suavitates odorum caelestium. Neque impediuntur functiones sensuum per actus intellectus et voluntatis animae, quia id non potest fieri nisi ex imbecillitate corporis, quae in beatis nulla est.

2. *De claritate* haec statuuntur:

a) Claritas *consistit* in eo, quod corpus erit splendidum ac fulgidum iuxta Matth. 13, 43: *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Matth. 17, 2. Philipp. 3, 21. Cf. Sap. 3, 7. Dan. 12, 3.

Quae quidem claritas, cum naturam non destruat sed perficiat, naturalem corporis colorem non auferet, sed ei mirum superaddet splendorem, in similem modum, in quem radii solis quasdam gemmas lucidas reddunt. Per eandem claritatem futurum esse videtur, ut corpus cum et in omnibus suis partibus atque organis sit perlucidum.

b) Claritas corporis *plus minusve perfecta* erit pro maiore vel minore perfectione gloriae animae. Unde scribit Apostolus 1. Cor. 15, 41. 42: *Alia claritas solis, alia claritas lunae et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate. Sic et resurrectio mortuorum.*

c) Claritas *causatur* ex redundantia gloriae animae in corpus: iuxta alios moraliter tantum (i. e. ob gloriam animae a Deo in corpore producitur), iuxta alios etiam physice, qua-

tenus animae gloriosae competit virtus instrumentalis corpus suum reddendi lucidum.

d) Ad claritatem *referuntur* α) *aureolae,* quae, quamvis proprie sint in animabus, tamen per aliquem decorem vel splendorem refulgent in corporibus; — β) *cicatrices* vulnerum a martyribus susceptorum, quae ut signa victoriae theologis [1] videntur aliquo modo retineri.

3. *De agilitate* haec dicenda sunt:

a) Agilitas *consistit* in eo, quod corpus, quocunque anima volet, celerrime poterit moveri.

b) Secundum s. Thomam aliosque plurimos corpus *non* potest moveri *in instanti,* nec potest de loco in locum transferri, quin transferatur per spatium intermedium, sed solummodo potest moveri tempore tam brevi, ut a nobis percipi nequeat. Suarez tamen censet illud probabiliter sustineri posse.

c) Ad agilitatem *referri potest,* quod corpora gloriosa non solum se ipsa, sed etiam alias res magna cum celeritate et virtute movere possunt.

4. *De subtilitate* haec docentur:

a) Subtilitas in eo *consistit,* quod corpus non solum vacabit functionibus animalibus, ut nutritione et commutatione materiae, sed etiam sine ullo impedimento praesto erit animae, eiusque imperio omnino subiicietur.

b) Utrum vi subtilitatis corpus gloriosum *una* esse possit *cum alio corpore* seu aliud corpus possit pervadere *controversum* est. S. Thomas id negat, Suarez affirmat.

III. Corpora *infantium* (et perpetuo amentium), qui in statu peccati originalis decesserunt, neque erunt gloriosa neque afficientur ullis incommodis vel doloribus, ita ut possint dici impassibilia, non quidem per internam supernaturalem qualitatem, sed per absentiam omnis causae alterantis et corrumpentis. Erunt bene temperata, pulchra, vegeta. Animabus erunt plene subiecta, ita ut motus inordinatos numquam sint habitura.

IV. Corpora *damnatorum* habebunt proprietates proprietatibus corporum beatorum plus minusve contrarias, sc. loco

---

[1] Cf. *Aug.* de civ. Dei, l. 22, c. 19; *Thom.* suppl. q. 84, a. 1 ad 5; *Bonav.* tom. 4, pag. 987.

impassibilitatis passibilitatem, loco claritatis foeditatem, loco agilitatis gravitatem, loco subtilitatis quandam duritiem.

ARTICULUS II.

DE IUDICIO UNIVERSALI.

§ I. *De veritate iudicii universalis.*

THESIS. **Post resurrectionem erit universale iudicium.** Est *de fide* ex omnibus symbolis.

In symb. *apostolico* dicitur: Inde venturus est (Iesus Christus) iudicare vivos et mortuos; — in *Athanasiano:* Ad cuius adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis et reddituri sunt de factis propriis rationem.

Probatur: I. Ex Scriptura. 1. *Ex verbis ipsius Christi.* Matth. 25, 31-46: *Cum autem venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae; et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis, et statuet oves quidem a dextris suis, haedos autem a sinistris. Tunc dicet rex his, qui a dextris eius erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare... Tunc dicet et his, qui a sinistris erunt: Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare... Et ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* — Hoc loco sermo est de iudicio, ut patet, et eo quidem non particulari sed universali, ut manifestum est ex eo, quod personae iudicandae sunt omnes homines et boni et mali in unum locum congregati. — Matth. 16, 27.

2. *Ex verbis s. Pauli* Athenis dictis et relatis Act. 17, 31: Deus *statuit diem, in quo iudicaturus est orbem* (τὴν οἰκουμένην) *in aequitate in viro, in quo statuit* (= quem statuit i. e. ad hoc destinavit), *fidem praebens omnibus suscitans eum a mortuis* (i. e. fidem faciens ei apud omnes suscitando eum a mortuis). — 1. Cor. 4, 5. 2. Tim. 4, 1.

II. **Rationibus congruis,** quae desumuntur:

1. *Ex parte Dei,* cuius perfectiones per illud iudicium manifestabuntur et cuius gloria sic promovebitur. Nam manifestabitur:

a) Divina *omniscientia* per hoc quod ex ea palam proferentur omnia ab omnibus hominibus facta, dicta, cogitata, etiam occultissima.

b) Divina *omnipotentia* per hoc quod tunc cognoscetur Deum per causas liberas omnia, quae voluerit, efficere potuisse, quin earum libertatem tolleret vel impediret.

c) Divina *sapientia* per hoc quod tunc lucidissime apparebit sapientissimas fuisse omnes dispositiones providentiae divinae nobis nunc saepe inexplicabiles, secundum quas e. g. boni malis et mali bonis affecti sunt etc.

d) Divina *benignitas et misericordia* per hoc quod tunc palam fiet, quot et quanta beneficia, cum naturalia tum supernaturalia, Deus hominibus contulerit, quanta longanimitate peccatores toleraverit, quanta caritate atque industria eos ab interitu eripere studuerit, quanta clementia eos ad se conversos exceperit.

e) Divina *sanctitas et iustitia* (vindicativa) per hoc quod tunc intelligetur, quanto odio Deus prosequatur peccata et quantam poenam cuivis peccato irrogaverit sive in inferno sive in purgatorio sive etiam in terra.

2. *Ex parte Christi,* qui, ut eum summopere decet, in iudicio universali:

a) Coram universo mundo *exaltabitur*, omnium angelorum et hominum sollemne accipiet obsequium, de hostibus suis publicum aget triumphum.

b) In statu exaltationis universum mundum cum maiestate ac potestate iuste *iudicabit,* sicut in statu exinanitionis a paucis hominibus humilis ac pauper iniuste iudicatus est.

3. *Ex parte hominum.* Nam hi:

a) Non solum sunt homines singulares, sed etiam *membra humanae societatis,* unde eis convenit non solum iudicari singulatim et in occulto, sed etiam universe et in publico.

b) Per vitam honeste actam et opera bona aliis hominibus *prosunt* aut per vitam inhoneste actam et opera mala aliis *nocent,* idque etiam post mortem, iis, quae ex ipsorum

vita et operibus sive bonis sive malis directe vel indirecte eveniunt, non raro per multa saecula inter homines perdurantibus. Itaque conveniens est gesta hominum aliquando palam fieri et publice iudicari.

c) Ab hominibus saepissime *perperam iudicantur*, aut quia eorum cogitationes atque intentiones latent, aut quia non iudicantur iuxta normam legis christianae unice rectam. Unde non raro fit, ut ii, qui vere sunt digni honore, vivi et mortui despiciantur et contemnantur, ii autem, qui contemptu digni sunt, honorentur et observentur. Quapropter iustitiam Dei decet omnium hominum veram dignitatem aut indignitatem manifestam facere.

§ II. *De ratione iudicii universalis.*

I. *Praeparatio iudicii* consistet in his duobus:

1. Angeli congregabunt homines iudicandos ad iudicium.

Matth. 24, 31: *Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna; et congregabunt electos eius a quatuor ventis, a summis caelorum usque ad terminos eorum* (vox illa ab omnibus merito proprie intelligitur).

2. Signum Christi apparebit. Matth. 24, 30: *Et tunc parebit signum Filii hominis in caelo.* Quod quidem signum ab aliis habetur ea crux, in qua Christus pependit omnibus eius particulis divinitus collectis iterumque coniunctis; ab aliis multo rationabilius habetur species seu signum crucis tantum in aëre formatum. Nihil aliud enim praeter crucem vel signum crucis exstat, quod per eminentiam signum Christi vocari possit. Secundum plurimos tamdiu conspicuum erit, quamdiu durabit iudicium. Conveniens autem est signum crucis tunc esse appariturum, *a)* quia crux fuit instrumentum, quo Christus potestatem iudiciariam sibi meruit, mundum devicit, homines iudicandos redemit; — *b)* quia crux est signum iustitiae et misericordiae, quae tunc peremptorie manifestabuntur: signum iustitiae, quatenus est symbolum dolorum, signum misericordiae, quatenus fuit instrumentum redemptionis; — *c)* quia crux est quasi compendium legis christianae, secundum quam iudicium fiet.

II. *Iudex* erit Christus, Deus et homo (Matth. 25, 31 sqq. Io. 5, 27. Act. 10, 42. 2. Cor. 5, 10). Apparebit cum summa

virtute ac maiestate. Ut homo videbitur ab omnibus hominibus; ut Deus videbitur (i. e. intuitive cognoscetur) quidem a solis electis, agnoscetur tamen ab omnibus (Philipp. 2, 10).

Matth. 24, 30: *Et videbunt* (omnes tribus terrae) *Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa et maiestate.* — Matth. 25, 31. 32. 2. Thess. 1, 7-10., Apoc. 1, 7. Etiam in vetere testamento Deus saepius in nube apparuit (Exod. 13, 21; 40, 32. Lev. 16, 2 sqq.) et proponitur iudex symbolo insidentis nubibus (Ps. 17, 11; 96, 2. Is. 19, 1. Nah. 1, 3).

Veniet autem Christus in nubibus, « ut in eis melius fulgeat et splendeat claritas eius, et in eis appareat velut thronus quidam, in quo Christus tamquam triumphali currù invectus descendat ». — *Suarez*[1].

III. Coram Christo iudice *se sistent omnes homines*, et electi et reprobi et infantes solo peccato originali foedati, et etiam omnes *angeli*.

Quoad *homines* colligitur ex Matth. 25, 32: *Et congregabuntur ante eum* (Filium hominis) *omnes gentes, et separabit eos ab invicem.* Rom. 14, 10. 2. Cor. 5, 10. Apoc. 20, 12-15. Conveniens quoque est eos omnes potestati iudiciariae Christi subiici, pro quibus ipse est mortuus.

Quoad *angelos* malos saltem colligi potest ex 1 Cor. 6, 3. 2. Petr. 2, 4. Iud. 6: *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit.* Iudicium magni diei est iudicium universale. Unde ex hoc loco colligi potest angelos malos iudicatum iri.

IV. *Iudicium* hoc modo agetur:

1. Omnes imprimis *cognoscent a)* statum, in quo tunc quisque erit, sive erit status gratiae sanctificantis, sive status peccati personalis sive status peccati originalis; — *b)* omnia cuiusvis hominis opera libera atque ad mores pertinentia (latissime accepta, sc. cogitata, dicta, facta, omissa) tam bona quam mala et ea, quae ex ipsis evenerunt; — *c)* omnia ab angelis tam bonis quam malis circa homines facta; probabilius etiam ea, quae ab illis in statu viae seu probationis peracta sunt, id quod tamen a s. Thoma negatur, cum potestas iudiciaria Christi hominis ad ea non pertineat.

1. Cor. 4, 5: *Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium.* — Apoc. 20, 12. 13: *Et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt... et iudicati sunt mortui ex his, quae*

[1] Tom. 19, disp. 57, sect. 3, n. 2.

scripta erant in libris secundum opera ipsorum; et dedit mare mortuos, qui in eo erant, et mors et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant; et iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum. Libri, qui aperientur, sunt conscientiae iudicandorum. — Eccl. 12, 14. Dan. 7, 9 sq. Matth. 12, 36.

Haec omnia a beatis cognosci poterunt per lumen gloriae, quo tempore iudicii non privabuntur, ab aliis per aliud lumen iis divinitus tunc concedendum.

Electi ob hoc, quod ipsorum peccata palam fient, *non contristabuntur*, quia illa perfecte sunt remissa, et praecipue, quia hoc cedit in gloriam Dei, quem omnis inordinati amoris sui expertes ardenter diligunt.

Manifestatio illa (mere mentalis), quamvis in instanti fieri possit, tamen videtur *per aliquod temporis spatium* duratura, cum reprobi saltem tam multa in instanti distincte cognoscere sine ingenti miraculo non possint.

Improbabilis habenda est: α) Opinio *multorum scholasticorum*, qui (provocantes ad verba Io. 3, 18 perperam intellecta) censuerunt non manifestatum iri omnia peccata *infidelium*, sed tantummodo eorum infidelitatem, quippe quae sit sufficiens damnationis ratio.

β) Opinio *Petri Lombardi*, qui sensit peccata sanctorum non patefactum iri.

2. Christus *sententiam feret*, et eam quidem *a) singulorum adultorum propriam*, qua iis pro ratione meritorum aut demeritorum determinatum praemium aut supplicium decernet, *mentaliter* quidem, tamen ita, ut per lumen divinitus communicatum omnibus innotescat; *b)* hinc electorum illinc reproborum *communem*, idque, ut omnes fere tenent, *voce sensibili*, cum hoc ad iudicium sensibile pertineat.

3. *Sancti*, qui testante Scriptura (Matth. 19, 28. Luc. 22, 30. 1. Cor. 6, 2. 3 cf. Sap. 3, 7. 8) alios *iudicabunt*, eos non iudicabunt nisi *a) comparatione*, quatenus vita sua ostendent etiam reprobos peccata evitare ac virtutes exercere et ita salutem obtinere potuisse; — *b) approbatione*, quatenus Christo iudici sententiam ferenti assentientur; — *c) participatione* quadam honoris et actionis ad iudicium pertinentis, quatenus cum Christo loco eminenti sedebunt et, ut plurimi cum s. Thoma censent, sententiam iudicis in notitiam iudicatorum deferent. — Comparatione et approbatione iudicabunt omnes electi; participatione honoris et actionis iudiciariae iuxta verba Christi

(Matth. 19, 28 et Luc. 22, 30) certe apostoli et secundum opinionem multorum etiam alii, qui Christum perfecte secuti et magnam perfectionem adepti sunt.

Matth. 19, 27. 28: *Tunc respondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te; quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.*

Utrum etiam eminentiores saltem *angeli* boni participatione actionis iudiciariae malos angelos vel etiam homines iudicaturi sint incertum est. A s. Thoma negatur, cum conveniens sit assessores iudicis (Christi *hominis*) huic in natura esse conformes.

V. Iuxta opinionem haudquaquam certam, tamen *probabilem*, iudicium universale erit *in valle Iosaphat* (Ioel, 3, 2, ubi, tamen de restitutione Sionis, ut videtur, sermo est) inter Ierusalem et montem oliveti sita. Christus iudex (supra illam vallem) in sublimi in throno maiestatis suae sedebit; omnes electi super terram erunt elevati; reprobi in terra iacebunt vel stabunt (in valle Iosaphat et regionibus finitimis).

Ioel 3, 2: *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Iosaphat; et disceptabo cum eis ibi super populo meo et hereditate mea Israel, quos disperserunt in nationibus, et terram meam diviserunt.*

ARTICULUS III.

DE INNOVATIONE MUNDI.

I. Tempore consummationis saeculi hic mundus *incendio exuretur*. Legitur enim 2. Petr. 3, 10 *Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo caeli magno impetu transient* (ῥοιζηδὸν παρελεύσονται), *elementa vero calore solventur* (στοιχεῖα δὲ καυσούμενα λυθήσονται), *terra autem, et quae in ipsa sunt opera, exurentur.* — Hoc incendium:

1. Fiet *igne proprie dicto*, ut communiter tenetur et ex textu citato potest colligi.

2. Excitabitur a Deo verisimiliter mediantibus *causis naturalibus*.

3. Extendetur ad *terram* et ad *aërem terrae circumfusum*.

Aliter enim loco citato caeli intelligi non debent, ut patet ex vv. 5 et sqq., ubi comparatur exitium caelorum et terrae tempore Noe per aquam factum cum exitio, quod in fine mundi fiet per ignem.

« Tunc caeli magno impetu et strepitu transibunt; horrendum nempe in modum agitabitur aër terrae circumfusus, eo quod inferiora ipsius strata immenso igne calefacta in superiora agentia vehementissimos motus mechanicos ac novas insolentesque chemicas mutationes provocabunt; partes vero solidae, quibus terra continetur, calore solventur, terra autem ipsa et quae in ea sunt opera, sive natura producta sive arte confecta, crematabuntur ». *Stentrup* [1].

4. Mundabit hunc mundum et *a contagio culpae et a servitute corruptionis* (omnia generabilia et corruptibilia physice destruendo).

Quantum ad prius *s. Thomas* dicit [2]: « Quamvis... res corporalis subiectum infectionis culpae proprie esse non possit, tamen ex culpa quaedam incongruitas in rebus corporalibus corruptis relinquitur ad hoc, ut spiritualibus dicentur (al. dedicentur, al. ditentur),... et secundum hoc ex peccatis hominum quandam inidoneitatem ad gloriae susceptionem pars mundi recipit, quae in usum nostrum cedit; unde quantum ad hoc mundatione indiget ». Haec igitur mundatio physice non fit.

5. Iuxta s. Thomam erit *ante* universale iudicium, iuxta s. Augustinum et s. Bonaventuram [3] et Suarez erit *post* hoc iudicium (ita tamen, ut a Doctore seraphico ab hoc incendio diserte distinguatur aliud, quod ante iudicium sit futurum, de quo actum est supra), iuxta alios, ut Atzberger, *incipiet ante et finietur post iudicium.*

Conflagrationem universalem futuram esse aut finitum iri post iudicium quodammodo deduci potest ex eo, quod illa etiam ad id fiet, ut mundus purgetur a peccatorum contagio, quo secus a damnatis blasphemantibus iterum macularetur, et ex eo, quod glorificatio terrae statim post conflagrationem futura cum statu damnatorum in ea iudicandorum non congruit.

II. Post illud incendium totus mundus, quatenus ad homines beatos spectabit, in melius mutabitur ac *glorificabitur*, et omnia in eo contenta ad eam perfectionem ducentur, quae statui illorum convenit.

Is. 65, 17: *Ecce enim ego creo caelos novos et terram novam.* — Rom. 8, 21: *Et ipsa creatura* (materialis; non homines, a quibus illa aperte di-

---

[1] Soteriologia, tom. 2, pag. 1095.

[2] In 4, dist. 47, q. 2, a. 1, sol. 1.

[3] Tom. 4, pag. 930, conclusio.

stinguitur) *liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.* — 2. Petr. 3, 13: *Novos vero caelos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus iustitia habitat.* — Apoc. 21, 1, 3. 5.

Qualis praecise glorificatio mundi sit futura, ignoramus. Quae veteres theologi, nixi imperfecta vel falsa scientia rerum naturalium, de ea scripserunt, nullius sunt valoris.

Ad quaesitum, utrum tunc futura sint *incorruptibilia animalia sataque*, omnes antiquiores respondent negative, cum perennitas individuorum iis non conveniat, recentiores autem non omnes negative respondent.

« Si quis vult, potest sine temeritate rem ita concipere, ut dicat caelum proprie dictum, i. e. locum, ubi sint mansiones beatorum, esse aliquod astrum in medio forte mundi, circa quod omnia alia corpora mundana versentur, et hunc locum ornatu omnis generis pulcherrime decoratum esse, cetera quoque corpora mundana clarissima luce splendescere (cf. Is. 30, 36), manere motum siderum, manere plantas et animalia, quae,... habeant quidem motum sibi debitum, sed sine corruptione ». *Pesch* [1].

Tunc Christo etiam ut homini totus mundus erit subiectus. *Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi* (αὐτῷ) *omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* (1. Cor. 15, 28).

[1] Tom. 3, n. 504.

INDEX

TRACTATUS DE GRATIA

Prooemium . . . . . *Pag.* 1
Caput praevium: Definitio et divisio gratiae. 2

Pars I. De gratia actuali.

Caput I. De natura gratiae actualis. 5
Articulus I. De iis, in quibus ratio gratiae invenitur . . . . . »
§ I. De iis, in quibus in hac re est theologorum consensus . . . . »
§ II. De eo, in quo est theologorum dissensus 6
A. Sententia Thomistarum 7
B. Sententia ceterorum 8
Articulus II. De viribus, quas gratia confert 10
Caput II. De necessitate gratiae 13
Articulus I. De necessitate gratiae ad actus salutares . . . . . »
Propositio generalis. Ad quemcumque actum salutarem gratia absolute et physice necessaria est . . . . . »
Thesis I. Cuilibet homini ad quemcumque actum salutarem aut gratia actualis aut gratia habitualis physice necessaria est. . . . 14
Thesis II. Iis, qui gratiam habitualem non possident, ad quemcumque actum salutarem gratia actualis physice necessaria est. Consequenter gratia actualis requiritur ad salutare initium fidei. . . 16
Thesis III. Etiam iis, qui gratiam habitualem possident, ad quemcumque actum salutarem gratia actualis physice necessaria est. . . 17
Thesis IV. Gratia actualis ad actum salutarem necessaria non solum gratia illustrationis, sed etiam gratia inspirationis est 19
Articulus II. De necessitate gratiae ad actus naturaliter honestos. . 20
§ I. Quid homo sine gratia possit . . . . . »
Thesis. Cuilibet homini sine gratia non solum physice, sed etiam moraliter possibile est aliquos actus naturaliter honestos ponere. . »
Corollarium. 1. De tentationibus. 21
» 2. De operibus infidelium . . . . . »
Quaestio. Utrum homini lapso sine gratia moraliter possibile sit actum elicere, quo Deum ut auctorem naturae super omnia efficaciter diligat necne 23

§ II. Quid homo sine gratia non possit 24
Thesis. Cuilibet homini sine gratia actuali non quidem physice, tamen moraliter impossibile est totam legem naturae diu servare . »
Corollarium. 1. De tentationibus. 26
» 2. De vitandis peccatis mortalibus . . . . . »
Quaestio. Utrum ad legem naturalem quoad substantiam diu servandam gratia actualis sufficiat, an etiam gratia sanctificans moraliter necessaria sit 27
§ III. Quid homo etiam cum gratia non possit. 28
Thesis I. Omni homini, etiam iusto et gratiis actualibus adiuto sine speciali privilegio moraliter impossibile est diu vitare omnia peccata venialia saltem subreptitia. . . . . »
Thesis II. Speciale privilegium numquam peccandi B. M. V. concessum est 30
Scholion. Utrum hoc privilegium etiam de aliquo alio admittendum sit necne. . . . . »
Articulus III. De necessitate gratiae ad perseverantiam 31
Thesis. Homo ratione praeditus in gratia sanctificante diu permanere non potest sine gratia actuali . . . . . »
Scholion. De dono confirmationis in gratia 32
Appendix: De necessitate gratiae in statu innocentiae et naturae purae . . . . . »
Caput III. De largitione gratiae 33
Articulus I. De causa motiva largitionis gratiae . . . . . »
Propositio generalis: Nulla gratia hominibus datur propter actus eorum naturales, sed omnis gratia post lapsum protoparentum illis datur propter merita Christi . . . . . »
Thesis I. Homo per naturalem actum gratiam non potest mereri . . 34
Thesis II. Homo in praesenti rerum ordine per naturalem precationem gratiam non potest impetrare . . . . . »
Thesis III. Homo per actum naturalem ad gratiam non potest positive se disponere 35
Corollarium. Homo per actum naturalem aliquo modo negative se disponere potest. . . . . »
Scholia: Assertiones quaedam communiter receptae et dicta graecorum Patrum concordant cum gratuitate gratiae . . . »
Thesis IV. Omnis gratia, quae hominibus post lapsum protoparentum datur, iis datur, propter merita Christi 36
Articulus II. De ambitu et modo largitionis gratiae. 37
Propositio generalis: Omnibus hominibus ratione utentibus gratia necessaria datur, ut aeternam salutem consequi possint. . . . . »
Thesis I. Omnibus iustis gratia sufficiens datur ad omnia mandata servanda et ita salutem consequendam 38
Thesis II. Omnibus peccatoribus gratia sufficiens datur ad resurgendum e statu peccati 39
Scholion. Dicta s. Scripturae et ss. Patrum quoad peccatores obduratos 41

Thesis III. Omnibus peccatoribus gratia sufficiens datur ad servanda praecepta et vitanda alia peccata saltem gravia. 42
Thesis IV. Omnibus infidelibus adultis gratia sufficiens offertur ad fidem et salutem consequendam. 43
Caput IV. De efficacia gratiae eiusque connexu cum libero arbitrio . 47
Articulus I. De iis, quae hac in re certa sunt. . . . . »
Thesis I. Datur gratia, quae certe est efficax . . . . . »
Thesis II. Efficacia gratiae non tollit libertatem humanam 49
Thesis III. Datur quoque gratia, quae quidem sufficiens, tamen ex culpa hominis inefficax est. . . . . »
Scholion. De systemate Ianseniano. 50
Articulus II. De iis, quae in hac re controversa sunt 51
§ I. De modis diversis explicandi efficaciam gratiae eiusque cum libertate connexum . . . . . »
A. Systemata magis celebria et controversa . . . . . »
I. Systema Thomistarum . . . . . »
II. Systema Molinistarum. 52
B. Systemata minus celebria 53
I. Systema Augustinensium . . . . . »
II. Systema aliquorum Scotistarum 54
III. Systema syncretisticum. . . . . »
IV. Systema Thomassini 55
§ II. De modis diversis systemata celebriora ex s. Scriptura confirmandi . . . . . »

Pars II. De gratia habituali.

Caput I. De gratia sanctificante s. de iustificatione 60
Articulus I. De iustificationis dispositione. . . . . »
Thesis I. In adultis ad iustificationem necessaria est deliberata et supernaturalis dispositio . . . . . »
Thesis. II. Prima dispositio ad iustificationem necessaria est fides et ea quidem dogmatica, non fiducialis Protestantium. 62
Scholion. De proprietatibus et obiecto huius fidei. 64
Thesis III. Fides sola ad acquirendam iustificationem et consequenter vitam aeternam non sufficit 67
Scholion. De omnibus actibus ad iustificationem consequendam necessariis 69
Articulus II. De iustificationis causa formali 70
§ I. De eo, quod contra haereticos definitum est . . . . . »
Thesis. Id, quo formaliter iustificamur, est donum nobis inhaerens . »
§ II. De iis, quae praeterea a Catholicis communiter tenentur . . . 72
Scholion. Sententiae, quae tenent gratiam sanctificantem esse modum quendam ab anima non realiter, sed virtualiter tantum distinctum 77
§ III. De iis, quae inter Catholicos libere controvertuntur 81

A. Utrum gratia sanctificans a virtute infusa caritatis realiter distinguatur et immediate sit in essentia animae, an non realiter distinguatur et consequenter immediate sit in voluntate 81
B. Utrum gratia sanctificans ex nihilo producatur, an educatur de potentia obedientiali animae 85
Corollarium. Utrum gratia sanctificans annihiletur necne. . . 86
Articulus III. De iustificationis effectibus. 87
§ I. De effectu iustificationis privativo . . . . . »
Thesis. Iustificatione peccata vere remittuntur atque delentur . . . »
Quaestio. Qua ratione gratiae sanctificanti vis peccatum mortale expellendi insit. 90
Exponitur status quaestionis. . . . . »
Confirmatur sententia, quae tenet gratiam sanctificantem peccatum mortale natura sua expellere. 92
Confirmatur sententia, quae tenet gratiae sanctificanti essentiale esse peccatum mortale expellere 93
Scholion. Peccatum mortale sine gratia sanctificante absolute remitti potest. Peccatum veniale per gratiam sanctificantem non necessario expellitur. 96
§ II. De effectibus positivis iustificationis. . . . . »
Thesis I. Gratia sanctificante homo fit consors divinae naturae. . . »
Scholion. Per consortium divinae naturae homo fit particeps divinae bonitatis moralis et amicitiae Dei 100
Thesis II. Gratia sanctificante homo fit filius Dei adoptivus et consequenter heres vitae aeternae . . . . . »
Scholion. De adoptione iustorum veteris testamenti 102
Thesis III. Gratia sanctificante homo consecratur templum Dei seu ss. Trinitatis et speciatim Spiritus Sancti . . . . . »
Scholion. De aliis effectibus positivis iustificationis 104
Articulus IV. De iustificationis proprietatibus 105
Thesis I. Gratia sanctificans augeri potest . . . . . »
Thesis II. Gratia sanctificans quoad gradum inaequalis est, et quidem tam in diversis hominibus, quam in eodem homine pro diversis temporibus 106
Thesis III. Gratia sanctificans amitti potest, etiam in perpetuum, et quolibet ac solo peccato mortali amittitur 107
Thesis IV. Homo absque revelatione speciali certitudinem absolutam habere nequit se esse in statu gratiae sanctificantis, sed ad summum moralem latam. 108
Scholion. Signa, ob quae homo confidere potest se esse in statu gratiae sanctificantis 109
Caput II. De virtutibus infusis 110
Praenotanda de notione et divisione virtutis. . . . . »
Articulus I. De virtutibus infusis in genere 112
§ I. De exsistentia virtutum infusarum. . . . . »
Thesis I. Tres virtutes theologicae hominibus, qui eas possident, infusae sunt. . . . . »

Corollarium. Non sunt plures nec pauciores virtutes theologicae, quam tres 113
Thesis II. Probabilius virtutes morales iustis infusae sunt 114
Scholion. De numero virtutum moralium infusarum 117
§ II. De virtutum infusarum munere. . . . . »
Thesis. Virtutes infusae certe dant facultatem, probabilius non dant facilitatem, in sua materia supernaturaliter agendi. . . . . »
Scholion. De vi actuum virtutum infusarum 118
§ III. De virtutum infusarum origine 119
Thesis I. Virtutes supernaturales a Deo infunduntur, quin homo per actus supernaturales in earum infusionem physice influat . . . »
Thesis II. Probabilius nulla virtus infunditur ante primam iustificationem 120
Quaestio: Utrum nexus inter gratiam sanctificantem et virtutes infusas sit physicus an moralis 121
§ IV. De virtutum infusarum augmento 122
Thesis. Omnes virtutes infusae una cum gratia sanctificante intensive augentur. . . . . »
Quaestio: Utrum augmentum virtutum infusarum fiat per radicationem an per additionem 123
§ V. De virtutum infusarum amissione. 124
Thesis. Virtus caritatis omnesque virtutes infusae morales semper, virtutes fidei et spei non semper una cum gratia sanctificante amittuntur . . . . . »
Scholion. Quae virtutes infusae maneant in altera vita . . . 126
Articulus II. De virtutibus theologicis in specie 127
Praenotanda . . . . . »
§ I. De virtute fidei. 129
A. De nomine et notione fidei . . . . . »
B. De subiecto virtutis fidei . . . . . »
§ II. De virtute spei 131
A. De nomine, notione, natura, subiecto spei . . . . . »
B. De obiecto spei 133
C. De proprietatibus spei 135
§ III. De virtute caritatis 137
A. De nomine, notione, natura, subiecto caritatis . . . . . »
B. De obiecto caritatis 139
C. De excellentia caritatis 142
Articulus III. De virtutibus cardinalibus in specie 143
Caput III. De donis Spiritus sancti 145
Articulus I. De donis Spiritus sancti in communi. . . . . »
Articulus II. De donis Spiritus sancti in particulari. 148

Pars III. De merito.

Caput I. De natura et exsistentia meriti 150
Articulus I. De meriti natura . . . . . »
Articulus II. De meriti exsistentia 154

Thesis. Iustus in hac vita bonis operibus apud Deum vere meretur, et quidem vitam aeternam seu gloriam, augmentum gratiae sanctificantis, augmentum gloriae 154
Caput II. De conditionibus meriti 155
Articulus I. De conditionibus meriti requisitis ex parte status . . . »
Articulus II. De conditionibus meriti requisitis ex parte actus . . . 156
Caput III. De obiecto meriti 159
Articulus I. De obiecto meriti de condigno . . . . . »
Articulus II. De obiecto meriti de congruo 161
§ I. De obiecto meriti de congruo infallibili. . . . . »
§ II. De obiecto meriti de congruo fallibili . . . . . »
Scholion. Distinguuntur diversi generis opera 163

TRACTATUS DE SACRAMENTIS.

Praenotanda de nomine et notione sacramenti 165
Caput praevium: De sacramentis statum legis christianae praecedentibus. 166
I. Quoad statum iustitiae originalis . . . . . »
II. In statu legis naturae 167
III. In statu legis Mosaicae. 169
IV. In statu legis naturae et legis Mosaicae. . . . . »
Conclusio: Definitio sacramenti legis veteris. 170

Pars I. De sacramentis novae legis in genere.

Caput I. De natura et exsistentia sacramentorum. 171
Articulus I. De sacramentorum natura. . . . . »
Articulus II. De sacramentorum exsistentia 172
Thesis. Sacramentorum exsistentia conveniens est . . . . . »
Caput II. De numero sacramentorum 174
Thesis. Septem sunt sacramenta novae legis. . . . . »
Caput III. De auctore sacramentorum 178
Thesis. Christus omnia sacramenta immediate instituit . . . . . »
Scholion. De determinatione signi sacramentalis externi 179
Caput IV. De ministro sacramentorum. 181
Articulus I. De persona ministri . . . . . »
Thesis I. Solus homo viator minister ordinarius sacramentorum esse potest . . . . . »
Thesis II. Non omnia sacramenta ab omnibus hominibus administrari possunt. 182
Articulus II. De probitate et fide ministri . . . . . »
Thesis I. Ad sacramenta valide administranda non requiritur status gratiae sanctificantis s. sanctitas . . . . . »
Thesis II. Ad sacramenta valide administranda non requiritur fides orthodoxa. 183
Articulus III. De intentione ministri 184
Thesis. Ad sacramenta valide conficienda requiritur aliqua ministri intentio . . . . . »

Caput V. De efficacia sacramentorum 187
Praenotanda de causis. . . . . »
Articulus I. De efficacia primaria sacramentorum omnium. 188
§ I. De modo, quo sacramenta gratiam conferunt . . . . . »
Thesis. Sacramenta ut causae instrumentales non ponentibus obicem gratiam ex opere operato conferunt 189
Quaestio: Utrum sacramenta sint causae instrumentales gratiae morales, an physicae. 192
§ II. De gratia, quam sacramenta conferunt. 199
Articulus II. De secundaria efficacia aliquorum sacramentorum . . . 201
§ I. De characteris natura . . . . . »
Scholion. De alia characteris denominatione 203
§ II. De caracteris exsistentia . . . . . »
Thesis. Baptismus, confirmatio, ordo animae characterem imprimunt . »
Caput VI. De subiecto sacramentorum. 205
Thesis I. Subiectum capax recipiendi sacramenta cum effectu est solus homo viator; non tamen omnis homo est subiectum capax omnium sacramentorum . . . . . »
Thesis II. Ad validam sacramentorum susceptionem in adultis requiritur intentio; non requiritur, si poenitentiam excipias, probitas vel fides 206
Thesis III. Aliqua sacramenta valide quidem, sed propter obicem gratiae infructuose suscepta obice remoto reviviscunt 207

Pars II. De baptismo.

Praenotanda de nominibus et notione baptismi. 210
Caput I. De exsistentia baptismi. 211
Thesis. Baptismus est verum novae legis sacramentum . . . . . »
Scholion I. De tempore, quo sacramentum baptismi institutum est. 212
Scholion II. De iis, quos Christus per seipsum baptizasse censetur 213
Scholion III. De figuris baptismi Christiani . . . . . »
Caput II. De materia et forma baptismi 214
Thesis I. Materia remota baptismi est aqua naturalis . . . . . »
Thesis II. Materia proxima baptismi est ablutio aqua facta, quae non solum per immersionem, sed etiam per infusionem vel aspersionem fieri potest 215
Thesis III. In forma baptismi essentialis est expressio Dei unius et trini. 217
Scholion. De baptismo aetate Apostolica in nomine Iesu collato. 218
Caput III. De ministro baptismi 220
Thesis. Quilibet homo valide baptizare potest . . . . . »
Scholion. Nemo seipsum baptizare potest . . . . . »
Caput IV. De effectibus baptismi. 221
A. De effectu baptismi valide suscepti. . . . . »
B. De effectibus baptismi etiam digne suscepti. . . . . »

Scholion. De iis, quae in baptizatis manent 223
Caput V. De necessitate baptismi 224
Thesis I. Sacramentum baptismi omnibus hominibus necessarium est. »
Scholion I. Quando baptismus necessarius esse coeperit . . . 226
Scholion II. De obligatione B. M. V. ad baptismum . . . . »
Thesis II. Sacramentum baptismi in adultis quoad principalem effectum suppleri potest voto eiusdem s. baptismo flaminis . . . . »
Thesis III. Baptismus fluminis et in adultis et in infantibus suppleri potest baptismo sanguinis 228
Scholion. De opinionibus, quae tenent baptismum fluminis in infantibus etiam aliis modis suppleri posse 230
Caput VI. De subiecto baptismi 231
Thesis. Infantes baptismum valide et fructuose accipere possunt . . »
Scholion I. Expedit infantes baptizari. 233
Scholion II. Adultis, qui infantes baptizati sunt, non competit ius aut ratas habendi aut respuendi obligationes per baptismum ipsis impositas . . . . . »

Pars III. De confirmatione.

Praenotanda de notione et nominibus confirmationis. 235
Caput I. De exsistentia confirmationis . . . . . »
Thesis. Confirmatio est verum novae legis sacramentum . . . . . »
Scholion. Quando Christus confirmationem instituerit 2
Caput II. De materia et forma confirmationis . . . . . »
Thesis I. Materia remota confirmationis est chrisma ab episcopo benedictum . . . . . .
Thesis II. Materia confirmationis proxima est chrismatio una cum impositione manus 2
Scholion. Opiniones improbabiles quoad materiam proximam confirmationis 2
Thesis III. In forma confirmationis essentialis est expressio saltem uberioris gratiae Spiritus Sancti. . . . . »
Caput III. De ministro confirmationis 245
Thesis I. Minister confirmationis ordinarius est solus episcopus. . . »
Thesis II. Extraordinarius confirmationis minister quivis presbyter esse potest . . . . . »
Caput IV. De effectibus confirmationis. 247
Caput V. De subiecto confirmationis 248
Thesis. Subiectum confirmationis est omnis homo baptizatus. . . . »
Scholion I. Quoad confirmationem infantium . . . . . »
Scholion II. Quoad alapam in confirmatione datam. . . . . »

Pars IV. De eucharistia.

Caput I. De reali Christi in eucharistia praesentia 249
Articulus I. De veritate realis praesentiae . . . . . »
Doctrina catholica . . . . . »

Errores contrarii. 249
Probatur realis praesentia ex scriptura 250
A. Ex promissione eucharistiae. . . . . »
B. Ex institutione eucharistiae. 256
Probatur realis praesentia ex traditione 261
A. Ex ss. Patribus . . . . . »
Scholion. Notanda quoad solvendas obiectiones ex scriptis ss. patrum desumptas 267
B. Ex aliis fontibus. 268
Articulus II. De actione, qua Christus in eucharistia praesens fit, s. de transsubstantiatione 269
§ I. De iis, quae respectu transsubstantiationis certa sunt . . . . »
Thesis. Realis Christi in eucharistia praesentia fit transsubstantiatione panis et vini in corpus et sanguinem Christi. 272
Scholion. De consubstantiatione et impanatione 275
§ II. De iis, quae respectu transsubstantiationis controversa sunt . . 276
Quaestio I. Utrum corpus Christi praesens fiat per productionem an per adductionem . . . . . »
Quaestio II. Utrum desitio substantiae panis sit annihilatio proprie dicta necne. 281
Articulus III. De modo, quo Christus in eucharistia praesens est s. de statu sacramentali 282
Thesis I. Christus totus praesens est sub utraque specie sacramentali. »
Thesis II. Christus totus praesens est sub quavis utriusque speciei parte, idque non solum separatione speciei facta, sed etiam separatione non facta 283
Systema scholasticum 285
I. De praesentia corporis Christi sub specie panis iuxta modum spiritus. . . . . »
II. De praesentia corporis Christi in pluribus locis simul 289
III. De exsistentia accidentium sine sua substantia. 290
Scholion. De modo, quo aliquot recentiores species sacramentales permanere censent 292
Thesis III. Species eucharisticae sunt aliquid obiectivum reale . . . 294
Scholion. Sententia, iuxta quam species eucharisticae sunt motus aëris et aetheris tantum 295
Articulus IV. De relatione eucharistiae ad rationem et religionem eiusque cultu 296
Caput II. De eucharistia, ut est sacramentum 298
Praenotanda de notione et nominibus eucharistiae . . . . . »
Articulus I. De exsistentia sacramenti eucharistiae 299
Thesis. Eucharistia est verum novae legis sacramentum . . . . . »
Scholion I. De causis ob quas eucharistia instituta est . . . 300
Scholion II. De circumstantiis, sub quibus eucharistia instituta est. 301
Scholion III. De figuris eucharistiae 302
Scholion. IV. De differentia, quae est inter eucharistiam et cetera sacramenta . . . . . »

Articulus II. De materia et forma eucharistiae. 302
Thesis I. Materia, ex qua eucharistia conficitur, est panis triticeus et vinum de vite . . . . . »
Scholion I. De mixtione vini et aquae 303
Scholion II. Materia proxima iuxta aliquot theologos 304
Thesis II. Forma, qua eucharistia conficitur, sunt verba consecrationis eaque sola . . . . . »
Scholion I. De epiclesi 305
Scholion II. De consecratione ab ipso Christo peracta. 306
Thesis III. Materia, in qua euchasistia consistit, est corpus et sanguis Christi una cum speciebus. 307
Quaestio. In quo consistat forma eucharistiae iam confectae . . . . »
Articulus III. De ministro eucharistiae. 308
Thesis. Minister eucharistiae conficiendae est solus sacerdos . . . . »
Articulus IV. De susceptione eucharistiae s. de communione. . . . »
§ I. De effectibus communionis. . . . . »
§ II. De necessitate et modo communionis 310
Thesis I. Susceptio eucharistiae non est absolute ad salutem necessaria necessitate medii. . . . . »
Scholion. Quomodo intelligenda sint dicta quorundam patrum de absoluta eucharistiae necessitate quoad parvulos 311
Thesis II. Susceptio eucharistiae necessaria est necessitate praecepti divini . . . . . »
Thesis III. Non sacrificantibus non est necessitas eucharistiam suscipiendi sub utraque specie 312
Scholion I. De communione sub sola specie panis 313
Scholion II. Utrum communio sub utraque specie conferat maiorem gratiam necne 314
Caput III. De eucharistia, ut est sacrificium, seu de sacrificio missae. »
Praenotanda de sacrificio universe spectato . . . . . »
Aliqua de sacrificiis veteris testamenti. 317
Articulus I. De exsistentia sacrifici missae 318
Thesis. Eucharistia est verum ac proprie dictum novae legis sacrificium . . . . . »
Scholion. De termino «missae» 325
Articulus II. De natura sacrificiii missae. . . . . »
Articulus III. De efficacia sacrificii missae 328
Thesis. Sacrificium missae non solum latreuticum et eucharisticum, sed etiam propitiatorium et impetratorium est . . . . . »
Scholion I. Efficacia missae non semper est absolute infallibilis. 330
Scholion II. De celebratione missae in honorem Sanctorum . . 331

Pars V. De poenitentia.

Praenotanda de notione et nominibus poenitentiae 332
Caput I. De exsistentia sacramenti poenitentiae . . . . . »
Propositio generalis. Christus sacramentum poenitentiae instituit . . »
Thesis I. Ecclesiae a Christo data est potestas peccata vere remittendi. 333

Thesis II. Potestas illa ad omnia peccata extenditur. 334
Thesis III. Potestas illa est potestas iudicialis et a potestate baptizandi distincta 336
Thesis IV. Potestas illa data est solis Apostolis eorumque successoribus. . . . . »
Thesis V. Potestas illa est sacramentalis seu exercetur administrando sacramentum 337
Scholion. Figurae, promissio, institutio sacramenti poenitentiae. 338
Caput II. De materia et forma poenitentiae. . . . . »
Thesis I. Materia proxima poenitentiae est confessio dolorosa . . . 339
Scholion. Nihilominus solus confessarius est poenitentiae minister. 340
Thesis II. Confessio sacramentalis a Christo instituta est. . . . . »
Scholion. Confessionis convenientia 342
Thesis III. Forma poenitentiae est absolutio sacramentalis . . . . »
Caput III. De ministro poenitentiae. 343
Thesis I. Soli sacerdotes sunt ministri sacramenti poenitentiae . . . »
Scholion. De confessione et absolutione extrasacramentali . . 344
Thesis II. Ad valide absolvendum praeter potestatem ordinis requiritur potestas iurisdictionis in foro interno . . . . . »
Scholion. De iurisdictionis limitatione et necessitate ad absolutionem a peccatis venialibus 345
Caput IV. De effectibus poenitentiae 346
§ I. De iis, quae per poenitentiam semper obtinentur . . . . . »
§ II. De eo, quod per poenitentiam non semper obtinetur 347
Thesis. Una cum culpa non semper remittitur tota poena. . . . . »
Caput V. De necessitate poenitentiae 349
Thesis. Sacramentum poenitentiae omnibus post baptismum graviter lapsis iure divino necessarium est . . . . . »
Appendix. Doctrina de indulgentiis 351
A. Expositio doctrinae . . . . . »
B. Demonstratio doctrinae 355
Thesis I. Indulgentiae ab ecclesia concedi possunt, idque ita, ut valeant in foro Dei . . . . . »
Thesis II. Exstat thesaurus ecclesiae, constans ex satisfactionibus Christi et Sanctorum, quas Ecclesia per indulgentias dispensare potest 357
Thesis III. Indulgentiae per modum suffragii animabus purgatorii applicari possunt 358

Pars VI. De extrema unctione.

Praenotanda de notione et nominibus extremae unctionis 360
Caput I. De exsistentia extremae unctionis . . . . . »
Thesis. Extrema unctio est verum novae legis sacramentum . . . . »
Scholion. De promissione, institutione etc. extremae unctionis . 363
Caput II. De materia ac forma et ministro extremae unctionis . . . »
Caput III. De effectibus extremae unctionis 364

Pars VII. De ordine.

Praenotanda de notione et nominibus ordinis 366
Caput I. De exsistentia ordinis . . . . . »
Articulus I. De exsistentia sacramenti ordinis in genere . . . . . »
Thesis. Exsistit in ecclesia sacramentum ordinis . . . . . »
Scholion. Figurae ordinis 369
Articulus II. De sacramentalitate diversorum ordinum in genere . . »
§ I. De ordinibus non sacramentalibus 370
§ II. De ordinibus sacramentalibus 371
Thesis I. Diaconatus habet rationem sacramenti . . . . . »
Thesis II. Presbyteratus habet rationem sacramenti 372
Thesis III. Episcopatus habet rationem sacramenti 373
Caput II. De materia et forma sacramenti ordinis. 374
Caput III. De ministro sacramenti ordinis 375
Thesis. Solus episcopus est minister ordinarius sacramenti ordinis . . »
Scholion. Num Presbyter possit esse minister sacramenti ordinis extraordinarius 376
Caput IV. De effectibus sacramenti ordinis 377
Caput V. De subiecto sacramenti ordinis . . . . . »

Pars VIII. De matrimonio.

Praenotanda de notione matrimonii 379
Caput I. De exsistentia sacramenti matrimonii . . . . . »
Thesis I. Matrimonium est verum novae legis sacramentum . . . . »
Scholion. De matrimonii institutione 382
Thesis II. Sacramentum matrimonii nihil aliud est nisi ipse contractus matrimonialis Christianorum . . . . . »
Scholion. De sacramentalitate variorum contractuum matrimonialium 384
Caput II. De ministro et materia ac forma et effectibus sacramenti matrimonii 385
Caput III. De proprietatibus matrimonii 386
Articulus I. De unitate matrimonii . . . . . »
§ I. De unitate matrimonii ante legem Christianam 387
§ II. De unitate matrimonii sub lege Christiana 388
Thesis. Lege evangelica, qua non solum fideles, sed etiam infideles obligantur, perfecta monogamia est restituta . . . . . »
Articulus II. De indissolubilitate matrimonii (quoad vinculum) . . . 389
§ I. De indissolubilitate matrimonii, prout generatim et pro omni tempore valet. 390
§ II. De indissolubilitate matrimonii, quae valuit ante promulgatam legem Christianam . . . . . »
§ III. De indissolubilitate matrimonii post promulgatam legem Christianam. 391
A. Summa doctrinae. . . . . »
B. Determinatio, explicatio, probatio doctrinae 392

I. Quoad matrimonium Christianorum consummatum 392
Thesis. Matrimonium Christianorum consummatum est plane indissolubile, ita ut ne ob adulterium quidem alterius coniugis solvi possit. »
Scholion. De Matth. 19, 9: *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem* etc. 399
II. Quoad matrimonium ratum 401
Thesis I. Matrimonium Christianorum non consummatum solemni professione religiosa alterutrius coniugis solvitur . . . . . »
Thesis II. Matrimonium Christianorum non consummatum ex iusta causa auctoritate Summi Pontificis solvi potest 403
III. Quoad matrimonium legitimum 404
Thesis I. Matrimoninm infidelium etiam consummatum solvi potest, si alter coniux convertitur ad fidem, alter vero cum converso pacifice cohabitare non vult . . . . . »
Thesis II. Matrimonium in infidelitate contractum alterutra saltem parte ad fidem conversa a Summo Pontifice ex gravi causa potest solvi 408
Scholion. Matrimonium consummatum infidelium etiam solvitur per professionem religiosam 409
Caput IV. De potestate ecclesiae in matrimonium Christianum . . . »
A. Doctrina ecclesiae . . . . . »
B. Demonstratio doctrinae 410
Scholion. De potestate auctoritatis civilis in matrimonium . . 412
Caput V. De praestantia virginitatis et caelibatus 413
Thesis. Caelibatus et vel maxime status virginalis statu matrimoniali praestantior est. . . . . »
Appendix. De lege caelibatus clericis imposita 419
Additamentum. De sacramentalibus 423

TRACTATUS DE NOVISSIMIS.

Pars I. De novissimis singulorum hominum.

Caput I. De morte 425
Caput II. De iudicio particulari 429
Thesis. Statim post mortem anima subit iudicium, in quo per iustissimam Dei sententiam sors eius futura decernitur . . . . . »
Cap. III. De inferno 433
Articulus I. De exsistentia inferni . . . . . »
Thesis. Est infernus, in quo animae eorum, qui in statu peccati mortalis personalis decesserunt, pro demeritorum ratione puniuntur . »
Articulus II. De aeternitate poenarum inferni 435
Thesis I. Poenae inferni sunt aeternae. . . . . »
Scholion. Notanda ad infringendas difficultates e Scriptura et Patribus allatas 439
Thesis. II. Doctrina de aeternitate poenarum inferni non repugnat rationi 440

Articutus III. De indole poenarum inferni 446
§ I. De poena damni . . . . . »
§ II. De poena sensus 448
Punctum I. De poena ignis 449
Thesis. Ignis, quo damnati cruciantur, est verus ac proprius ignis. . »
Quaestio. Quomodo igne materiali torqueri possint substantiae spirituales 455
Punctum II. De aliis poenis, praesertim de cruciatibus sensuum hominum damnatorum 462
§ III. De comparatione poenae damni et poenae sensus. 463
§ IV. De inaequalitate poenarum damnatorum 464
Thesis. Poenae damnatorum quoad intensitatem multum differunt, ita ut pro ratione delictorum alter altero gravius puniatur . . . . »
§ V. De imminutione poenarum damnatorum. 466
§ VI. De loco poenarum damnatorum 468
Caput IV. De sorte infantium in statu peccati originalis e vita egressorum 470
Caput V. De purgatorio 474
Articulus I. De exsistentia purgatorii . . . . . »
Thesis. Est purgatorium, in quo animae iustorum ab omni reatu residuo poenis piacularibus mundantur . . . . . »
Articulus II. De remissione culparum venialium ab animabus purgatorio assignatis obtenta. 484
Articulus III. De indole poenarum purgatorii 486
§ I. De poena damni . . . . . »
§ II. De poena sensus 487
§ III. De acerbitate poenarum purgatorii comparata cum acerbitate poenarum huius vitae 489
§ IV. De duratione poenarum purgatorii 490
§ V. De loco purgatorii 491
Caput VI. De caelo. 493
Praenotanda . . . . . »
Articulus I. De beatitudine caelesti essentiali 494
§ I. De natura et exsistentia beatitudinis essentialis. . . . . »
A. De visione beatifica. 495
Thesis. Beati lumine gloriae elevati Deum vident, i. e. intuitive cognoscunt . . . . . »
Scholion I. Quo tempore animae humanae ad visionem beatificam admittantur. 499
Scholion II. Quae circa intuitivam Dei visionem humana ratione cognosci possint et quae non possint . . . . . »
B. De amore beatifico 501
Thesis Beati Deum amore amicitiae diligunt; et hic quoque amor ad beatitudinem essentialem formalem requiritur. . . . . »
Scholion. Necessitas, qua amor beatificus ex visione beatifica fluit, est physica. . . . . »
C. De gaudio beatifico. . . . . »

Thesis. Beati Deo gaudent, quod quoque gaudium ad beatitudinem essentialem formalem requiritur 501
Scholion. Quis horum trium actuum constituat beatitudinis illius essentiam metaphysicam 502
§ II. De indefectibilitate beatitudinis essentialis 504
A. De impeccabilitate beatorum . . . . . »
Thesis. Beati sunt impeccabiles . . . . . »
B. De aeternitate beatitudinis essentialis 506
Thesis. Beatitudo essentialis est aeterna . . . . . »
Scholion. Beatitudo caelestis essentialis aeterna est sua natura. »
Beati aeternitatem suae beatitudinis semper certo cognoscunt . »
Articulus II. De beatitudine caelesti accidentali spirituum. 507
§ I. De beatitudine accidentali omnium communi 508
A. De obiecto secundario visionis beatificae . . . . . »
B. De aliis ad beatitudinem accidentalem spectantibus. 509
Scholion. De dotibus animae beatae 511
§ II. De beatitudine accidentali aliquorum propria . . . . . »
Articulus III. De beatitudinis caelestis inaequalitate 513
Thesis. Beatitudo comprehensorum pro diversitate meritorum quantum ad gradum s. mensuram inaequalis est . . . . . »

Pars II. De communione sanctorum.

Praenotanda 516
Caput I. De communione, quae est inter membra ecclesiae militantis. 517
Caput II. De communione, quae ecclesiae militanti et etiam triumphanti est cum ecclesia patiente 518
Thesis. Animae purgatorii suffragiis vivorum iuvari possunt . . . . »
Scholion I. Per quae et quomodo animabus purgatorii a vivis subveniri possit. 520
Scholion II. Quem sensum habeant preces quaedam ab ecclesia pro defunctis fieri solitae 523
Scholion III. Num animae purgatorii orent pro vivis et ab his possint invocari . . . . . »
Scholion IV. Num beati animabus purgatorii suffragiis impetratoriis subveniant. 524
Caput III. De communione, quae est inter ecclesiam militantem et triumphantem 525
Articulus I. De cultu sanctorum . . . . . »
Praenotanda . . . . . »
§ I. De cultu sanctorum absoluto. 526
Thesis I. Sanctis in caelo degentibus cultus duliae licite et pie exhibetur . . . . . »
Scholion. De praestantia s. Ioseph 531
Thesis II. Beata Maria Virgo digna est cultu hyperduliae 533
§ II. De cultu relativo. 536
Thesis I. Licitus ac pius est cultus sacrarum reliquiarum. . . . . »
Thesis II. Licitus ac pius est usus et cultus sacrarum imaginum . . 540

Scholion I. De imaginibus Dei Patris et Spiritus Sancti . . . 544
Scholion II. De imaginibus miraculosis seu thaumaturgicis, quae vocantur 545
Articulus II. De intercessione et invocatione sanctorum 546
Thesis I. Sancti in coelis cum Christo regnantes pro hominibus in terris viventibus intercedunt . . . . . »
Scholion I. De efficacia intercessionis sanctorum 549
Scholion II. De intercessione B. M. V. . . . . »
Thesis II. Licitum et utile est sanctos invocare . . . . . »

Pars III. De novissimis generis humani seu de consummatione saeculi.

Caput I. De iis, quae consummationem saeculi praecedunt 553
Caput II. De ipsa consummatione saeculi. 560
Articulus I. De resurrectione mortuorum . . . . . »
§ I. De veritate resurrectionis . . . . . »
Thesis. Omnes mortui cum iisdem corporibus, quae in vita mortali gestarunt, resurgent . . . . . »
Scholion. De identitate corporalis materiae. 566
§ II. De tempore resurrectionis (de chiliasmo) 569
§ III. De causis resurrectionis. 570
§ IV. De conditione et qualitatibus corporum resurgentium 571
Articulus II. De iudicio universali 575
§ I. De veritate iudicii universalis . . . . . »
Thesis. Post resurrectionem erit universale iudicium. . . . . »
§ II. De ratione iudicii universalis 577
Articulus III. De innovatione mundi 580

CORRIGENDA.

(Prior numerus indicat paginam, alter lineam; i. significat: ab infra: del.: deleatur: l.: loco).

15, 12 *l.* perficiendi: percipiendi — 15 in Nota 1. *l.* Denziger: Denzinger; ítem alias — 16, 3 i. *post* nobis: scl. Deus — 23, 9 *l.* ut probabilius: (ut probabilius) — 27, 19 *l.* quantnm: quantum — 29, 9 *l.* distributive: seorsum — 30, 10 i. *post* Virginis: immaculata — 31, 17 *del.* finalis — 31, 13 i. *l.* sibi: ipsis — 36, 17 *l.* oecumemico: oecumenico — 39, 22 *l.* sibi: ipsi — 39, 5 i. *l.* amittunt: abiciunt — 44, 14 i. *l.* episcopus suffraganeus: archiepiscopus — 45, 16 *del.* solum — 49, 16 *l.* consulit: consuluit — 50, 14 *post:* theologica: quoad 2. partem — 53, 11 i. *post* connexionem: ab — 54, 11 et 12 *l.* sibi: ipsi — 55, 16 i. *l.* Sed cum... divina extenuatur: Sed secundum hoc systema et potentia et providentia divina extenuatur — 59, 6 *l.* consensum: concursum — 71, 12 *post* generatio: (utraque passive sumpta) — 73, 21 *l.* Hanc: Petri Lombardi — 73, 1 i. *l.* iusttitia: iustitia — 84, 4 i. *l.* Scripurae: Scripturae — 90, 2 i. *l.* Scotus etc.: Scotistae et Nominalistae — 94, 12 *l.* sint: sunt — 100, 4 *l.* ea: eo — 108, 20 *l.* multae: multa — 119, 3 i. *l.* infiuxum: influxum — 130, 6 *l.* dissentiri: dissentire — 132, 13 i. *l.* solum: solam — 141, 15 i. *del.* haec — 145, 13 *l.* infusaram: infusarum — 157, 7 i. *post* etiam: iuxta multos — 158, 6 *del.* comma — 160, 16 i. *l.* 43: 42-44 — 160, 5 i. *l.* fi: fit — 161, 13 i. *l.* 15: 14 — 162, 17 *l.* Ludovicus etc.: Quidam, in his Ludovicus Caspensis, Egger, Gutberlet, docent — 167, 10 et 15 *l.* incarnaturum: hominem exstiturum — 176, 21 *del.* quatuor spatii dimensiones... profundum (quippe quae, licet solummodo accomodate ad perceptionem vulgi dicta sint et dici possint, tamen in se non sint vera) — 180, 19 *l.* determinata: determinatae — 182, 2 *l.* eidem: eiusdem — 189, 13 *l.* 8: 7 — 198, 1 *l.* in aliis ac omnibus rebus: alias atque semper — 198, 3 *del.* semel — 201, 19 *post* anima: realiter — 202, 11 *l.* humanae, qua; humanae qua — 205, 15 i. *l.* Bambaud: Rambaud — 205, 8 i. *post* νεκρῶν: = — 215, 10 i. *l.* aquae: aqualis — 217, 5 *post* baptismi: praeter alia — 217, 7 *post* supra: p. 183 — 223, 12 *l.* debentnr: debentur — 228, 18 *l.* sanctificationem: sanctificantem — 229, 11 i. *l.* quod: quoad — 231, 10 *l.* pavulos: parvulos — 236, 18 *l.* idquod: quod adesse — 236, 11 i. *l.* intrepretantur: interpretantur — 239, 6 i. *l.* Hispal. IV.: Hispal. II. — 240, 2 *l.* 414: 417 — 244, 22 *l.* Richardus: Ruardus — 245, 3 i. *l.* Hispal. IV.: Hispal. II. — 247, 18 *l.* Sicilia: Sardinia — 250, 15 i. *l.* probatus: probatur — 251, 1 i. *l.* locutus est: loquitur — 253, 17 *l.* calumiis: calumniis — 253, 6 i. *l.* audiendium: audientium — 256, 20 *l.* ipsi... mos: ipsius — 256, 2 i. *l.* κλῶμενον: κλώμενον — 259, 9 i. *l.* instituret: instituebat — 259, 3 *l.* lustratienes: lustrationes — 258, 10 i. *l.* huc: hunc — 260, 14 i. *l.* eucharistiae: eucharistia — 260, 9 i. *post* Apostolorum:; — 263, 3 *l.* hoc id est: hoc id est — 267, 20 *l.* manducanda: credenda; *del.* quae fiat per fidem — 280, 12 *l.* calorem: colorem — 281, 11 *l.* desinere: desinit — 285, 12 i. *post* secreta: iuxta antiquiores

scholasticos — 286, 16 i. *post* privari: et privatur — 288, 6 *l.* hoc illud: illud hoc — 290, 8 i. *post* modo: extrinsecus — 293, 22 i. *l.* effiuxere: effluxere — 293, 15 i. *l.* effetuum: effectuum — 294, 9 i. *l.* Perronne: Perrone — 296, 19 *l.* ot: et — 298, 12 i. *l.* conditionale: conditionate — 299, 11 *post* Christi:, — 303, 2 *post* panis: et vinum — 305, 13 i. *l.* praeferri: perferri — 308, 14 *post* sacerdotem *del.* comma — 308, 9 i. *l.* habent: habeant — 310, 1 *l.* facta: factae — 310, 1 i. *l.* santificans: sanctificans — 311, 22 *l.* quorandum: quorundam — 312, 18 *l.* nacessitate: necessitate — 314, 19 *l.* paenotanda: praenotanda — 318, 13 i. *l.* qua: quorum — 322, 18 *l.* nequiri: requiri — 322, 10 i. *l.* ornatur: ornatum — 325, 6 *l.* quia: qui — 325, 9 i. *l.* quae mortem ipsi attulit: quae in eius morte accidit — 326, 6 i. *l.* ad comedendum: quod per modum cibi sumatur — 332, 11 *l.* baptima: baptisma — 333, 12 i. *l.* quod: quia — 334, 13 *l.* indigeant: indigent — 337, 16 *del.* docendi ac baptizandi et — 337, 19 *del.* Matth... baptizantes eos — 339, 3 *post* communis: nonnulli tamen recentiores, in his Ballerini, Palmieri, Noldin, Minges, pro probabili saltem habent sententiam Scotistarum, iuxta quam totum sacramentum in absolutione consistit, et confessio dolorosa non est nisi conditio sine qua non — 339, 10 *l.* quatetenus: quatenus — 340, 7 *l.* disposionem: dispositionem — 342, 19 *l.* in thesi I. huius cap.: p. 339 — 346, in Nota 1 *l.* qnaestiuncula: quaestiuncula — 347, 3 *l.* ss,: ss. — 349, 8 i. *l.* lapis: lapsis — 350, 6 *l.* eum: cum — 350, 12 *l.* eorum: illorum... horum — 351, 6 i. *l.* eum: cum — 355, 6 *post* ut: ab aliquo — 358, 5 *l.* 31: 41 — 358, 7 *post* notioni: absolutionis — 359, 3 *l.* offerri: offerre 369, 19 *post* congrua: 1. et 25 *l.* Denique: 2. — 370, 6 i. *l.* exprimant: exprimunt — 372, 6 *l.* loquator: loquatur — 375, 4 i. *del.* 4. 14 — 392, 12 *l.* ab: ob — 401, 12 *post* concubinatus:... — 404, 18 *l.* IV: III. — 419, 19 *post* etiam: iuxta sententiam communiorem — 419, in Nota 2. *l.* Patet: Colligitur — 422, 1 *l.* qui: quae — 449, 2 i. *l.* sensu: sensui — 455, 18 *l.* 1: I, — 456, 19 *l.* 2: II. — 462, 5 *l.* proponil: proponit — 478, 13 i. *l.* σώεζσθαι: σώζεσθαι — 479, 9 i. *l.* iuvar: iuvari — 480, 8 *l.* lingna: ligna — 481, 16 i. *l.* transitorum: transitorium — 495, 9 i. *post* gaudio:... — 499, 17 i. *l.* perfui: perfrui — 522, 12 *l.* praecipium: praecipuum — 550, 19 *l.* Vergini: Virgini — 554, 3 i. *l.* mulitudo: multitudo — 558, 5 *l.* peradisi: paradisi.

Ad conficiendum hoc enchiridion plus minusve usui fuerunt opera theologica, quae scripserunt:

I. Auctores antiquiores.

1. *Doctores Ecclesiae:* Ss. Thomas et Bonaventura.
2. *Thomistae:* Contenson, Gonet, Gotti, Billuart.
3. *Scotistae:* Mastrius, Boyvin, Dupasquier, Frassen, Henno.
4. *Theologi S. I.:* Suarez, de Lugo, Wirceburgenses.

II. Auctores recentiores.

Egger, Einig, Franzelin, Gottfried a Graun (qui recognovit institutiones Alberti a Bulsano), Heinrich-Gutberlet, Heinrich-Huppert, Hurter, B. Iungmann, Mazzella, Minges, Oswald, Perrone, Pesch (cuius praelectiones maxime sunt adhibitae), Pohle, Scheeben-Atzberger, Schiffini, Schouppe, Stentrup, Tepe.

3 6311 00042 9337